










DE ABASSINORVM REBVS,

Déque Æthiopiæ Patriarchis

IOANNE NONIO BARRETO,

&

ANDREA OVIEDO,

LIBRI TRES:

P. NICOLAO GODIGNO

Societatis IESV Auctore.

Nunc primùm in lucem emiſſi.






LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC. XV.

SVPERIORVM PERMISSV.







ILL^MO AC REV^MO

D. FERNANDO

MARTINIO MASCARE-
gnæ Algarbiorum Episcopo,

NICOLAVS GODIGNVS felicitatem precatur.

AMOR me magis, quàm res alia perpulit, vt rem offerrem tibi granditate tua parum dignam. Ignoscẽdum Amori, qui vix videt quid deceat. Si Patronum huic operi quærerem, reperire nollem alium, quàm te, in quo summa sunt omnia, quæ ad patrocinandum valent, Generis amplitudo, Vitæ sanctitas, Rerum sciẽtia, Animi mansuetudo, Comitas in officiis,

ad benefaciendum. Propensio, & si quid est aliud, quod hanc partem commendet. Sed mihi tantùm in animo est, hoc breui munusculo voluntatem testari in te meam; & apertum facere, quod, credo, non ignoras, tantum me addictum esse rebus tuis, quantum qui maximè. Vale.

LECTO



LECTORI S.



Erè à sapiente quodam dictum est, nihil esse tam firmum, ac tam constans, quod sit omnino à criminatione tutum; adeò in dissidia procliuis est natura mortalium. Quis crederet hac tempestate, quando Abassinorum omnia tantopere sunt per orbem nota, reperiri posse, qui gentem illam assereret à Romana fide neque modò esse, neque vmquam fuisse alienam? Repertus tamen est, qui tanta vtrumque contentione defendat, vt ne pro aris quidem ac focis agere queat contentiosius. Quid de hominis animo dicam, non habeo. Laudare factum non possum; quia poterat is, nec difficile, vera veréque scribere, si vel modicam adhibere vellet in perquirenda veritate diligentiam; qua adhibita rem faceret nec indecoram sibi, nec pernitiosam aliis. Ego cùm Ioannis Nonij Barreti, & Andreæ Ouiedi Aethiopiæ Patriarcharum res gestas statuissem mandare literis, nonnihil dubitaui, an esset opera, curare, quæ essent ab hoc auctore scripta; ac pæne decreueram nullam eius habere rationem, memor dixisse Augustinum, quæ à veritate non veniunt, plerumque cadere nullo impellente, ac se ipsa subuertere. Fuere tamen, qui ex Seneca monerent, Rem falsam & inanem, nisi coarguatur, habere nonnumquam fidem; multósque esse

homines iudicij parum firmi, qui nihil audiant legántve, quod non credant, nisi refutatum sciant: his ab scriptore verace medendum esse. Hæc mihi causa, cur ex plurimis, quæ de Abaßinorum moribus falsò scripta sunt, pauca selegi, quæ referrem ac refellerem. Id tu, Lector, ex sequentibus planiùs intelliges. Interim vale.



CLAVDIVS AQVAVIVA, SOCIETATIS Iesu Præpositus Generalis.

CVM opus *de Abaßinorum rebus, déque Æthiopiæ Patriarchis Ioanne Nonio Barreto, & Andrea Ouiedo, à P. Nicolao Godigno, nostræ Societatis sacerdote* conscriptum, tres eiusdem Societatis, quibus id commisimus, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. In quorum fidem has literas, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 5. Nouembris 1614.

CLAVDIVS AQVAVIVA.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

ANTONIVS SVFFREN Prouincialis Societatis Iesu, in Prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij. 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februar. 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque superiorum permissione imprimant, permittit HORATIO CARDON Lugdunensi Bibliopolæ, vt librum *de Abaßinorum rebus, déque Æthiopiæ Patriarchis Ioanne Nonio Barreto, & Andrea Ouiedo, P. Nicolao Godigno Societatis nostræ Auctore*, ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni j. Iulij 1615.

SVFFREN.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in sacra Theologia Magister, & diuini verbi Prædicator in S. Pauli huiusce ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunensi diœcesi à Dn. Dionysio Simone de Marquemôt, Illustrissimo & Reuerendissimo Archiepiscopo, Librorum censor designatus: Fidem facimus, nos Tractatum hunc *de Abassinorum rebus, déque Æthiopiæ Patriarchis Ioanne Nonio Barreto, & Andrea Ouiedo: P. Nicolao Godigno Societatis Iesu Auctore*, perlegisse, in quo nihil fidei Catholicæ contrarium animaduersum. Lugduni apud S. Paulum Calend. Iulias. M. DC. XV.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Meschatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunēsi. Tractatus qui inscribitur, *de Abassinorum rebus, déque Æthiopiæ Patriarchis Ioanne Nonio Barreto, & Andreá Ouiedo, libri tres: Auctore P. Nicolao Godigno Societatis Iesu*, vt in lucem edatur, facultatem concedo, Lugduni 8. Iulij 1615.

MESCHATIN LA FAYE.

CONCESSIO.

LIbrum hunc *De Abassinorum rebus, déque Æthiopia Patriarchis Ioanne Nonio Barreto, & Andrea Ouiedo, P. Nicolao Godigno Societatis Iesu Auctore*; Ego Iacobus Daueyne Regis Procurator typis mandari, tum demum in lucem exponi consentio.

DAVEYNE.

TRactatus hic *De Abassinorum rebus, déque Æthiopia Patriarchis Ioanne Nonio Barreto, & Andrea Ouiedo, P. Nicolao Godigno Societatis* IESV *Auctore*, vt HORATIO CARDONE Bibliopolâ lucem videat permittimus: simul ne quis citra factam ei ab ipso potestatem denuo excudat interdicimus. Lugduni 12. Iulij 1615.

SEVE.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS

De Abaßinorum rebus.

Seriem capitum hanc habet.

1. A *Quo tempore res Abaßinorum nobis probè cognitæ.* pag. 1.
2. *In quo terrarum loco Abaßia sit, & vnde illi hoc nomen.* p. 7.
3. *Quàm latè patere dicatur Abaßini Principis Imperium.* p. 9.
4. *Quinam Abaßini Imperij fines.* p. 12.
5. *Vnde Abaßino Imperatori Preteiannis, seu Presbyteri Ioannis nomen.* p. 18.
6. *Quanta olim fuerit, quanta hodie sit Preteiannis potentia.* p. 24.
7. *Vnde Abaßinorum Imperatorum feratur ductum genus.* p. 32.
8. *Hæreditate, an electione fiat Abaßinus Imperator.* p. 37.

9. Vbi

9. *Vbi ſit Abaſſini Imperatoris ſedes.* p. 49.
10. *Qualis Abaſſini ſoli conditio.* p. 58.
11. *Quid de Abaſſini ſoli natura & fertilitate verè ſentiendum* p. 66.
12. *Quales Abaſſinæ gentis mores.* p. 71.
13. *Quæ ſit apud Abaſſinos Reipubl. gubernandæ ratio.* p. 79.
14. *Qua ratione in Iudicum vitam & mores apud Abaſſinos inquiri dicatur.* p. 84.
15. *De Latino quodam Senatu, qui apud Abaſſinos eſſe dicitur, déque aliis ad Imperij adminiſtrationem pertinentibus.* p. 89.
16. *Quæ ſcelera, quibus pœnis in Abaſſia puniantur.* p. 94.
17. *De puerorum inſtitutione & vſu literarum apud Abaſſinos.* p. 102.
18. *Quo tempore veri Dei religio in Aethiopia cœperit.* p. 113.
19. *Qualis Abaſſinorum in ſacra propenſio.* p. 119.
20 *Quibus cæremoniis dicatur vti Imperator certis quibuſdam anni diebus* p. 126.
21. *Quanta Abaſſini pietate templa venerentur.* p. 130.
22. *De Abaſſinorum feſtis, & aliis ad ſacra pertinentibus.* p. 134.
23. *Quibus argumentis oſtendi videatur numquam Abaſſinos à vera Chriſti fide deceſſiſſe.* p. 141.

24. *Quomodo Abaßini ab hæresis suspicione videantur defendi.* p.150.
25. *Auctorum testimoniis probari videtur Abassinorum fides.* p.155.
26. *Vnde videatur ortum vt Abassini apud nos schismatici habeantur.* p.158.
27. *Abaßinos à recta fide defecisse.* p.164.
28. *In quibus prius erroribus Abaßini fuere, in iisdem adhuc persistere.* p.170.
29. *Quæ argumenta pro tuenda Abaßinæ gētis religione proposita sunt, nullam vim habere.* p.176.
30. *Neque Abaßinorum errores aptè excusari, neque eorum fidem auctorum testimoniis rectè probari.* p.183.
31. *Commentitias esse causas, ex quibus orta fingitur desertæ religionis in Abassinos infamia.* p. 189.
32. *Sintne vlli in Abassia sacrorū Antistites.* p.195.
33. *Sintne vllæ apud Abassinos religiosorum familiæ.* p.199.
34. *An præter religiosum Magni Antonij ordinem aliquis alius in Abassia sit.* p.206.
35. *Quæ sacramenta, qualísque eorum vsus apud Abaßinos sit.* p. 212.
36. *Qualia apud Abassinos Ordinis, & Matrimonij sacramenta* p.219.

LIBER

LIBER SECVNDVS

De Ioanne Nonio Barreto Patriarcha.

Seriem capitum hanc habet.

1. *Vbi & quibus parentibus natus Ioannes, quomodo à pueritia institutus.* p.228.

2. *Melchior Nonius Barretus in Societatem à Deo præmittitur, vt Ioanni fratri viam aperiat.* p. 230.

3. *Alfonsus Barretus fratrum motus exemplo Societatem amplectitur, & egregiis facinoribus tyrocinium illustrat.* p.234.

4. *Ioannes imposito studiis fine religiosæ vitæ desiderio pulsatur.* p.242.

5. *Melchior vt Ioannem ad societatem pertrahat, illum conuenit, irrito successu.* p.245.

6. *Ioannes litantem Fabrum per quietem videt, & à Deipara monitus Conimbricam petit.* p.253.

7. *Ioannem Faber priùs instructum ac probatum in Societatem cooptat.* p.255.

8. *E Lusitania in Africam mittitur Ioannes, & Septis rem Christianam egregiè promouet.* p.260.

9. *Ioannes cum sociis Tituanum ingressus captiuorum commoda impensè curat.* p.265.

10. *Ioannes & socij circa captiuos iuuandos sacerdotis Contreriæ exemplum imitantur. Oppressus*

mor

morbo Camer Septam repetit. p.269.

11. *Profecto Camera, Ioannes Tituani remanens in iisdem persistit caritatis operibus.* p.273.

12. *Suam quoque infidelibus operam Ioannes impendit.* p.280.

13. *Ioannes in Lusitaniam rediens, Aethiopiæ Patriarcha designatur.* p.285.

14. *Quamobrem missi in Aethiopiam Patriarchæ.* p.290.

15. *Quæ de Patriarchæ Ioannis & sociorum missione à nouo auctore scripta sunt.* p.295.

16. *Quantum à vero absit superior narratio* p.301.

17. *Quomodo Ioannes se gesserit, postquam Patriarcha creatus est.* p.308.

18. *Legatione missa exploratur quo animo sit Abassinus Imperator ad recipiēdum Patriarchas, & socios.* p.314.

19. *Qualis fuerit Imperatoris Claudij in Romanam Ecclesiam, & ad recipiendum Patriacham animus.* p.327.

20 *Patriarcha cum Ouiedo Episcopo & aliis sociis Olisipone in Indiam soluit.* p.330.

21. *A Mosambico Patriarcha Goam peruenit, & ibi manet, misso in Aethiopiam Ouiedo.* p.334.

22. *Vitæ præsenti præclaris virtutum operibus exercitæ finem Patriarcha imponit.* p.338.

LIBER

LIBER TERTIVS

De Patriarcha Andrea Ouiedo, & Sociis.

Seriem capitum hanc habet.

1. *De ingressu Ouiedi in Societatem, & in virtutibus progressu.* p. 344.
2. *Creatus Andreas Episcopus & Nonij Patriarchæ successor mira præbet submissionis animi exempla.* p. 347.
3. *Andreas Eborensem diœcesim, Henrici principis rogatu, cum fructu & exemplo lustrat.* p. 350.
4. *Ex Lusitania Goam, inde in Æthiopiam Ouiedus proficiscitur.* p. 356.
5. *De ingressu Andreæ in Æthiopiam, de accessu ad Imperatorem, & quæ inter illos gesta.* p. 360.
6. *Quid postea inter Ouiedum & Claudium actum, déque morte Claudij, atque eius successore.* p. 364.
7. *Sæuit in Andream Adamas, eúmque in exilium eiicit.* p. 367.
8. *Abaßinos suos Adamas persequitur, & Andream iterum in exilium mittit.* p. 369.
9. *Tertiùm Andreas cum Catholicis exilio mulctatur, & variis modis affligitur.* p. 373.
10. *Graui bello scelerum suorum pœnas luit Imperator*

rator Adamas, Andreas cum ſociis diuinitus ſeruatur. p.379.
11. *Quid in Imperio, quid Ouiedo acciderit mortuo Adama.* p.382.
12. *Iubetur Andreas à Pio V. Pontifice maximo Æthiopiam relinquere, & ad Iaponios ac Sinas proficiſci.* p.385.
13. *Ouiedi Patriarchæ circa ſuum ex Æthiopia exitum reſponſio.* p.388.
14. *De quibuſdam Andreæ Patriarchæ virtutibus.* p.394.
15. *De aliis Andreæ virtutibus, & obitu.* p.400.
16. *Quales Andreæ ſocij, quomodo vitam finierint.* p.406.
17. *& vlt. De Franciſco Lupio, Patriarchæ ſocio, qui omnium poſtremus diem obiit.* p.411.

DE





DE ABASSINORVM REBVS

LIBER PRIMVS.

A quo tempore res Abaßinorum nobis probè cognitæ.

CAPVT I.



E rebus Abaſſinorum nihil reperio ſeparatim dixiſſe veteres, præter ea, quę de orientali Æthiopia, cùm vel terrarum orbem deſcriberent, vel de Æthiopicis populis priuatim agerent, communiter & promiſcuè tradiderunt. Recentiores aliqui non pauca ſcripſere, quæ ad ſoli cœlique naturam, ad inſtituta ciuilia, ad mores, ad religionem ſpectant. Ex his vnus, cæteris recentior, parum abeſt, quin & ipſi cœlo cœlitum domicilio Abaſſiam præferat. Nihil eius ſolo apud hunc auctorem amœnius, nihil auri & argenti, nihil gemmarum & metallorum feracius, nihil eius aura benignius & ſalubrius, nihil gente humanius, nihil moribus ſuauius, nihil vrbibus pulchrius, nihil ſtatu-

tis æquius, nihil Imperio moderatius. Præ vna Abassia viles apud illum sunt reliquæ gentes oræque terrarum. Id nos quàm verum sit, cùm erit opus, detegemus. Sed antequam de regionis natura, & gentis moribus proponam aliquid, lectorem moneo, tantam in hoc Abassinorum Imperio factam esse per hosce annos rerum mutationem, adeóque & externis & domesticis bellis omnia esse concussa, vix vt vlla nunc appareant vestigia eius magnitudinis, quæ superioribus seculis dicitur fuisse. Rerum caducarum ista conditio est, quo attolluntur altiùs, eo profundiùs ruunt. Illud quoque sit compertum, si quid erit de hac gente scriptum, quod videatur dignum fide, id nobis esse patefactum opera Lusitanorum, ab eo ferme tempore [centum hodie & decem circiter anni sunt] cùm Petrus Couillanius, ad res Indicas & Preteiannis terras explorandas cum Alfonso Payua à Ioanne secundo Lusitanorum Rege missus, illas adiit Abassinorum regiones: quamquam & tunc quidem, & multorum postea decursu annorum, cùm icto inter Abassinum ac Lusitanum fœdere, aliquot vtraque ex gente legati vltro citróque commearunt, rebus nondum planè exploratis, multa sunt ab iisdem Abassinis magnificè narrata, vulgo credita, & à quibusdam ex nostris memoriæ tradita, quæ falsa esse certò postea deprehendimus. Inde factum, vt Damianus Goez, & Ioannes Barrius, aliique, alioquin diligentes, & amantes veritatis auctores, non pauca hoc de genere scripserint, quæ longè à vero distare, nullus ferè Lusitanorum ignorat. Damianum & alios ea tempestate fefellit Zagazabus, quem ad Ioannem Regem Abassinus Imperator oratorem misit. Hic enim non contentus res suas nimium exaggerare, & in maius attollere, pluri-

ma

ma inſuper commentus eſt, quæ homines ſinceri, ac minimè mali, cùm à veritate abhorrere ne ſuſpicari quidem poſſent, pro veris accepta poſteritati commendarunt. Sed cuiuſmodi illa eſſent, anni inſequẽtes patefecerunt. Itaque etſi ab eo, quo dixi tempore, aliquam habere cœpimus Abaſſini Imperij cognitionem; id tamen nõ ante nobis probè cognitum, quàm & Ioannes Bermudius Patriarcha, de quo poſtea nonnihil referam, à Romano Pontifice ex Italia miſſus, illuc iiſſet; & Stephanus Gama, Dux Luſitanus, cum armata militum manu ad eaſdem terras ex India traieciſſet; & multi poſtea ex noſtris diu ibidem commorantes per ſe paulatim ſingula fuiſſent experti. Ab anno quidem nati Chriſti 1560. quo religioſi Societatis Ieſu in Abaſſiam ſunt ingreſſi, ſic omnia Luſitanis patuere, vt non ſecus ea, quàm propria & domeſtica norint; adeóque res conſtant, vt ſi quis nũc de Abaſſinorum Imperio ſcribat quidquam, aut proferat, quod vel leuiter à vero deflectat, illicò coargui poſſit falſitatis. Cæterùm vt leuis animi eſt, facile credere cuiquam dicenti, præſertim cùm ea dicuntur, quæ dicentis exigunt auctoritatem; ita profectò ingenij maligni eſt, ac planè inuidi, iis negare fidem, qui vitæ ſuæ ratione probantur, ídque veluti iure ſuo ſunt aſſecuti, vt veraces exiſtimentur. At quæ ſummo Pontifici, & Luſitano Regi cauſa fuerit mittendi in Æthiopiam Patriarchas, aliquanto altiùs altero libro repetendum erit. Sufficerent quidem ea, quæ Ioannes Petrus Maffeius, & ſcriptores alij hac de re non ita pridem fideliter tradiderunt; niſi nuper extitiſſet, qui licentius, quàm par erat, contrariam illis ingreſſus viam, quæ erant extra omnem poſita controuerſiam, nec vulgo tantùm ſine difficultate credita, ſed planè

explorata,non vertit in dubium, quod videri tolerabilius poterat,sed argumentis partim debilibus, partim captiosis falsa esse ostendere conatus est. Longè sanè latéque patentem offerebat locus hic rixandi campum, si quem reperisset rixarum amantem. Sic enim auctor iste veritatem deseruit, vt iusto in opere pauca quædam,in quibus aliquod apparet veri vestigium, innumeris commentis commacularit. Deceptum ab aliquo credo;quia verosimile non est,ea voluisse ex libidine fingere,ex quibus ignorare non poterat, nihil se, præter iustissimam proborum hominum indignationem, & quod est consequens, nonnullam dedecoris notam comparaturum.Quomodocumque tamen res habeat,ait ipse,quæ de Abassinorum tam sacris,quàm profanis rebus, déque tota eorum Monarchia literarum monumentis commendauit, ea se magna ex parte à quodam eiusdem gentis homine,atque ex quibusdam eius scriptis fideliter accepisse: quem hominem, quòd, videlicet Abassinus esset,non dubitarit credere,rerum istiusmodi esse peritissimum,& ab omni alienũ mendacio. Quasi æquũ sit,vt Pontificiis diplomatis, & regiis literis, & grauissimis scriptoribus,qui summo labore ac diligentia rei veritatem inuestigarunt, & locupletissimis testibus, quorum multi, quo tempore res istæ memoriæ mandantur, adhuc in viuis sunt, vnius fides sit anteferenda. Cuius autem spiritus afflatu sua homo ille fuderit oracula, quæ hic auctor tanta suscepit veneratione,vt nihil ipsis iudicarit in terris verius,satis cognosci potest ex quodam eius opusculo de militari & monastico equitum magni Antonij ordine, Valentiæ edito,quo in opusculo nihil ferè est, quod cõmentitium non sit. Qua de re cùm à viro graui ar-

gueretur, hoc tantùm habuit quod reſponderet, ſua illa commenta nemini poſſe officere, eſséque longè ab iis diuerſa, quæ ſunt ab illo alio auctore tradita, quibus multorum fama læditur, exiſtimatio polluitur, auctoritas violatur. Idem ipſe Abaſsinus viſus nobis Romæ eſt, & cognitus; déque hiſce rebus familiariter rogatus, ita ſe purgauit, vt in hunc alium auctorem omnem culpam deriuarit. Non eſt inficiatus, quædam ſe de Æthiopico imperio, déque gentis moribus, & eccleſiaſticis ritibus illi dediſſe, quæ etſi vera non eſſent, nemini tamen crederet iniurioſa; eum tamen multas de ſuo addidiſſe fabulas, quarum ipſe nec auctor fuerit, nec ſuaſor. Quin potiùs mirari ſe vehementer, quonam pacto eius profeſsionis homo, res tales auſus ſit in vulgus prodere, quæ ſine grauiſsima omnium ordinum offenſione legi non poſſunt. Et quòd ſibi quoque, ſuæque exiſtimationi maximè ab illo fuerit incommodatum, queſtum ſe in Hiſpania eſſe per ſupplices literas apud regem, & tãtæ licentiæ inuidiam deprecatum. Nos igitur auctorem hunc, quem nouum appellabimus, & ſimiles alios; qui ſuperioribus annis leuitate quidem pæne pari, ſed animo fortaſſis candidiore, nonnulla de Abaſsinis prodidere priſcis fabulis ſimilia, quantum inſtituti noſtri poſtulabit ratio, apologetico magis quàm hiſtorico more (ſic enim opus eſt) falſitatis, vbi oportebit, damnabimus. Quæ tamen fidei noſtræ non nocebunt, ea nos etſi futilia erunt, ac vana, & forſitan etiam noxia, non multum curabimus. Aliorum ea cura eſto. Parcam nomini ob reuerentiam Ordinis: quamquam non credo, quæ ſunt à quibuſdam priuatis hominibus perperam acta, aut dicta, ea in ordinis totius ignominiam redundare, aut eius nomini

mini & dignitati quidquam obeſſe; cùm nemo neſciat, haud vllam eſſe tam ſanctam in terris ſocietatem, quæ ab hiſce aduerſis rerum euentibus immunis ſit. Et verò ſi ſcriptoris huius nomen proderem, illud me ab omni religione exolueret, quòd nec primus id facerem, nec primus demonſtrarem, qua fide ſcripſerit. Satis id ante me vulgatum ab aliis: ex quibus vnus eſt Fernandus Guerrerius, vir probitatis & modeſtiæ ſingularis; cúmque rebus aliis valde præſtans, tum in hiſce barbararum gentium recentioribus hiſtoriis multorum cum fructu diligentiſsimè verſatus. Is cùm de huius auctoris libro eſſet admonitus, vidiſsétque in eo quàm indignè & iniuriosè Pontificum, & Regum, & aliorum excellentium hominum auctoritas tractaretur; iuſto ſtimulatus dolore, abſtinere non potuit, quin calamum arriperet, & in ipſum auctorem diſtringeret ſtilum; quæque ille fictè in lucem protulit, non leui teſtimoniorum & rationum pondere obrueret. Fecit, vt debuit. Mihi etiã, qui Ioannis & Andreæ Patriarcharum hiſtorias, cùm quibus Æthiopica iſta coniuncta ſunt, ſcribere conſtitui, neceſſariò in eumdem ſtringendus ſtilus eſt. Sed neque agam hoſtiliter, neque aliquid dicam, quod alio fine, quàm aperiendæ veritatis dictum velim. Quinetiam quammaximè opto, ne quod mihi verbum per imprudẽtiam excidat, vnde quiſquam meritò offendi queat. Sciens certè & volens neminem, ne leuiter quidem, pungam: tantùm vbi opus & fas erit, ius meum tuebor; id verò eſt, vt non ſolùm ſcribam vera: ſed eorum quoque, quæ cum noſtris pugnant, falſitatem aperiam. Cæterùm de Abaſſinorum religione, de Patriarchis Nonio, & Ouiedo, eorúmque ſociis, ac demum de re tota, quæ circa

rem

rem Æthiopicam versatur, nihil ponam pro certo, nisi quod vel ex iuratis testibus, vel ex eorum hominum, quibus etiam iniuratis abrogare fidem nefas est, literis & narratione mihi constiterit.

In quo terrarum loco Abaßia sit, & vnde illi hoc nomen.

CAPVT II.

INter eas Africæ partes, quibus veteres Geographi Æthiopiæ nomen indiderunt, ea videtur esse præcipua, quæ ad Orientem Solem propius accedit, & Æthiopiam sub Ægypto iidem veteres appellauere. Dicta est à multis India, ob eam causam, quòd varij olim populi ex iis plagis, quas Indus interfluit gregatim profecti, fixam ibi posuere sedem. Pars autem hæc, & in diuinis libris, & apud sacros scriptores multas sortita est appellationes, quas hîc referre instituti mei non est. Quòd quidam voluere, omnem Æthiopiam ad Abassiam pertinere, omnésque Æthiopes, tam Hesperios, & Eoos, quàm qui inter hos medij sunt, quíque priscis Geographis fuerunt ignoti, Abassinos dici, id quidem in falsis oportet numerare. Certum est, neque Madianiticam Æthiopiam, de qua lòco alio locutus sum; neque Hespericam, quæ per interiorem Libyam funditur; neque illam, quæ Zanzibaris terras continet, neque eam demum, ad quam Congi, Angolæ, cæteráque Guinææ ac vicinarum prouinciarum regna pertinent; quámque intactam prisci reliquere, Abassiæ nomine censeri: sed illam solùm, quæ sub Ægypto est, & eos dumtaxat cõ-

plectitur Æthiopes, qui orientales Africæ incolunt regiones. At neque populos omnes, qui in hac Æthiopia degunt, rectè Abassinos dici, sed eos tantùm, qui illi Principi, quem nunc Preteiannem vulgo appellamus, iure subduntur, reperi à quibusdam scriptoribus obseruatum; quod num verum sit, nihil attinet in præsentia decernere. Constet, istam, de qua nunc agimus, Æthiopiam hisce limitibus circumscribi. Ab Oriente fretum habet Erythræum; cuius ferme in faucibus incipiens, indéque à gradu circiter decimo vsque ad vndeuigesimum versùs Boream porrecta, in insulam, & eiusdem nominis maritimam vrbem desinit, quam Suaquenum recentiores Geographi, Aspidem veteres appellarunt. Ab Occidente celsis definitur montium iugis, longissimo tractu propter Nili fluenta procurrentibus. Latera binis hinc inde terminantur lineis. Vna ab Suaqueno ad eam insulam, quæ olim Meroe dicta est, in arcticum polum recto tramite deducitur. Altera ab occidua Nili parte versùs Austrum exiens eò vsque protenditur, donec Auiæ regnum, quo nullum ibi est à Septentrionibus remotius, arcuato cursu pertingit. Hinc rursum in Orientem egrediens ad Adelum se fundit; id Saracenorum regnum est, cuius caput vrbs Ara, quæ nouem ab Æquatore gradibus ad polum arcticum recedit; vniuersa pæne regio à quatuor, quibus clauditur, lateribus, leucas colligit prope septuaginta supra sexcentas. Quidam septingentas, & amplius; octingentas numerant alij, sed quod posui à peritioribus Geographis magis probatum. De Abassiæ vocabulo à multis quæsitum scio. Satis constat, non ita eam veteres nominasse. Sunt ex recentioribus, qui sentiant corruptum accepisse nomen

ab

ab vrbe regia, dicta Ptolomæo Auxume, cuius ciuem fuisse ferunt Reginæ Candacis Eunuchum illum, in Actis Apostolicis Philippi Diaconi baptismate celebrem. Alij ab Abato, nonnulla literarum mutatione, ortam volunt Abassiæ vocem. Aiunt verò Abaton terræ plagam significare, auro, argento, gemmis, rebúsque aliis pretiosis abundantem, ciuium nobilitate & præstantia insignem, ædificiis illustrem, & omnium optimarum rerum copia affluentem. Talem demum eam regionem esse dicunt, quam Abassiam vocamus. Aliis placet Arabica, Turcica, & Æthiopica lingua idem Abassiam esse, ac gentem liberam, quæ nulli vnquam externo Principi seruierit, nullius fuerit armis subacta, nullius tyranni sub imperium missa. Hos & proximè superiores ex imperitia linguarum, & earum rerum, quas Abassię attribuunt, falsitate facile possem refutare, si vellem: sed pretium non est. Ortum credo ab Ægyptiis nomen. Illi, vt Strabo ait, Abases vocant habitatas regiones, locis desertis & incultis circumseptas, quales istas esse, in quibus Abassia est, Strabo idem affirmat. Vero igitur similius, hanc nominis huius esse originem, sicut non paucis placet. Quando verò apud ipsam gentem vsurpari cœperit, ignoro; nec vllum auctorem reperi, qui hac de re probabile quidpiam scriptum reliquerit.

Quàm latè patere dicatur Abassini Principis Imperium.

CAPVT III.

NOuus auctor, cuius illæ duæ sunt, quas nuper recensui, de Abassiæ nomine sententiæ, inter

extremas mediæ, prodigiosa tradit de Abassini Imperatoris potentiâ. Rarò enim sectatur communia, qui sponte discedit à recto. Ait ergo omnium Africanorum Regum esse primum; nulli Asiatico secundum; regnorum multitudine superare Regem Persarum; opibus & copiis Regem Sinarum; magno esse æqualem Chamo; latius, quàm Moscouitam dominari; Imperatore Turcarum esse maiorem, eúmque habere beneficiarium: denique quotquot per orbem vniuersum maximi & potentissimi Principes sunt (vnum dumtaxat auctor excipit) imperio, diuitiis, omni genere copiarum cedere Abassino. Quamquam verò huius Imperatoris potentia iam olim summa fuit, esse tamen his temporibus multo maximam; eo quòd Alexander I I I. sic Imperatorem quemdam nominat, quem anno dicit obiisse millesimo sexcentesimo sexto, & qui nũc regnat Zeras Chaureatus, præter eam regnorum multitudinem, quam à maioribus acceperunt, Rege Adeli acie victo, multa alia sibi regna subiecerint. Ergo Imperatorem Abassinum, præter ipsam Æthiopiam, cuius tantam ait esse longitudinem, ac tantam ferme latitudinem, quanta est Europæ totius, vastos insuper per oram maritimam possidere tractus terrarum. Per eã enim partem, qua Bonæ-spei promontorium in mare procurrit, à flumine Spiritus sancti, quod à Lunæ montibus exiens tendit in meridiem, vsque ad Aromata (cui promontorio Guardafu hodie nomen est) leucis extendi plusquam octingentis. Extra fauces Erythræas ad partem occiduam, vbi est Babelmandel (ita locum appellant) ab vrbe Zeila, Aualite olim dicta, vsque ad Aromata, leucas habere centum viginti. Tandem ad Oceanum Meridianum ab ortu in occasum, leucas colligere

colligere octoginta. Plurima item per illas Africæ regiones habere regna, quæ pulsis Saracenis habitatoribus vi & armis occuparit. In his Doaram esse, quo in regno leucæ numerantur longitudinis nonaginta, quinquaginta latitudinis: esse Magadoxum longum leucis plusquam ducentis, quâ triginta, quâ quinquaginta latum: esse Gorgam, cuius in longitudine plus octoginta leucæ sunt, in latitudine viginti: esse Sibar longum leucas sex & quinquaginta, latum viginti esse Turutum centum triginta, & aliquot amplius leucas in longitudinem continens, quoad latitudinem aliis regnis par. Adhæc, plurimos esse reges potentissimos idolorum addictos superstitionibus, qui tributa Abassino pendant; partim, quòd ab eo armis domiti, sub eius venerint ditionem; partim quòd ad res suas tuendas magnum sibi esse videant in huius Monarchæ amicitia & societate præsidium: neminem enim ausurum bello lacessere, cui Æthiopicus faueat Imperator. Inter eos verò reges, qui eiusdem Abassini amicitiam donis ac tributis ambiunt, numerari Beafaranum, Medranum, Baramesensem, Jalofum, Sofalensem, Barbisinum, Sapensem, & præter complures alios, illum Monamotapę clarissimum æquè, ac potentissimum Imperatorem, cuius ditioni præter vastissimas illas regiones, quæ ad Bonæ spei promontorium, qua ex parte se Lunæ montes in sublime erigunt, longè latéque diffunduntur, innumeræ parent aliæ, leucas pæne octingentas immenso interuallo per oram maritimam complexæ. Denique reges illos, quibus diuisa est insula Madagascar, S. Laurentij vulgo dicta, cui nulla vniuerso in mari videtur esse magnitudine æqualis, vt sibi tanti principis beneuolentiam concilient, eiúsque fauore ab hostium

armis

armis ſecuri ſint,illius ſe imperio ſponte ſubmittere, & tributa ſoluere. Hæc auctor ille, & alia multo plura,quæ referre piget. Vix autem dici poteſt , quantum omnia abhorreant à vero. In geographicis deſcriptionibus,in ſitu terrarum , in ipſis regionum nominibus,tota denique in re apertiſſimi ſunt errores, quos facio miſſos,quòd à quouis,vel mediocriter harum rerum perito , facillimè deprehendi poſſunt ; & mihi abs re eſſe videtur , in hiſce refutandis operam perdere. Qualis quidem Abaſſini Imperatoris hac tempeſtate potentia ſit , quando auctor iſte tantam eſſe dicit,quanta antea numquam fuit , inde colligatur,quòd eò deuenerit,vt non ab externis tantùm,ſed nec à ſuis etiam tutari ſe ac ſua queat. Anni enim aguntur amplius quinquaginta,cùm & aduersùs vicinos Saracenos,ac Turcas, & aduersùs Galos (gens Nigritarum eſt ipſi iure ſubiecta) imperium detrectantes,& in prouincias vi & armis irruentes,ab Luſitano Rege implorat auxilium, ſine quo certum eſt extremum adeſſe Imperio periculum. Sed hac de re plura dicentur poſtea , vbi patebit in eas eſſe anguſtias redactum,vt parum abſit,quin prouinciis omnibus ſpolietur;cùm iam ex iis,quas priùs habebat,non paucas amiſerit.

Quinam Abaßini Imperij fines.

CAPVT IV.

QVæ hîc proponam , ea nobis tradidit Ioannes Gabriel. Vnus hic eſt de primariis Luſitanis,qui in Abaſſia verſantur , quique iam illic Luſitanorum

legioni

legionibus cum summo imperio præfuit, expertus bello vir, fidéque, auctoritate, & consilio domi, ac militiæ clarus, nec morum tantùm vitæque exemplo spectabilis, ac religiosè pius, sed multarum etiam peritus linguarum; & iis in rebus, quæ sinceræ fidei sunt, tantum eruditus, quantum est satis, vt cum doctissimis Abassiæ monachis, in quibus rerum diuinarum putatur esse scientia, cum certa victoriæ spe de religione congrediatur. Dignus tandem homo, cuius hîc laudes hoc elogio commendemus, quòd & transferendis à Lusitano idiomate in Abassinum libris, fidei morúmque doctrinam continentibus, assiduam valdéque vtilem Romanæ Ecclesiæ operam nauat; & eiusdem Ecclesiæ auctoritatem apud illas Æthiopum gentes omni ope tuetur; & matrem habet singulari vitæ sanctimonia insignem, quæ iam semel pro Romana fide publicè palámque prædicata, ac defensa, leonibus fuit obiecta; quamquam ab iis diuino munere intacta è cauea exiit, & vegetior corpore, & veritatis studio inflammatior. Tradidit hic Gabriel, Abassinum Imperium sex & viginti regna, quatuordecim distributa regionibus, antiquo iure complecti: ea verò vna includi linea, quæ ab Septentrione versùs Austrum, per vicina Rubri maris littora ad Oceanum ducitur; indéque modico in Occasum flexu, loca pertingit regno Melindi proxima; ex quibus ab Austro rursum in Septentrionem flectens ad Cairum, quam Memphim olim fuisse nonnulli volunt, terminatur. Octo priora regna ab insula Suaqueno alia post alia excurrunt, versùs Solis occasum. Primum ex his quidã Tigraim, alij Tigrim appellant; longè latéque patet, & tractus continet iustæ magnitudinis septendecim, quorum cuique suus est præfectus, à

quo

quo in bello æquè & in pace publicæ res administrantur. In hoc regno loca maritima tenent Turcæ; proximam continentem Saraceni; interiora Ethnici promiſcuè, & Chriſtiani. Miſerè viuunt ob inopiam rerum. Nigro colore ſunt & deformes. Nulla his in tota hac Æthiopia gens viuendi ratione & moribus peior. Tigrim excipit Dancali,ſic aliud regnum vocant,quod ab ortu Solis,Rubri maris fluctibus alluitur; & inde tractu terræ perbreui, & infœcundo, versùs Occidentem extenditur. Incolæ Mauri genere, ſecta Mahumetani ſunt, Abaſſino Imperatori vectigales. Sequitur Angote;aliud regnum eſt quod ab Eoa plaga Tigrim contingit, à mari remotius. Quartum regnum Boa dicitur; quintum Amara; ſextum Leca. Iſta quatuor ſolos Chriſtianos habent incolas. Septimum peramplum eſt, ſeptemdecim continens tractus, in quibus habitant partim Chriſtiani, partim Ethnici,Abagamedri vocant.Sequitur deinde Dambea,duos tantùm habens tractus;& permixtos cum Ethnicis Chriſtianos. Ab altero Dancalis latere versùs Erythræas fauces,ſecundùm maritimam oram,procurrit Aucaguerle,quod Oari fluuio irrigatur. Mauri habitant Abaſſino Imperatori re nulla ſubditi. Adelum ſequitur gradibus ab Æquatore ad arcticum polum diſtans duodecim;vrbs in eo nunc Zeila,quondam,vt dixi,Aualites, mercatorum frequentia,in hoc etiam orbe,clara. Totum regnum Mauris incolitur,Abaſſino Principi infeſtiſſimis. Ex eo ille prodiit Gragna Mahumetanus Rex, qui cùm iam ferè totam hanc Æthiopiam armis ſubegiſſet,ab Luſitanis poſtea multis victus prælijs, & ad extremum captus,præſciſſo ab ceruicibus capite, meritas nequitiæ ſuæ pœnas perſoluit. Poſt hoc eſt Dahali,

quod

quod regnum versùs Mombazam ad Æquatorem tendit. Incolæ partim Christiani, partim Saraceni, Abaſſino pendunt ſtipendia. Inde ſequitur Oecie, quod introrſum vergit, & Abaſſino ſubiicitur, Mahumetanis pariter, & Ethnicis habitatum. Sequuntur deinde Arium, Fatagar, Zingerum. Hoc Ethnicorum eſt, duo priora Chriſtianorum. Decimumſextum vocant Rozanagum; Chriſtiani habitant, Abaſſini imperio neutiquam ſubiecti. Hinc alia rurſus in Septentrionem ab Auſtro funduntur regna. Roxa decimumſeptimum eſt, quod colunt Ethnici. Goma vocatur, quod huic propinquum, Ethnicos, & Chriſtianos Imperatori obedientes mixtim habens. Ad eam partem, qua Monomotapa eſt, Nerea vergit, regnum peramplum; incolæ, & Chriſtiani, & Ethnici. Sequitur Zethe, cultum ab Ethnicis, Imperatori ſubiectis. Dein iacent Conche, Mahaola, Goroma. Duo illa haud grandia ſunt, & ſolos habent Ethnicos. Tertium latiſſimè patet, Chriſtianorúmque, & Ethnicorum viginti tractus continet. Magna ex parte circumcingitur Nilo, & pæne in eo inſula eſt. Vix vmquam vacat bello, variis hinc inde hoſtibus, aduerſa ſigna circumferentibus: victus copia ſic abundat, vt plures ſimul alere poſſit exercitus. Agri fertilitas cauſa eſt, cùm bellis gerendis expetatur; cùm Æthiopes iſti alia in exercitu cibaria ferre non ſoleant, quàm quæ quiſque ſibi parauit; quibus conſumptis in ea vertuntur, quæ rapere aliunde poſſunt. Quâ verò tranſeunt, locuſtarum more, demetunt omnia. Soli tamen tanta eſt fœcunditas, vt ſimul atque collectæ fruges, mox dentur terræ ſemina. Præeunt meſſores, eos à tergo ſeminatores inſequuntur: alia terræ cultura opus non eſt. Ex altera Nili

parte

parte, Ægyptum versùs, tria vltima iacent regna, Damote, Sua, Fasculum. Sua patrio idiomate Imperij cor dicitur, ob id, quòd prioribus annis præcipua eius fuerit sedes. Fasculum ad Cairum vrbem terminatur; Mahumetanos habet ex genere Maurorum. In hoc regno ea via est, qua singulis annis Quadragesimę tempore vis magna peregrinorum religionis caussa ex Dambeæ regno Hierosolymam agminatim proficiscitur. Prouinciarum huiusmodi traduntur hac tempestate nomina. Prima Dubane dicitur, in regno Tigris est, Ethnicis Cafribus habitata. Secunda Xuncho, in eodem sita regno: gentem habet genere Saracenam, secta Mahumetanam. Tertia Daraita in regno Angote, quam incolunt Christiani. Quarta Bora dicitur, inter Tigrim iacet, & Abagamedrim. Quinta Calaoa. Sexta Aga; in his tribus homines viuunt Christiani nomine, cætera Ethnici. Septimam appellant Arimam, regno Dahali proximam. Octauam Athumsnobam Xancalam, Zingero conterminam; Huic finitimam Xancoram, quæ decima est. Vndecima, & duodecima Mahumetanos promiscuè habet, & Christianos; illi Suggamo, huic Bergamo nomen. Decimatertia, quæ Aris dicitur, vltra Nilum iacet, Mauris culta. Decimaquarta Euara nuncupatur, simul cum Mauris Ethnicos habens. Ex numeratis regnis præter Tigrim, Abagamedrim, Dambeam Goromam, vix aliud est, quod nunc Abassino principi obediat. Fatetur Æthiopes tertiam omnium partem, Lusitano Regi iure deberi, quod ita inter ipsos, & Christophorum Gamam Lusitanorum ducem conuenerit; quando is loca illa cum exercitu adiens, aduersùs perfidas Mahumetanorum gentes cum iisdem Abassinis vires coniunxit, vt fœda superstitio

perſtitione, ſuperbáque tyrannide communibus armis Æthiopiam liberarent. Cæterùm niſi vi & armis Mahumetani pellantur, haudquaquam promptum eſt aliis artibus aut litibus occupatæ terræ poſſeſſionem quærere. Addam hîc quæ de amnibus & lacubus idem Gabriel narrauit. Quatuor eſſe dixit potiſſima flumina, quæ hanc Æthiopiam interluunt; totidem diuerſis locis interiacere eximiæ magnitudinis lacus. Amnis primus, cui Tauceæ nomen, ab Auſtro tendens in Septentrionem, multis ante oram maritimam milliaribus arenoſa abſorbetur terra, occultíſque ſubterlabitur meatibus. Vicinos habet montes mirandæ altitudinis, aditu pæne imperuios, loco munitiſſimos, in quibus Abaſſini habitant genete Iudæi, qui veteres etiamnum Moſaicæ legis cæremonias ſeruant: tanta ſunt ferocitate, vt reliquis populis terrorem incutiant. Secundum flumen vocant Oaram: aquarum copia Nilum ſuperat, & Zeilanum in pelagus ſe exonerat. Non iniucundos habet ad potum liquores: ſed Abaſſini Chriſtiani ob eam cauſam ab eis abſtinent, quòd Mahumetanorum irrigans terras, alimenta ipſis ad vitam ſuppeditet. Inanis ſuperſtitio. Tertius amnis Gabea dictus versùs Mombazam influit in mare. Quartus Nilus eſt, de quo cùm à multis plurima dicantur, hîc ego dicam nihil. Lacus primus cæteris magnitudine cedit; in regno Angote eſt, Aicha dicitur. Vocatur ſecundus Dambeabahar, quod nomen ſonat Dambeæ mare; nõn procul diſtát à Gubbai, vbi nũc Imperatoris aula, ſi quando ex caſtris ad vrbem ſe recipit; ſexaginta circiter longus eſt milliaria, latus quinque prope, & viginti: vno ex latere Nilum findit: multa gignit piſcium genera, multos item hippopotamos, à

quibus nonnullum eſt nauigantibus periculum. Cùm proximis annis duo ex Societate religioſi ab Imperatore vocati ſcirpea rate lacum iſtum traiicerent, tanta in eos irruit huiuſmodi beſtiarum multitudo, vt eſſent pæne deſperati, niſi affuiſſet vis diuina, periclitantium precibus conciliata. Non paucæ, ſed exiguæ in hoc lacu inſulæ ſunt, ad quas ablegantur coniuratores, niſi mulctentur morte. Lacus tertius in regno Oecie eſt ad Adelum, & Moræbazam ſpectans, Zella dicitur. Quartus Xacala non procul diſtans à tertio; tanta vtrique longitudo eſt, quanta die vno percurri poteſt. Antonius Fernandus Societatis Ieſu Sacerdos, ex quo deinceps non pauca referam, in Epiſtola quadam de Æthiopicis rebus anno 1610. ſub initium Iunij ex Abaſſia Romam miſſa, Abaſſino Imperio pluſquam quadraginta attribuit prouincias. Sed nihil à Gabriele differt; huius enim tractus multo longius, quàm Antonij prouinciæ diffundũtur.

Vnde Abaſsino Imperatori Preteiannis, ſeu Preſbyteri Ioannis nomen.

CAPVT V.

QVòd Abaſſino Monarchæ regna multa, vt dixi, iure ſubiecta eſſent, Imperatoris obtinuit appellationem; patria enim lingua Acegus dicitur, quod Imperatorem ſonat; quamquam & à noſtris Rex, & à ſuis quoque Nigus, quod regem ſignificat, ſæpiſſime nuncupatur. Dicendum nobis hoc loco eſt, cur à quibuſdam Pretioſus Ioannes, ab aliis Preteiannes, ſeu Presbyter Ioannes communiter appelletur. Quòd alij

alij Petrum Ioannem dixerunt,nimis abs re est; Preteiannem verò pro Presbytero Ioanne nominari,duabus dictionibus,facilioris pronuntiationis causa, in vnam coeuntibus, haud est ambiguum: vt autem Pretiosum Ioannem auctores quidam appellarent, causam Abassini dedere. Hi enim cumprimum in Europam venissent,& Imperatorem suum Presbyterum Ioannem vulgo apud nos vocari agnoscerent, speciosum titulum,quamuis errore, vt dicam, attributum, retinere cupientes,multa & varia ex propria lingua quæsierunt vocabula, vnde illam Presbyteri Ioannis appellationem assererent deriuatam. Quidam ergo finxere Belulgian, alij Beldigian,voces alij alias, ex quibus Presbyteri Ioannis nomen irrepsisse affirmarunt. Ex iis, qui primi Belulgiani vocem in hæc loca induxere,vnus fuit Zagazabus ille, de quo suprà narraui; Æthiopici Imperatoris ad Ioannem III. Lusitaniæ regem legatus. Alter eodem tempore Petrus quidam Abassinus, qui Franciscum Aluarum Lusitanum Sacerdotem,ad Clementem VII. ab eodem Imperatore missum, in Italiam est comitatus. Prior ille Damianum Goëz, vt dixi, hic posterior Paulum Iouium,vterque forsitan sine dolo, in errorem induxit,dum à nobis pro Belulgian Presbyterum Ioannem dici affirmabant. Sed & vocem hanc Belulgian aiebant ex duabus esse dictionibus compositam;quarum prima, quæ est Belul, pretiosum,altera Ioannem significet;ac si nomine ipso vellent indicare,nihil in orbe esse Abassinorum Imperatore pretiosius. Quod nouus auctor scribit, Zagazabum non Belulgian voce duplici, sed vna tantùm Beldigian dixisse, Damianum verò, quia Lusitanus erat, non percepisse Æthiopicam pronuntiationem,

nugæ ſunt, cum cæteris reponendæ. Addit verò Beldigian dignitatis eſſe nomen, pretioſum dominum, ſiue inæſtimabilis pretij gemmam denotans; adeò antiquum, vt celeberrimæ illius Sabæ Reginæ ætatem ſuperet; in Amara enim, nobiliſſimo Æthiopiæ monte, vetuſtiſſima reperiri monumenta literarum, in quibus Abaſſini Imperatores ante eius Reginæ ortum hoc iam titulo inſigniri eſſent ſoliti. Hæc & quædam paria, quę hac de re ſcribit nouus auctor, miſſa facio. Et id volo pro comperto haberi, Presbyteri Ioannis nomen, neque à Belulgian, neque à Beldigian, neque, vt alij voluere, à Naudgian, vel à ſimili alia Æthiopica voce eſſe deriuatum: ſed Abaſſino Imperatori cumprimum à Luſitanis cœpit agnoſci, errore fuiſſe tributum. Nemo eſt, qui ambigat, ſicut olim Ægyptiorum reges primùm Pharaones, deinde Ptolemæi, Mauritanorum Seriphij, Perſarum Xerſes quondam & Artaxerſes, nunc Sophi dicuntur, ita Preſbyteri Ioannis nomẽ regiam quorumdam Chriſtianorum Principum à longo iam tempore denotare dignitatem; hos verò non apud Æthiopes, aut in vlla alia Africæ parte, ſed in Aſia imperaſſe, peritiores conueniunt. Quo tamen loco Imperium habuerit, non eſt omnino compertum. Nam quod quidam ſcripſere, eos fuiſſe reges Cathai, magis dubiam rem facit; cùm hiſce proximis annis cognitum ſit, quidquid Cathaium eſt, ad Sinas pertinere; nec vrbem eſſe vllam, aut regnum hac dictùm voce, quod nunc extra Sinarum terminos reperiatur; ſic enim à Matthæo Ritio Maceratẽſi, Societatis Ieſu religioſo apud Sinas Præpoſito, geographica demonſtratione priùs inuentum, & poſtea à Benedicto Goez eiuſdem Societatis homine ex Goa profecto, Cathaiúmque terre-
ſtri

ſtri itinere ex induſtria inueſtigante,ſatis exploratum. Non crederem ego procul diſſitum à vero, præter illam terræ partem, quæ Cathai nomine intra Sinarum limites à noſtris reperta eſt,aliam eſſe orbis plagam multo ampliorem per Aſiaticos Scythas, & Maſſagetas, vicinóſque circum effuſam populos, Sinarúmque finibus à meridie & occaſu cõterminam, cui & Cathai,ſiue Chethai nomen fuerit, & in qua is,de quo nunc agimus,Presbyter Ioannes maiorum noſtrorum ætate principatum tenuerit. Nolo hîc proponere omnia, quæ de re præſenti apud varios auctores reperi. Duo dicam, quæ non videntur ab inſtituto aliena. Primum eſt,quid de vero Presbytero Ioanne opiner probabilius. Alterum,quæ Luſitanis fuerit errandi occaſio,cùm nomen iſtud Abaſſino Imperatori tribuêre. Vt à primo ordiar, Magnus Indiarum Presbyter Ioannes (ſic enim antiquiores hiſtorici ipſum vocant) Chriſtianus erat, eorum de numero quos veneno ſuo Neſtorius infecerat. In illis imperabat regionibus, quas ea continet Scythia, quam extra montem Imaum Ptolemæus conſtituit, à qua fortè nihil illæ prouinciæ differunt, quas Paulus Venetus Teuduchum, Abrahamus Ortelius Argum,Ayton Armenius Tarſem,vocabulis aliis appellarunt alij. Ferunt tam longè latéque fuiſſe dominatum,vt duos & ſeptuaginta reges, partim Chriſtianos,partim Ethnicos ſuæ ſubditos habuerit ditioni. Præterea in honorem Ionæ Vatis, dictum apud ſuos Ionanam:id autem fuiſſe omnium, qui Imperium illud tenebant,commune nomen,vt de Ægyptio Pharaone,de Mauritano Seriphio, de Sophi Perſico dictum eſt. In his tamen occiduis Eccleſiæ Latinæ partibus Ioannem ſolitum appellari, addito presby-

teri vocabulo; non quòd is Sacerdos eſſet, ſed quia Archiepiſcopi primatis more, quando pacificis rebus prodibat in publicum, vnum habebat in comitatu, qui erectam crucem præferret. Ad bellum verò proficiſcentem duo præibant cruciferi, ex quibus auream vnus, alter ex pretioſiſſimis conſtantem gemmis geſtabat crucem. Nec deerat cæremoniæ ſignificatio. Ipſo Crucis ſigno Chriſtianæ ſe religionis defenſorem Preteiannes prædicabat; ex aurea verò, gemmeáque ſalutaris ſigni materia volebat intelligi, quantum aurum gemmæque metallis ac lapidibus anteſtant cæteris, tantum ſe aliis totius orbis principibus excellere. Multos hoc Imperium annos floruit, donec ad Dauidem quemdam ventum, qui à quodam ſuo Duce, Cinge dicto, victus prælio, & Imperij gloria, & Presbyteri Ioannis nomini finem impoſuit. Victor enim Cinges anno ſalutis centeſimo octogeſimo ſeptimo ſupra milleſimum, Imperator ab exercitu creatus, & à Scythis receptus; pro Preſbytero Ioanne Vlarcanus cœpit nũcupari. Inde quoque rerum Chriſtianarum ingens ſtrages conſecuta. Senſim enim præualere contra Chriſtianos Ethnici; diminui religio; gentilica ſacra & inanium Deorum cultus inferri. Vnus tunc ſuperfuit ex tanta calamitate Rex, qui Neſtorianas collegit reliquias; nec ipſe tamen dum vixit, nec deinde alij contra præualentes Tartarorum vires, caput amplius erigere potuere. Et ſunt hoc tempore per ea loca ſub grauiſſimo barbarorum iugo plures huiuſmodi Chriſtianorum diuerſæ turmæ, quibus inconſutilem Chriſti diſcidiſſe tunicam, haud impunè eſt; eadémque illi ſors miſerrima, quæ Græciæ pari piaculo contaminatæ. Non ignoro aliquos ab his diſſentire, quæ de Presbytero

Ioanne

Ioanne dixi, sed ista mihi visa sunt vero magis similia; posséṁque rei propositæ non contemnendas in medium coniecturas afferre, si mea interesset, assensum a legentibus extorquere. Quo tamen errore Presbyteri Ioannis nomen Abassino Imperatori datum sit, iam apertum facio. Eo tempore quo nouas terrarum plagas maritimo cursu Lusitani inquirebant, magna per Europam celebritate ferebatur Presbyteri Ioannis nomen. Dicebatur enim esse Imperator potentissimus, multorum regnorum dominus, religione Christianus; quo tamen esset orbis loco, erat incognitum. Ergo cùm Petrus Couillanius, quem Ioannes secundus Lusitaniæ Rex ad eum Principem per mediterraneum primum mare, terrestri deinde itinere inuestigandum miserat in Asiática India, ad quam deuenerat, audisset, in ea Æthiopia, quæ sub Ægypto est, principem quemdam esse longè maximum, qui Christianam profiteretur religionem, ad ipsum se contulit. Cúmque multa apud illum reperisset, quæ de vero Presbytero Ioanne, constanti fama apud Europæos percrebuerant, credidit illum ipsum esse, qui Presbyter Ioannes dicebatur. Hic igitur primus fuit qui Abassinum Imperatorem eo cœpit nomine appellare. Eum deinde cæteri imitati, qui consequentibus annis Æthiopiam sunt ingressi, eumdem errorem facile in Europam inuexere. Licebit nobis nunc quoties libitum erit, idem iam communi vsu detritum vsurpare vocabulum, cùm de Abassino loquemur.

Quanta olim fuerit, quanta hodie sit Preciannis potentia.

Capvt VI.

Magnam huius Principis olim fuisse potentiam, nemo de rebus Æthiopicis scripsit, qui non id memoriæ prodiderit. Nec derogabit fidem, qui tot ipsum per Æthiopiam regna, tot prouincias, quot suprà retuli, sub imperio suo habuisse animaduertet. Constare tamen debet, quod iam dixi, multo maximam tantæ huius potentiæ partem iisse pessum, & in dies singulos Abassinum Imperium magis magísque præcipitare; vt meritò timeri possit, ne paucos post annos miserabili percussum ruina penitus dilabatur. Oram enim maritimam sæuo premunt imperio Saraceni, qui magna ex parte Turcarum Tyranno vel beneficiario iure tributa pendunt, vel subiectionis subduntur lege. Per continentem terram plurimi partim Ethnici, partim Mahumetani sunt, qui ab eiusdem fide & obedientia, vt dictum est, recedentes, vel Turcarum Monarcham, vel nullum superiorem agnoscunt, suóq; iure viuunt, & arbitrio. Vt igitur Abassinus Imperator plurimum olim valuerit, nunc sic eius copiæ sunt accisæ, sic opes fractæ, & vires debilitatæ, vt imperatorium nomen vix sustineat, & contra vicinos hostes subditósque per totum Imperium in ipsius caput conspirantes ab externis principibus, vt iam dixi, auxilium cogatur implorare. Cùm florentes erant res, ad ostentandam maiestatem, non secus ac si diuinum quoddam esset Numen, ab omni

se

se hominum reliquorum consortio, vt ferunt, separabat; nec ab vllo nisi difficile, multísque interpositis cæremoniis videri sinebat. Mahon etiam Tigrius, & Barnagassus, non spernendi reges, vix poterant eius alloquendi obtinere facultatem. Cúmque ipsius in conspectum dabant sese, ea erant externa corporis submissione, vt mancipia credi possent, principes non possent. Vbi quis de toto Imperio quacumque esset dignitate & magnitudine præditus, aliquem ad se Imperatoris nuntium venire audiebat, illicò à superiori corporis parte detractis vestibus exibat domo, atque ad prima nuntij verba inclinato deorsum capite, terram manu tangebat. Regum quoque legati ipsum adire erant prohibiti. Per imperatorios ministros tractabant negotia, iámque discessuri venerationis ergò ad pedis osculum accedebant: at ne tunc quidem digni habiti, qui Preteiannis faciem intuerentur, quam ille cyaneo habebat amictam velo, quoties in publicum prodibat. Ter se tantùm in anno dabat populo conspiciendum, velo detracto; semel in ipsis Christi nataliciis; iterum eo die quo se idem Christus Magis præbuit adorandum; tertiò cùm assumptæ Virginis Deiparæ festus dies agebatur; cibum sumebat aureo in monopodio, nulla tecto mappa. Ferunt inter edendum ex veteri consuetudine fuisse solitum ante oculos habere vitreum vas cinere plenũ, cuius aspectus diem extremum obiiceret comedenti; vt ea territus memoria rectam inter epulas teneret rationis semitam. Similia legimus fecisse alios viros principes, ne aut tumerent inter honores, aut inter voluptates diffluerent. De apparatu, de magnificentia, de multitudine ministrorum, déque aliis ad hoc munus spectantibus, maiora à scriptoribus dicuntur,

B 5 quàm

quàm credam. Ea si vera sunt, licebit in hoc imperio, vt in multis aliis, rerum humanarum considerare inconstãtiam, quámque nihil inter mortales sit, quod magno in pretio haberi debeat. Ex hac enim magnitudine, ne vestigium quidem hodie conspicias, vt is tibi solus, & suspiciendus sit, & quærendus, qui semper idem ipse est, cuiúsque anni numquam deficiunt. Subiiciam hîc, quoniam locus est, quæ nouus auctor de Abassini Imperatoris redditibus & thesauris comminiscitur. Plurimis ille quidem, & amplissimis verbis supra fidem rem attollit. Nobis sat erit simpliciter & summatim referre, quæ scribit, & ea breuiter, sed verè refellere, vt hac etiam ex parte constet, quàm nulla sit in reliquis, quæ ad nos spectant, & maius habent momentum, dignus fide. Quanti igitur sint annui redditus, ex tributis, quæ hac etiam tempestate à subiectis regnis Imperatori solui perhibet, vult colligamus. Ait regnum Goyame (in quo asserit ex lacu Cafate Nilo esse principium) annis singulis tributi loco prætet immensam auri copiam, mittere tria mularum millia, totidem millia equorũ, totidem ex gossypio telas, totidem denique basutos; sic appellari vult quædam lectorum stragula, quibus vtuntur nobiles, adeò pretiosa, vt nullũ minus quàm vndecim, multa viginti, ac triginta, non pauca etiam quadraginta & quinquaginta nummis aureis constent. Modum præterea describit, quo allata ex regnis offeruntur Imperatori tributa, planè ridiculum. Vbi inquit is, cui hoc negotium commissum (dici tributorum præfectus potest) ad Imperatoris palatium, siue papilionem peruenit, foris consistit, & contenta voce ter clamat, *A alto, a alto, a alto*, his vocibus Dominum vocat. Mox ab interiori parte vox auditur

alia,

alia,qua bis quæritur,quisnam aduenerit. Respondet Præfectus,adesse quemdam, qui omnium sit domesticorum minimus,quippe qui frænos equis, capistra mulis imponat, aliáque eiusmodi abiecta & humilia exequatur officia. Postquam verba ista ter repetit,transire iubetur cum toto comitatu. Tum venerationis ergò submittens caput,præter imperatoriam domum hoc ordine transit. Præit ipse. Mox equi sequuntur à singulis agasonibus singuli habenis ducti. Primi triginta ephippiis exornati, reliqui nudi. Post equos modo eodem incedunt mulæ. Post mulas feruntur basuti,à singulis hominibus singuli. Post basutos telæ gossypinæ complicatæ, & quibusdam veluti capsulis inclusæ. Vnaquæque capsula recipit telas decem. Capsulas singulas singuli portant baiuli. Tum ij sequuntur, qui vectant aurum. Permulti sunt,& suam quisque in capite fert cistellam, serico tectam tapete, partim rubri, partim viridis coloris. Multa à tergo sequuntur militum millia, tributi custodiæ & securitati assignata. Atenim hæc tam immensa bestiarum hominúmque caterua decem circiter,vel duodecim consumit pertranseundo horas. Et ista quidem è regno Goyamis. Barnagassium quotannis centum & triginta pendit equos, omnium, qui possunt reperiri,optimos;qui propterea saltantes pertranseunt,& veluti congredientes. Mittit etiam plurimam valdéque pretiosam ex serico & gossypio vestem, hominum multorum portatam humeris, & militum armis custoditam. Regnum Tigrimahon sericæ vestis,qua abundat,infinita propè mittit volumina,ducentos insuper valentissimos equos,qui sicuti illi alij,veluti congredientes pertranseunt.Ita regna cætera mittunt multa,& pretiosa, ex iis præcipuè rebus

bus, quarum sunt feracia. Præter hæc in quolibet Imperij regno, in quo proprius Rex est, vnam Imperator ciuitatem habet, quæ quod erat tributum suo regi persolutura, id Imperatori persoluit; ob hoc imperatoria ciuitas dicta. At hæc non semper eadem in eodem regno, sed annis singulis ab Imperatore noua ac diuersa deligitur. Habet item regna tria, quæ ad Imperatoris pertinent patrimonium, neque vllum alium præter ipsum agnoscunt regem. Hæc sunt Saba, Zambra, Cafate, in quibus ingentes diuitiæ sunt, & auri argentíque fodinæ quamplurimæ. Regna imperatoria quintam soluunt rerum omnium partem, cætera decimam. Exercitus, quos vel ducit Imperator, vel ad hostes debellandos aliò mittit, expensis aluntur ciuitatum. Eædem ipsæ non militibus tantùm, qui versantur in bellò, sed iis etiam, quibus tum Imperatoris, tum montis Amaræ commissa custodia, stipendia soluunt. Cùm ergo Imperator præter eos, quos facit in alenda familia sumptus, nulla in re alia de suo quidquam expendat; quidquid verò auri tam facti quàm infecti à stipendiariis populis recipit, atque immensam opum aliarum copiam separatim reponat; efficitur vt ne cogitatione quidem comprehendere quis possit, quàm immensos habeat thesauros: de quibus iam per se ex mente eiusdem noui auctoris aliquid dicendum. In monte Amara (vt ait) cœnobium est, quod à sancta Cruce nominatur. In eo Abassini Imperatoris thesauri sunt, in quibus tanta est auri & gemmarum copia, quantam nullus omnino totum per orbem princeps, siue ex iis, qui nunc sunt, siue ex iis, qui vmquam fuere, habuisse narratur. Possúntque & Babylonij, & Persæ, & Græci, & Romani Imperatores, quibus amplissimas legi-

mus

mus fuiſſe diuitias, ſi cum vno Preteianne conferantur, pauperes æſtimari. Quinetiam magnum Alexandrum, de cuius opibus incredibilia memorantur, longè hac in re à Preteianne vinci, facile deprehendet, qui rem attentiùs conſiderabit. Iſti enim Abaſſini theſauri, vt latè per Æthiopiam traditur, à vetere illa Regina Sabæ (tria iam ſunt annorum millia, & amplius) initium accepêre. Cùm igitur ab eo tempore immenſæ quotannis illum in locum inferantur diuitiæ, quas quinquaginta nouem regna copiosè fundunt; nec inde quidquam, cùm opus non ſit, vmquam auferatur: quantum diuitiarum neceſſe eſt in eos theſauros eſſe congeſtum? Denique vbi nouus auctor admodum multa & valde mirabilia hac de re profert, cui etiam videtur diuinæ fidei auctoritatem, adducto quodam è ſacris libris teſtimonio, velle conciliare; ad extremum ex ſententia quorumdam, vt ait, Venetorum, ac Luſitanorum, qui quatuor ampliſſimas domos videre auro refertas, ſummam colligens, affirmat, tantum illic auri eſſe, vt vnaquæque domus, vſurpata nunc voce vtar, pluſquam trecentos contineat milliones. Hæc de auro. Quod attinet ad gemmas, ait idem auctor, prope illa auri receptacula, aliã eſſe domum longè ampliſſimam ingentibus refertam capſis, partim ex cedro, partim ex ebeno fabricatis, egregiè politis, & firmiter obſeratis; vnamquamque gemmarum eſſe plenam; rem verò ita diſpoſitam, vt gemmæ omnes, quæ eiuſdem generis ſunt, iiſdem ſeparatim capſis contineantur. Cùm autem domus ſit eximiè capax, & arcæ plurimæ, apertiſſimum eſſe, gemmarum varietatem eſſe maximam, numerum propè infinitum. Ad primum ſtatim domus ingreſſum reperiri ait Smaragdos, nonnullis capſis incluſos,

ſos,eóſque omnes pretioſiſſimos,quales ſolet Æthiopia gignere. Alias deinde capſas eſſe plenas adamãtibus,humanam taxationem pretio, opinionem magnitudine ſuperantibus. Deceptos Plinium, ac Solinum,qui negarint, vllum eſſe nuce auellana maiorem:in illis namque Preteiannis theſauris plurimos reperiri,qui digitum vincant longitudine,volam manus latitudine. Varium in iis colorem cerni; ſic omnes candicare,vt in aureum quidam, in cæruleum alij,in pallidum nonnulli exeant nitorem; atque his poſtremis multo maximam auctoritatem eſſe. Alias præterea reperiri arcas plenas pyropis,quorum in nigro flumine magna eſt copia, & laus potiſſima: tantam in quibuſdam magnitudinem, vt pollici æquentur. Ingenti in numero eſſe Iaſpidas ærizuſas ex lacteo in cæruleum tendentes; ſapphiros ex rubro nigricantes;fulgentes auro Topaſios;Balaxas roſis purpureis ſimiles;rubentes igne Hyacinthos. Quaſdam eſſe capſas plenas Chryſolitis, quibus in Æthiopia minor eſt inter gemmas auctoritas;alias quoqne pretioſis aliis refertas lapillis,quorum ex numero ingens Achatum copia, & genus multiplex, colore diſtinctum;in quibuſdam cum nigrore maculas eſſe albicantes;interlitum in aliis auro ruborem:in multis notas verſicolores,& diuerſis variegatum maculis ſplẽdorem. Plurimas item capſas Margaritis eſſe refertas;earum quaſdam in Oceano Indico, alias in Nigro flumine,in Perſico alias ortas mari;atque has poſtremas firmitate, colore, nitore cæteris præſtare. Non eamdem omnibus figuram; eſſe quaſdam æqualiter rotundas,alias ouatas,alias teretes,alias planas, alias retortas;tantæ nonnullas magnitudinis,vt periti gemmarum compoſitores aſſeruerint, haud eſſe minores

duabus

duabus illis, quas fama celebrat apud Cleopatram fuiſſe; centies ſextertium æſtimatas. Addit in eadem domo eſſe ſaxoſæ cuiuſdam rupis partem, pæne tripalmarem, in Nigro amne repertam, in qua mille gemmarum differentiæ à natura ſint inſertæ. Apparere in ea Adamantas pluſquam centum & ſexaginta, quorum alij ſint volæ pares, alij duos ac tres lati digitos; nullus auellana nuce minor; primæ omnes auctoritatis. Apparere plus quàm trecentos Smaragdos, maiores quoſdam, alios minores; pluſquam quinquaginta carbunculos, omnium, qui poſſunt vſquã reperiri, maximos; apparere Sapphiros, Iaſpides, Balaxas, Ametyſthos, Topaſios, Hyacinthos, Chryſolitos, & bonam partem aliarum gemmarum, quarum adhuc ignorantur nomina, quæ etſi magnæ non ſunt, pulchritudine tamen nullis cedunt. Addit item Imperatorem Dauidem habuiſſe in animo hoc admirabile, vt ita dicam, gemmarum textum, naturæ manibus in vno lapide fabricatum, Apoſtolicæ ſedi dono mittere, cùm Paulus III. dare illi in matrimonium Victoriam Farneſiam cogitabat: verùm ſicut ob ipſius Pontificis mortem initum matrimonium non eſt, ita neque donum miſſum. Hæc omnia ſcribit de Abaſſini Imperatoris opibus nouus auctor, & multa alia planè admiranda, tam promptè, tam conſtanter, & confidenter, ac ſi nihil eſſe verius queat. Ea tamen, & quædam alia, quæ de gemmarum compoſitoribus à magno Hetruriæ duce Franciſco Mediceo, in Æthiopiam miſſis, adiungit, ita perſpicuè falſa ſunt, vt ſuperuacanea ſit omnis refutatio. Quis enim tam hebeti erit iudicio, vt talia legens, non ſtatim videat fabulas narrari? Illud tantùm hoc loco dicam, quod veriſſimũ eſt, & à Michaele Caſtagnoſo

memoriæ

memoriæ proditum; quo tempore nonnullas imperij sui terras à rege Zeilæ occupatas Lusitanorum militum armis Preteiannes recuperauit, adeò thesauros nullos habuisse, vt cùm eorumdem militum quosdam, quibus erat in Indiam redeundum, remunerare cuperet, aliquot ipsis gemmas à matre, & ab aliis ad eam rem acceptas, veluti mercedis loco obtulerit, modestè inopiam excusans. At illi, inter quos Castagnosus erat, gratum regiæ voluntati animum exhibentes, dona recipere recusarunt. Quas verò in miserias, quantámque in egestatem, vt res humanæ sunt, hac tempestate Abassinus princeps deiectus sit, ex litteris eorum, qui in Abassia sunt, postea cognoscetur.

Vnde Abaßinorum Imperatorum feratur ductum genus.

CAPVT VII.

QVi à generali orbis inundatione Æthiopiam per longa secula imperio tenuerint, quibúsque appellati nominibus sint, auctores nonnulli scripsere: nec sunt veriti, quæ sub tantæ vetustatis latent tenebris, pro comperto tradere; adeò nihil est quod humana inquisitio inausum relinquat, aut intentatum. Non ausim ego tam altè inuestigare harum rerum exordia: neque à Chuso incipiam Chami filio, quem ferunt aui sui Noëmi iussu in Æthiopiam profectum, illius iecisse fundamenta Imperij, quod Abassinorum postea fuit. Illud quoque omitto libens, quod est à Iosepho Hebræo traditum, & ab aliis acceptum,

Mosem

Moſem Iſraëlitici olim ductorem populi, dum adhuc in Ægypto ſub Termutis filiæ Pharaonis tutela viueret, ſuperatis bello Æthiopibus, cum eorum regis filia matrimonium ſimulatè contraxiſſe, pérque annos aliquot in Æthiopia regnaſſe. Opinor longè hoc à veritate abeſſe, quemadmodum eiuſdem generis permulta, quæ hiſce de rebus quidam, vel ad libidinem finxere, vel ab aliis ficta minus cautè approbarunt, & literarum monumentis dederunt. Vetuſtiora relinquo. Proponam aliquid, quod etſi ipſum quoque ſatis vetuſtum eſt, vt tamen ab illa antiquitate magis remotum, ita forſitan videri poterit magis propinquum vero. Conſtans eſt Abaſſinorum non magis ſententia, quàm glorioſa quædam prædicatio, Imperatores ſuos ab Salomone Iudæorum rege genus ducere. Res ab iis accepta hunc in modum narratur. Inſula in Nilo eſt, nunc aliqui vocant Elſamam, aliter alij. Ioſephus ille, de quo ſuprà, nec pauci alij ſcribunt, eam à tempore Cambiſis Perſarum regis, à Meroe eiuſdem Regis ſorore, ibi defuncta, Meroem appellari cœptam, cùm antea Saba diceretur. Ab hac inſula, vbi tunc erat Æthiopiæ caput, profectam volunt Auſtri Reginam, ad tentandam per ænigmata ſapientiam Salomonis. Ab vrbe regia, vt aiunt, cum multo comitatu egreſſa Mazuam venit; conſcenſis ibi nauibus Erythræum mare traiecit, appulítque ad Arabicum littus, ex quo terreſtri itinere octo ferè dierum ſpatio, Hieroſolymam peruenit. A Salomone filium dicitur ſuſcepiſſe Melichum, ſeu Melilechum nomine. Hunc aſſerunt aliqui, ante matris in patriam regreſſum, in eadem natum vrbe Hieroſolymitana; & matre diſcedente in patris aula & cura relictum; ibíque ad ſeptimum vſque, aut octauum ætatis annum

ſedulò educatum, atque ad matrem poſtea miſſum. Scribunt alij, diſceſſiſſe Reginam conceptu grauidum,& in itinere puellũ peperiſſe, in Æthiopia apud ſe educaſſe, vigintíque agentem annos, cùm iam eſſet imperio aptus, Hieroſolymam miſiſſe, vt ei pater, & aliquid impertiret infuſæ ſibi à Deo ſapientiæ,& coram Arca teſtamenti diadema imponeret Æthiopici Imperij. Addunt inſuper, cùm ſceptrum Melilechus ſumpſit, aui ſui nomen ſimul ſumpſiſſe, & Dauidem vocatum; acceptíſque à Salomone patre duodecim viris, ſapientia & virtute præſtantibus, ſingulis ex ſingulis Iſraëlis tribubus, à quibus diuinam legem & ſacras literas edoceretur, in Æthiopiam cum duodecim Iudæorum millibus diſceſſiſſe. Ab hoc igitur Melilecho volunt Abaſſini, ſuos Imperatores ducere originem; neque illo ex tempore ad hodiernum vſque diem apud eos ex regia Dauidis ſtirpe defuiſſe, qui in Æthiopia imperarent. Hanc opinationem, quam ego apud Europæos ab Æthiopibus autumo natam, confirmat nouus auctor, ſed parum firmè. Argumenta ſunt, quòd ita eſſe in Abaſſinorum reperiatur ſcriptũ archiuis. Quòd & ſtemmata, quibus Æthiopicus vtitur Imperator,& tituli, quibus inſignitur, rem eamdem ſatis videantur indicare; leonem enim ipſi eſſe pro inſigni, cum hac inſcriptione, *Vicit Leo de tribu Iuda*; eóque reges Dauidem, ac Salomonem, totámque Iudæ tribum fuiſſe vſam. Tituli in ea videri poſſunt deſcriptione, in qua cùm Imperator genus declarat ſuum, ex Iudæ ſtirpe ortum ſe, dicit, Dauidíſque & Salomonis appellat filium. Illud etiam eidem firmandæ ſententiæ additur argumentum, quòd idem Imperator in vrbem Hieroſolymitanam, vti in paternum bonum, ius ſibi arrogat hæreditarium. Sed quanti

ti rationes istæ sint, haud libet expendere. Certum est, non minus incerta esse ex his quædam, quæ ad probandum assumuntur, quàm illa ipsa sunt, quæ proponuntur probanda. Nec mihi dubium, quin auctor iste, quæ in Abassinorum archiuis asseruari dicit rerum monumenta, numquam adierit; nec legerit librum, quem fingit sub hac inscriptione, *Historia Danidis, qui Melilechius aliter dictus est*, per vniuersam Æthiopiam lectitari. Militaria quidem huius Imperatoris signa cum effigie crucis leonem habere, nonnulli asserunt. Quod nouus auctor de inscriptione adiicit, etsi non credo, non tamen refuto. Scio Imperatores aliquot ex hisce recentioribus ad summum Pontificem literas scripsisse, nullo eorum proprio obsignatas sigillo, curatúmque à quibusdam Europæis in Abassia degentibus, vt aliquod ex Lusitania mitteretur, quod factum est. Non satis habet nouus auctor asserere per tot ætates, ac sæcula regium Dauidis sanguinem, perpetua virorum serie, in Abassinis Imperatoribus integrum hucusque atque inuiolatum permansisse; verumetiam ait, eosdem Imperatores semper diligentissimè curasse, vt eas haberent in matrimonio fœminas, quæ claritate generis, & auita sanctimonia maximè essent illustres. Ob hanc caussam lege fuisse cautum, ne vllus Imperator aliam vxorem duceret, quàm quæ ad vnum aliquem ex tribus illis regibus, qui iacentem olim in stabulo infantem Christum cum donis inuisêre, genus referret suum. Vnum quidem ex regibus nomine Gasparem, affirmat fuisse patria Æthiopem, Melchiorem Arabem, Balthasarem Persam. Gasparis posteros auitum regnum, quod erat Saba, cuiusdam Imperatoris iussu cum Bernagasso permutasse: qui autem ex reli-

quorum regum erant stirpe, eos sæuiente per Arabiam ac Persidem Arianæ hæreseos tempestate coactos fuisse solum vertere, regnísque relictis in Æthiopiam, in qua tunc integra ac sincera Christi fides erat, confugisse; ibi Imperatorem Ioannem, quem Sanctum Æthiopes vocant, Fatigaris regnum posteris Balthasaris, regnum Soæ Melchioris nepotibus dono dedisse. Ita factum, vt omnes, qui ex tribus illis sanctissimis regibus essent progeniti, in Æthiopia degerent; quorum masculis illud ait accidere mirabile, quòd ab ipso statim ortus sui primordio, in altero corporis latere stellam habeant diuinitus insertam; ídque adeò certum esse, vt anno Iubilæi 1575. ex tribus Magorum familiis tres Romæ visi fuerint adolescentes, in quibus illud stellæ signum à Gregorio XIII. Pontifice maximo, & à multis purpuratis patribus, aliísque principibus viris, qui religionis causa ad Vrbem concurrerant, obseruatum fit. Cæterùm hæc, & alia id generis à nouo auctore tradita, ob eam causam refero, vt intelligi ex iis queat, quam mereãtur fidem reliqua de Abassinorum rebus ab ipso scripta, quæ videri possunt legentibus probabilia. Et verò quod de Abassinorum Imperatorum narratur genere, ab Salomone per Melilechum deriuato, rectè, vt opinor, docti & graues auctores docent, fabellam esse ineptissimam, neque creditu, neque auditu dignam. Non sum nescius, sic apud incolas narrari, quod in illa, quam dixi, epistola Fernandius scribit. Sed ea Lusitanorum culpa fuit, quòd illam ab ipsis acceptam Abassinis facile crediderint, literísque mandarint. Qui refutatam volet, eos legat, qui de Salomonis rebus non ita pridem scripsere. Nobis hîc otium non est. Certè ex priscis scriptoribus, qui de Salomone, & regi

& regina Sabæ tam multa tradiderunt, ne vnus quidem est, qui hac de re verbum fecerit, non scriptores sacri, non Rabbini, non Iosephus Iudaicarum rerum auidissimus amplificator, non denique vllus alius, cui haberi fides queat.

Hæreditate, an electione fiat Abassinus Imperator.

CAPVT VIII.

PRoponam hîc breuiter, quæ apud varios histori-cos hac de re scripta legi. Sunt, qui dicant, Imperatorum filios ex ætatis prærogatiua solitos parentibus succedere: si filij desint, vnum deligi ex propinquis, non qui sit natu maior, aut mortuo Imperatori coniunctior, sed qui virtute cæteris excellat. Tradunt alij, liberum esse patri, quem velit ex filiis sibi decedenti substituere, nulla habita ætatis ratione. Apud alios est, rem hanc electione peragi; non ita quidem, vt ex vniuerso Æthiopum grege, aut ex qualibet eorum familia, sed ex imperatoria dumtaxat Imperator deligatur. Paucis hîc referam, quæ plurimis de hac electione nouus auctor componit. Describit primùm montem Amaram, quem indicat à terrestri paradiso diuersum non esse. Illum certè reliquis orbis terrarum locis longè antefert; paradiso verò ipsi, bonorum omnium vbertate, varietate, copia, rebúsque aliis, in quibus commendatio est, prorsus exæquat, si tamen ab eo differt. Monet deinde, Franciscum Aluarum, Lusitanum Sacerdotem, de quo dictum suprà, quíque montem vidit, cùm multa de illo scripserit, nihil ferè

ſcripſiſſe,quod non abhorreat à veritate. Fuiſſe autem facile hominem decipi,quòd eſſet peregrinus,& Æthiopici ignarus idiomatis. Sibi tamen omnino vult haberi fidem,eo quòd omnia,quæ ſcribit, à ſuo illo,de quo dixi,anteſignano cum cura acceperit, & ex fide referat. Ait ergo montem iſtum in media ſitum eſſe Æthiopia,Æquatori ſubiectum;figuram habere circularem; æquabili camporum planitie per octoginta circiter paſſuum millia in orbem circumdari;ſic eſſe editum,vt dies integer ad aſcenſum neceſſarius ſit;ita natura munitum,vt duro viuóque ſaxo vndique cingatur;ſic extima parte,qua ſaxeus eſt, læum, lenémque,vt humana induſtria & arte videatur politus. Saxum verò, quod móntem ambit, vbi ad ſummum peruenit, omni ex parte æqualiter prominere, labrúmque efficere,quod vndique mille paſſibus foras prodit, & à parte externa aſcenſum ad montem penitus impedit;huic labro murum eſſe impoſitum affabrè & eleganter factum,ne incluſæ intra montem feræ,dum venatores fugiunt, ad extremitates cæco impetu delatæ ex alto præcipitent. In montis cacumine latiſſimum effundi camporum æquor, pluſquam viginti continens in orbem leucas.Hoc in æquore meridiem versùs molliter collem exurgere, qui ſpeculæ inſtar cuncta circum loca, quibus nihil eſſe queat aſpectu iucundius,oculis ſubiiciat.Eodem in colle fontem erumpere perennibus pellucidíſque affluentem aquis;& varios diuiſum in riuulos, multiplici mæandro arua,prata, hortóſque irrigare;ac tandem,collectis rurſus hinc inde liquoribus, ad montis radicem præcipiti lapſu ex alto defluere, & lacum modicum efficere,ex quo fluuius exit,non longo inde locorum ſpatio ſuos cum Nilo latices permiſcens.

Nullam

Nullam prorſus eſſe ad hunc montem viam, cùm turris in modum æqualiter vndique erigatur. Vnam duntaxat portam eſſe, vt in arcibus ſolet, qua ingreſſus pateat; eámque & forma pulcherrimam, & materia robuſtiſſimam, & valida militum manu optimè munitam. Ab hac parte cochleam ſine gradibus, in ipſo excauatam ſaxo, variis hinc inde feneſtellis lumini peruiam, in ſublime ferri; ita latam & aſcenſu facilem, vt ab imo ad ſummum nullo negotio euadant equi. In medio cochleæ fabricatam ipſo in ſaxo patentem aulam, tribus illuminatam feneſtris. Hìc rurſus aliam eſſe portam à militibus aliis cuſtoditam, per quam ad montis verticem exitus eſt. Nullum reperiri in toto monte oppidum, nullum pagum, aut vicum, ſed quatuor & triginta perampla palatia magnificentiſſimè conſtructa, locíſque latè diuiſa, in quibus cum familiaribus ſuis habitant Imperij principes. Milites, & quicumque ſunt alij, qui montem incolant, tabernacula habere, ac tentoria pro arbitratu mobilia. Duo eſſe vetuſtate, magnificentia, & artificio miranda delubra. Ante Sabæ Reginæ tempora vnum ex iis dicatum Soli, alterum Lunæ fuiſſe. Sed à Reginæ Candacis ad Chriſtum conuerſione, quod Solis erat, Spiritui ſancto, quod erat Lunæ, ſanctæ Cruci fuiſſe conſecratum. Duobus hiſce templis adiuncta eſſe cœnobia duo, Magni Antonij Archimandritæ ſignata nomine, & ſtatutis adminiſtrata; mille & quingentos in vnoquoque religioſos viuere, partim monachos, partim equites, partim familiares, domeſticis addictos miniſteriis, & à ſacrorum functionibus alienos. Eſſe in eodem monte hortos amœniſſimos, floribus herbíſque odoriferis, & arboribus conſitos, mira varietate commendatis: quaſdam

enim arbores vmbræ, alias aſpectui, alias guſtui inſeruire;nec paucas eſſe, quas nulla ferat pars reliqui orbis. Cum hiſce numerari illam, quam Cubaium vocant; eius fructum eſſe malocotoneo magnitudine ſimilem,intus album, foris croceum; comedi vt ſorbam, cùm matureſcit; fructus omnes, quos terra gignit,ſalubritate ſuperare; reſtituere vites, & in longum vitam protrahere. Plurimos in eodem monte fontes eſſe,arte & natura eximiè ornatos;plurima genera auicularum,modulatè canentium,quas & verſicolores pennæ ita conueſtiunt, vt videri nihil poſſit elegantius;roſtra, criſtæ, barbæ,quædámque ſimilia iſtis ignota locis, ita diſtinguunt,vt nihil eſſe queat peregrinis mirabilius. Nulla hîc venenata gigni animalia, non beſtiolas viſu turpes, aut tactu moleſtas, non ſæuas,aut noxias animantes:ſed illas tantùm,quę humanis vſibus, & venationi ſunt accomodæ. Hic mons ille eſt, vbi nouus auctor dicit, & Preteiannis threſauros ſeruari, & bibliothecam eſſe, qua nulla ab orbe condito fuit, aut erit vmquam librorum numero,aut antiquitate, aut præſtantia, aut dignitate par; de qua nos aliquid poſtea referemus. Ait nulli aduenæ hunc montem aſcendere, vel adire conceſſum: ab eo quoque arceri fœminas, & à tempore Reginæ Candacis, quæ cum Eunucho Indica illuc eſt introgreſſa, vt Imperij principes inibi tunc commorantes luſtrali aqua mundaret, ad hunc vſque diem nulli alij fœminæ ingreſſum patuiſſe. Ait præterea, omnes Imperatoris filios vbi octauum ætatis attingunt annum, ad hunc montem deferri;ibi educari,ibi adoleſcere, nũquàm inde egredi,ſed tamdiu perſiſtere,donec vel ad imperatoriam euehantur dignitatem,vel reddant naturæ debitum. Affirmat autem, conſuetudinem hanc

impera

imperatorios pueros in monte Amara includendi, ab Iosue Salomonis, & Reginæ Sabæ nepote fuisse institutam. Cùm verò postea Imperatores aliqui, naturali filiorum amore emolliti, eam intermisissent, Imperatorem alium nomine Abrahamum, cœlesti monitum oraculo, eamdem iterum reuocasse. Principes, qui in hoc Amarano siue paradiso, siue carcere communiter degunt, aliquando esse sex, nonnumquam octo, quandoque duodecim, & plures. Vnumquemque suos habère famulos, súumque palatium mille diuersi generis, atque ingentis pretij peripetasmatis pulcherrimè exornatum; ex quo, si velit, ad simile aliud possit transmigrare. Esse enim, vt dixi, quatuor & triginta magnificentissimè præparata. Conuenire eos inter se, quoties lubet, vt vel de rebus variis ferant sermones, vel tempus fallant ludo, vel deambulatum eant, aut venatum, vel quid præstent aliud, quod ipsis placitum. Debere omnes rei diuinæ simul interesse, nisi quem morbus præpediat: ad id in destinatum locum conuenire; magno inde ministrorum & cæremoniarum paratu in templum pergere. Plurima huius generis scribit idem auctor, quæ non vacat referre. Videamus iam quonam modo iuxta eius sensum ex his principibus Imperator deligatur. Ita rem proponit. Vbi mortuo parentatum est, vt successoris electio prosperè succedat, indicitur toto Imperio triginta dierum ieiunium, quod nemo, cuiuscumque sit status, & conditionis, debeat violare. Diebus iisdem de Spiritu sancto per omnia delubra sacrum fit. Interim supremus Senatus, penes quem in hoc interregno absoluta est imperij gubernandi potestas, statuit, vt quatuor ex iis regibus, qui Imperio subditi sunt, vt tres itidem Patriarchæ, totidem Ar-

chiepiscopi, tres Episcopi, omnes demum, qui tunc in Curia sunt cæterorum regum legati, in montem Amaram illicò proficiscantur, quo possint noui Imperatoris electioni interesse. Vetitum his, dum ad Amaram pergunt, vllum ad oppidum diuertere. Patente in campo debent esse sub tentoriis, ac tabernaculis; ibi ipsis abundantissimè suppeditantur omnia, quæ ad victum necessaria. Postquam ij ad radices montis conuenere, legatus magni Abbatis, qui totius ordinis sancti Antonij magister est, coram adest, & certum ad electionem designat diem. Eo adueniente Imperatorij principes, qui in monte sunt, conueniunt inter se, & ad cœnobium Spiritus sancti vnà tendunt, ibíque animos confessione expiant, ac cœlesti cibo confirmant. Id vbi factum, ad suum quisque deducitur palatium, in quo veluti in conclaui, ita clauduntur, vt adiri, aut videri ab externis, vllúmve nuntium vel ad aliquem mittere, vel ab aliquo accipere, nullo modo queant. Id verò vt incorruptè seruetur, custodes quidam, quibus id negotium seriò commissum, diligentissimè curant. Reductis ad palatia, & conclusis inibi principibus, tunc verò Reges, Antistites, & cæteri ad electionem vocati, qui ad radices montis præstolantur, intro recepti, montem ascendunt, & sancti Spiritus cœnobium petunt. In eius cœnobij templo, aptis ad præsentem celebritatem induti vestibus, suo quisque sedet loco. Abbates duo, ad quos Imperatoris pertinet electio (ii sunt, qui Spiritus sancti, & sanctæ Crucis cœnobiis præsunt) sua habent in medio templo subsellia. Cum iis duo alij sedent eorumdem cœnobiorum Abbates, quos vocant militares, quòd sint equitibus præpositi, & duodecim insuper ex iisdem familiis consiliarij. His compositis legatus

gatus magni Abbatis, qui totius ordinis, vt dixi, magister est, templum ingreditur, atque inter mediam sedens concionem, pauca quædam de electione præfatur. Tum Patriarcha vnus, is nimirum, qui ad sinistrum sedet altaris cornu, hymnum quemdam, in quo eadem, quæ in illo, *Veni creator Spiritus*, est sententia, iubet Spiritui sancto Chaldaica lingua decantari. Eo finito ordinis magister accersit ad sese Abbates electores, & aperto Euangeliorum libro iureiurando adigit, vt omni improbo animi affectu prorsus deposito, integrè ac sincerè ad interrogata respondeant, nihílque aliud in ipsa Imperatoris electione respiciant, nisi quod gratum Deo, & communi Imperij bono perutile fore iudicarint. Rogat igitur primùm, quot sint in illo monte Imperij principes, ex regia stirpe Dauidis profecti. Deinde quam eorum quisque habeat ætatem. Postremò, ad quæ vel proni sint mala, vel propensi bona; quibúsque aut infecti vitiis, aut præditi virtutibus. Vbi hæc expedita; Abbates electores procumbunt in genua, eósque quidam alius Patriarcha, cui id munus datum, contenta voce, ita breuiter alloquitur. Vobis, Patres, hi Principes probè noti sunt, illorum enim, & pædagogi estis, & magistri. Non ignoratis, quonam illorum propendeant ingenia, quibúsque instituti moribus sint; rectè etiam tenetis, quo res Imperij sint in statu, & qualem exigant Rectorem. Ex iis ergo vnum deligite, quem creditis ad imperandum aptiorem, qui non suis, sed suorum seruiat vtilitatibus, ídque rebus in omnibus potissimum sectetur, quod viderit æterno Imperatori magis acceptum. His dictis, Abbas Spiritus sancti, cuius primæ in hac electione partes sunt, eum nominans, quem magis idoneum iudicat. Hic, inquit, ta-

les

les habet animi dotes,talia virtutum decora, & morum ornamenta;ob hanc cauſam dignum cenſeo,qui præferatur cæteris, & Imperij accipiat gubernacula. Meo igitur illum ſuffragio creo,declaróque Æthiopicum Imperatorem. Poſt hæc Abbas ſanctæ Crucis ſuam profert eadem de re ſententiam. Et verò ſi cũ alio Abbate conuenit,Imperator eſt, quem conſenſu legunt: ſin autem alium iudicat præferendum, quod numquam adhuc contigit, ad Abbates militares, & duodecim conſiliarios res defertur: íſque Imperator fit, quem ipſi creant. Eo autem creato Patriarcha idem electoribus præcipit, vt electum principem adeant,& in templum ducant. Ita faciunt. Palatium ingreſſi,paludamento quodam, ſancti Antonij inſignibus diſtincto,Principem induunt,mediúmque recipientes ducunt in templum,& à quo ſit Imperatore genitus, coram omnibus patefaciunt. Tum princeps is ante aram maximam flectens genua, dicentem audit Patriarcham, cuius talis fertur eſſe oratio: *Inclyte Princeps, te Spiritus ſanctus elegit, vt nobis imperio & auctoritate præſis. Idem te diuinus Spiritus regat,gubernet,illuminet,& cuncta doceat, quæ ad munus tibi impoſitum riiè ac rectè obeundum neceſſaria ſunt. Suam quoque tibi impertiat gratiam, vt quàm longiſſimam vitam proſperè traducas,atque omni & ſpiritualium & corporalium bonorum genere cumuleris.* Ab hac precatione magni Abbatis legatus,detracto paludamento, geminam principi togam induit. Interior bombycina eſt coloris albi,ad talos vſque demiſſa;poſterior cærulei,laciniata ſubſuta purpura, aureíſque intexta ſtellulis. Illa candidos in ipſo mores deſiderat, vitámque ſine fallaciis,atque dolis, & ab omni alienam fuco. Hæc cœlo ſimilem réquirit, & aurea incenſum

cenſum charitate. Talibus induto principe veſtibus, aureum Patriarcha monile, aureis quoque ſtellatum bullis, cum pendente inæſtimabilis pretij gemma, in qua Apoſtoli Matthæi Æthiopiæ protectoris ac patroni inſculpta effigies, in manus accipit, atque eius collo iniicit. Mox aureum capiti imponit diadema gemmis diſtinctum. Aureum item porrigit ſceptrum in crucis ſpeciem efformatum. Huic enim ſolùm principi inter omnes, quotquot in toto orbe ſunt, crux eſt pro ſceptro. Hiſce Imperator decoratus inſignibus, poſtquam eſt ab eodem Patriarcha fauſtis precationibus ex veteri ritu diuinæ commendatus prouidentiæ, editum aſcendit ſolium, miro cōſtructum opere, vmbellæque ſuppoſitum magnificentiſſimæ. Eo ſedente, quatuor illi reges, ſuam quiſque rem manibus geſtans, ad ſolium accedunt. Enſem primus diſtrictum tenet; Alter demortui hominis caput, impoſitum pateræ; Tertius vas terra plenum; Quartus foculum cum igne. Quibus ordine diſpoſitis, Patriarcha rem quamlibet per ſe ſumens, manúque tenens, quid quæque ſignificet, longiſſima oratione explicat, de humána diuinâque iuſtitia diſſerens multa, de fine rerum humanarum non pauca, multa de charitate principis in ſubditos, multa de felicitate perpetua iuſtis conferenda, déque æternis Inferorum flammis, quibus non minus regum, quàm hominum cæterorum ſcelera puniuntur. Poſt hæc à ſellis ſurgunt omnes, è templo exeunt, & vicinum periſtylium ſolemni pompa luſtrant ſupplicātes. Hic autem procedentium ordo. Præit quidam de numero equitum: pectus illi tectum thorace ex elephanti confecto pelle; phæcaſiis pedes; ſuræ purpureis atque auratis indutæ cothurnis; ſub ſericum geſtat vexil-

lum

lum coloris crocei, in quo depicta Imperij stemmata, niger nimirum leo pede dextero anteriori rubram tenens crucem, cum Æthiopica inscriptione, quam latinè reddes, *Vicit Leo de tribu Iuda, Æthiopia præueniet manus eius Deo.* Vexilliferum clauigeri sequuntur quatuor; aureæ illis in manibus clauæ; vestes humeris attalicæ ad mediam demissæ tibiam; capitum tegmenta polymita; tres in iis potissimum colores, candidus, cæruleus, ruber; addita plummea crista miræ pulchritudinis. Post clauigeros procedunt viri sex, ætate maturi, dignitate senatores, rectoribus vrbium officio pares. Hos togæ tegunt, coloris atri, quibus longæ laxæque manicæ; tales videntur, quales qui Venetiis dicuntur S. Marci Procuratores. Capita illis pilei operiunt, iis figura similes, quos Venetiarum vtuntur Duces; sequuntur regum legati; dein magni Senatus consiliarij; postea Reges: tum cum Patriarcha Imperator, dextram partem tenens, cui vestis sinum colligit magni Abbatis legatus. Postremò agmen claudunt quatuor illi cœnobiorum tum spirituales, vt vocant, tum militares Abbates, atque eorum consiliarij, hymnos, & psalmos, & quædam alia hunc in finem comparata decantantes. Perlustrato semel peristylio, reditur in templum; vbi rursum Imperator solium ascendit, simúlque reliqui suas repetunt sedes. Post hæc sex illi Senatores, vnà cum quatuor Abbatibus, atque eorum consiliariis, ea se conferunt in palatia, quibus Imperij principes sunt inclusi, eósque militaribus sancti Antonij indutos vestibus deferunt ad Imperatorem; ad quem bini accedunt venerabundi, ipsíque manum deosculantes fidelitatis & obedientiæ iusiurandum præstant. Idem post eos faciunt, primùm reges, cœnobiorum deinde præfecti,

fecti, & eorum consiliarij, tandem regum legati. His expeditis dimittitur concio. Ad ædes Abbatis Imperator, ad alia loca diuertunt alij; & quod est diei reliquum, cum sequenti nocte priuatim transigunt. Hæc nouus auctor de Abassini Imperatoris creatione, quæ falsitatis vitio laborare, sicut & plura alia eòdem spectantia, quæ deinceps subdit, perspicuum est. Quod ad rem ipsam attinet, non est expeditu facile, quid olim fieri consueuerit: quid autem nunc fiat, haud est ambiguum. Certò scimus, quod apertiùs postea monstrabitur, euehi nunc ad Imperium, qui legitimum Imperatorem vita functum cognationis iure propius attingit, nisi ab aliquo conspiratore præpediatur. Præpediri autem non rarò solet, idque ex innata oritur facilitate, qua gens vniuersa ad coniurationes fertur esse proiecta. Hinc enim multa per hosce annos inter consanguineos exorta de Imperio bella; ac non ita pridem inter Iacobum, & Sacinum patrueles, postquam vltimus ante illos Imperator in bello occubuit. Hac igitur tempestate si ius spectetur, constat hæreditate, non electione, acquiri Imperium; semper ita fuisse, non ausim dicere, sed probabilius. Quæ hac de re in antè memoratis Antonij literis scripta reperi lubet subiicere. Israëlis, inquit, nomine appellantur omnes, qui de imperatoria stirpe sunt. Nec vllus, nisi Israël, hoc est, ea de gente assumi potest ad Imperij fastigium. Ob hanc causam ne masculus vmquam ex hac progenie desit, qui Æthiopicum teneat principatum, curatum iam olim, vt imperatorium semen diligentissimè seruaretur. Plurimi igitur ex eo etiam nunc in quadam prouincia degunt; altos ibi habitant montes, agros colunt, armenta & pecora pascunt. Si quando contingit, vt nemo

super

ſuperſit,qui defuncto ſuccedat Imperatori,ex ruſticis illis eligitur vnus,& ſummo in ſolio collocatur. Quãquam verò Imperatores vnam dumtaxat legitimam habent vxorem;omnes tamen eorum filij,ex damnato licet nati conſortio,patria ſiue lege, ſiue conſuetudine parentibus ſuccedunt. At is plerumque regnat, qui plus vi poteſt;has enim apud gentes, vti & apud non paucas alias,regnandi ius in armis eſſe creditur. Quæ de monte Amara tam portentoſa & inaudita idem auctor ſcribit, quorum ne partem quidem minimam attigiſſe videor,valde ignorans erit,qui commentitia eſſe non intelligat. Quæ nobis tradiderunt, tum Abaſſini hac de re ſine fuco loquentes, tum alij externi,qui ea loca peragrarunt, ipsúmque montem ſunt ingreſſi,& attentè contemplati, longè aliter ſe habent. Dicunt,præaltum eſſe,& ſitus natura munitum,atque in orbem efformatum. Quæ in cacumine planities eſt,non leucas pluſquam viginti, vt ille ait, ſed leucam circiter continere vnam;non item triginta quatuor ibi eſſe palatia, ſed ædes tantùm vnas, nec opere pulchras, nec aptè inſtructas. Aquam nullam, præter pluuialem exceptam ciſternis in ſaxo excauatis. Cœnobium,quo tempore montem adiit Michael Caſtagnoſus,vnicum erat, & ad quinquaginta ſex in eo religioſi. Quæ fruges ex ſeminato ſolo ſingulis annis colligi poſſunt,vix homines mille ſufficiunt alere. Eſt ibi pro terreni portione ouium,gallinarum, anſerum, & occharum abundantia. Bibliotheca nulla, vt dicam poſtea; nulli neque auri, neque gemmarum theſauri. Arceri ab ingreſſu fœminas,& externos homines, planè falſum. Quando enim Chriſtophorus Gama ad illum locum cum exercitu acceſſit, Emanuelem de Acugna, & Franciſcum Vellium, Luſitanorum

norum militum præfectos, cum aliis in monté misit, vt reginæ Claudij matri, cum tribus filiis, vno masculo, & duabus fœminis, grandíque ancillarum cœtu, annos iam quatuordecim ibi degenti, aduentum suũ nunciarent; & ad colloquium descendentem comitarentur. Hi duo præfecti aduenæ erant, & montem sunt ingressi, omniáque lentè & attentè lustrarunt oculis, ac sine fallaciis tradiderunt. Sed vereor, ne auctor iste dicat, nihil eos rectè potuisse obseruare, quia Æthiopici idiomatis erant ignari: nam & in Frãcisco Aluaro linguæ accusat imperitiam, & ex ea ortum asserit, quominus obseruare rectè potuerit, quæ oculis perspexit; quasi in Æthiopia non oculi tantùm, sed os etiam atque lingua ad videndum requirantur.

Vbi sit Abaßini Imperatoris sedes.

CAPVT IX.

APud diuersos auctores diuersa reperiũtur hac de re literis tradita. Iouius in Xeuana eum prouincia constituit, quòd illa soli vbertate, cœli temperie, hominum ingenio cæteris Æthiopiæ regionibus excellat. In eadem multas ait esse Imperatori regias, & augustiora delubra. Apparet, ex hac prouincia fuisse Petrum illum Abassinum, à quo se Iouius hisce de rebus instructum dicit. Apud alios legi in regno Cafatis Imperatorem esse. Ex his nouus auctor est, qui hoc in regno illum ait incolere vrbem pulcherrimam, ac florentissimam intra torridæ Zonæ latitudinem; quatuordecim ab Æquatore, versùs Austrum, dissitam gradibus; Zambram vocat. Celeberrima, in-

quit, vrbs Zambra eſt. Incolarum numero, & ædificiis longè præſtat cæteris, quæ tota ſunt in Æthiopia. Triginta mille complectitur domos, ingentem in his habitantium multitudinem. Qui ad eam vndique perpetuò confluunt, numerari non poſſunt. Eſt in regno Cafatis prope Cafatem lacum, qui & vulgo lacus Zambræ ex ea dicitur. Quoniam verò omni rerum genere abundat, idcirco Abaſſini Imperatores, arua tandem, campóſque & peregrinationes exoſi, ſedem ibi Imperij collocarunt. Habet latas, & rectas, ac ſpatioſas plateas; muros præaltos; firma propugnacula; amplas & magnificas ædes; delubra multa, & miro opere exornata; inter hæc imperatorium palatium eſt, & ſpecie pulcherrimum, & maieſtate auguſtiſſimum, & magnitudine ampliſſimum. In eo Preteiannes ipſe habitat cum ſubditorum ſibi regum filiis natu maioribus, & Auguſta cum duabus & quadraginta regum filiabus, carúmque pediſſequis: habitant etiam vtriuſque Senatus, Magni ſcilicet & Latini Conſiliarij, de quibus dicam poſtea. Ad annum ſalutis milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum ædificata eſt. Peritiſſimi illam architecti & opifices delinearunt, atque erexerunt, quos ea de cauſa magnus dux Hetruriæ ad Alexandrum III. Imperatorem in Æthiopiam miſit. Huius vrbis forma eadem illa, quæ Florentiæ in Italia eſt. Æquabili iacet loco, & longa vndique præcingitur camporum planicie. Amœniſſimos habet hortos, fontéſque plurimos, & optimis ad potum aquis ſcaturientes. Cœlo gaudet temperato, læto, ſereno, ſalubri, in quo neque vmquam coguntur nubes, neque concreſcunt nebulæ, rarò pluuiæ gignuntur. Portus illi capax, & opportunus in lacu Cafate, ex quo ingens egreſſus amnis,

mnis, vrbẽ totam circumfluit, paululúmque decurrẽs, & Aquilundæ fluuio commiſſus, meridiem verſus ſalſis Oceani fluctibus dulces latices cõiungit. Quidquid ad hanc vrbem pertinet ad humana vota explenda credas comparatum. Si venatio expetatur, non procul ſaltus ſunt, omni genere ferarum abundantes. Si placeat aucupium, plurimæ diuerſæque in vicinis agris ac ſyluis auium ſpecies; ſi piſcatio delectet, Caſates adeſt omni piſcium varietate refertiſſimus. Si quid ergo eſt, quod in humanis rebus ſiue ad vſum, ſiue ad voluptatem optari queat, id Zambra, & ea quę circa Zambram, cumulatè ſuppeditant. Hæc & alia auctor ille de ſua Zambra, quam poſſet aptiùs Nuſquamiam appellare, quòd nuſquam ſit. Aduertit autem, licèt Preteiannes his temporibus intra vrbem degat, ſemper tamen in vicinis campis, more priſtino, Auguſtale habere, quod ſimul ſeptem mille & quingenti pedites, ab Imperij ciuitatibus miſſi, & ex militari magni Antonij ordine ſex equitum millia vndique circumſtant: at præter hos alia ſex equitum millia ex eadem Magni Antonij militia ad Imperatoris cuſtodiam in vrbe conſiſtere. Hæc omnia, & quædam alia, quæ de quodam Zambræ amphiteatro lacui Caſati vicino, de ludis ferarum, magno totius aulæ concurſu & celebritate committi ſolitis, déque ſexcentis aliis eiuſdem generis idem auctor ſcribit, commentitia ſunt, ad ingenij magis oſtentationem, quàm ad veritatis cognitionem compoſita. Neque enim in tota Æthiopia vrbs vlla eſt, quæ Zambra dicatur. Numquam is fuit, de quo ſæpiſſime loquitur, Alexander I I I. Imperator. Etiam nunc in caſtris Imperatores habitant; quamuis in regno Dambeæ nonnumquam ad vrbem diuertant, cui Gubay

nomen: sed ea vrbs nec magna est, nec visu pulchra, nec illas habet ad vsum vitæ, & animi oblectationem, quę ab auctore finguntur, commoditates. Ostendam nunc, quod in hac parte caput est, numquam apud Abassinos extitisse Imperatorem illum Alexandrum, de quo nouus auctor tam multa scribit, quémque plurimis operis sui locis mirificè commendat. Ait inprimis hunc Alexandrum mortuo Panusio accepisse Imperij habenas: Panusium autem Naumo successisse. Sed constat, Naumum patrem fuisse illius Dauidis, qui eo tempore, quo Rodericus Limacum Francisco Aluaro, & aliis triginta comitibus ex mandato Emanuelis Lusitani Regis Abassiam adiit, adolescens imperabat, & ad Clementem VII. atque ad ipsum regem Lusitaniæ sub idem tempus legatos misit. Rursum cùm de fundatione agit Romanæ domus sancti Stephani, quæ, vt ait, Indorum dicitur, eumdem Alexandrum asserit successisse in Imperio Menæ; qui Menas, vt paulo pòst dicam, Adamas etiam vocabatur. Si fortè dicat Panusium etiam fuisse binominem, nec alium, quàm Dauidem Naumi filium (cuius tamen assertionis nullū poterit laudare auctorem) quonam pacto tuebitur, Menam, & Panusium non fuisse diuersos, cùm Menas hic, qui alius esse non potest, quàm Adamas, Dauidis fuerit filius, & Claudio fratri, anno prope vigesimo post mortem patris, in Imperio successerit? Loco alio scribit, hūc Alexandrum obiisse diem quo tempore viginti quatuor, vt ait, legati ad Pium V. ab eodem Alexandro destinati, sedente Gregorio XIII. Pij successore Romam peruenerunt: alibi tamen affirmat, eumdem Alexandrum anno millesimo sexcentesimo sexto è vita cessisse; quam inter mortem, & primam illam, anni intercessere circiter triginta.

triginta. Scribit præterea hunc Alexadrũ anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo pepulisse omnes ex suis regnis Iudæos, & lege cauisse; ne quis eorum de genere pedem ampliùs in Æthiopia poneret; qui secus facere deprehenderetur, perpetuæ illum seruitutis pœnam incursurum. Iterum verò alibi asseuerat, eumdem Alexandrum eo ipso septuagesimo anno eiecisse tandem ex omnibus Imperij locis quotquot in iis erant per totam maritimam oram vsque ad Bonæ-spei promontorium de stirpe Saracenorum; & ea ratione Mahumetanis sordibus adeò terras suas perpurgasse, vt Imperium illud numquam antea, cunctis retro seculis, ad tantam magnitudinem & felicitatem sit erectum. Quando autem hæc contigisse narrat, adeò lapsum erat Imperium, vt nullo antè tempore maiori fuerit miseriarum mole depressum. Sed quid opus in re facili immorari? Qui credere potuerit, hunc Alexandrum bis fuisse natum, bis mortuum, bis in Imperio successisse, & fecisse plurima, quæ numquam facta sunt; is etiam credat, eum aliquando extitisse, & Æthiopiam gubernasse. Cæterùm neque ab annis prope sexaginta, quo ex tempore Religiosi Societatis in illis Abassiæ regionibus commorantur; neque à centum, & amplius, cùm easdem peragrare Lusitani cœpere, talem inibi Imperatorem fuisse, omnino compertum est. Nam quo tempore Rodericus Lima Lusitani Regis legatus Preteiannem conuenit, gubernacula Imperij tractabat Dauid, de quo dictum suprà. Vixit hic in Imperio annos triginta sex. Secutus deinde est Claudius eius filius, qui annos prope viginti rerum potitus, anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo nono in bello occubuit. Claudio successit Adamas, siue Mena, eius

frater, qui quatuor tantùm imperauit annos, & millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Februario mense abiit è viuis. Post Adamam tenuit Imperium Sarsa Denghel eius filius, qui Malac Seguetus, relicto priori nomine, voluit appellari, & ad annos Christi mille quingentos nonaginta sex, cùm priùs tres & triginta imperasset, naturæ concessit. Huic filius successit natu paruo, Iacobus nomine, qui post annos septem à suis captus, atque in Nereæ regnum missus cessit imperio, quod quidam eius frater patruelis armis occupauit. At hic vix vno exacto anno cùm mille sexcenti & quatuor Christi nati agerentur, occisus à suis est. Rediit ad Imperium Iacobus, ex quo alterum post annum ab alio fratre patruele, cui nomen Sacinos, expulsus in bello occubuit. Satis constat ex hac Imperatorum serie, quam plurimis nostrorum Patrum literis certam esse scimus, longè esse à vero abhorrentia, quæ sunt de Alexandro illo tertio à nouo auctore composita. Sed eò forsitan confugiet, vt asserat Imperatorem illum, qui anno viuebat quingentesimo septuagesimo supra millesimum, plura habuisse nomina, & ex his vnum fuisse illud Alexandri, quod tot locis tanta ab ipso magnificentia celebratur. Nihilo tamen secius nodos, quibus se irretiit, neque hoc modo dissoluit. Is quidem, qui tunc temporis imperabat, Adamæ erat filius; ante aditum Imperium Sarsa Dēghel, postea Malac Seguetus, vt dixi, appellatus. At hic neque Naumo successit, qui ante annos circiter septuaginta decesserat; sed patri Adamæ, seu Menæ, sub initium anni millesimi quingentesimi sexagesimi tertij; neque obiit tempore Gregorij XIII. Pontificis maximi, nec proinde anno sexcentesimo sexto supra millesimum, sed millesimo quingentesimo nonagesimo

ſimo ſexto, annis ſcilicet vndecim poſt obitum Gregorij, totidem ferè ante ſextum & ſexcenteſimum; neque vllos Romam legatos miſit, vt ſuum Pontifici offerret obſequiū, & Romanæ ſedis auctoritatē profiteretur; quippe qui parētum ſuorum ſecutus veſtigia, hæreticis ſemper opinionibus adhæſit: neque Iudæos, aut Saracenos ex Imperio eiecit, cùm eo tempore, quo eiectos nouus auctor fingit, & annos antè ſeptē, decémque, aut vndecim poſtea ita fuerit ciuilibus bellis, aſſiduíſque ſuorum conſpirationibus oppreſſus, vix vt vmquam, dum vixit, reſpirare potuerit. Imò per eadem tempora vna ex parte Galæ domeſtici hoſtes, ex altera finitimi Turcæ ingentes ſæpius in toto Imperio ſtrages ediderunt. Iam verò quod ait, ſuum illum Alexandrum, Ouiedi ſuaſu, Latinum quemdam Senatum, in quo res ad Europam ſpectantes tractarentur, de nouo inſtituiſſe, eíque ipſum Ouiedum præfeciſſe, haud poteſt cum veritate cohærere. Seguetus enim ab eo ſtatim tempore, quo imperare cœpit, vſque ad mortem Ouiedi, à Tigrenſi regno, in quo Ouiedus erat, vnius ſaltem menſis itinere ſemper abſens fuit; totóſque ipſos ſedecim, aut ſeptemdecim annos, quos idem Ouiedus Segueto imperante vixit, neque Imperatorem vidit, neque vllas ad eum literas dedit; quod ipſe eiúſque ſocij ad Goanos, & Europęos patres non ſemel ſcripſere. Addendum inſuper neque Alexandrum illum, qui numquam fuit, neque Imperatorem alium, qui temporibus illis fuerit ex Æthiopia Iudæos pepuliſſe: quin etiam ipſos Abaſſinos Moſaicam legem cum Chriſtiana coniungere; & plurimos adhuc apud eos degere genere, & ſecta Hebræos, vt iam dictum eſt, & iterum dicetur. Quod ad Saracenos attinet, nihil dici poteſt à veritate diſtan-

tius,quàm quòd eiecti omnes ab Æthiopia ſint,quotquot per oram maritimam vſque ad Bonæ-ſpei promontorium illas occupabant regiones. Quis enim vmquam Preteiannis ditionem ita latè extendit, vt promontorium illud ad eam ſenſerit pertinere?Nam etſi olim aliquot in Erythræo mari portus tenebat, quos tamen omnes vi & armis Turcæ occuparunt; Oceani quidem fines numquam ditione attigit; neque principes illi, qui iis in locis, multóque minus, qui in inſula Madagaſcare, dominabantur, ipſi vmquam ſtipendiario iure fuere obligati. Sed iam commentitio hoc Alexandro tantarum támque mirabilium rerum patratore omiſſo,ad rem propoſitam redeamus. Reperio Abaſſinum Imperatorem,cùm res Imperij florerent,in caſtris & tentoriis habitare, atque infinita hominum ſtipatum multitudine huc & illuc vagari ſolitum;cùm imperatoria celſitudine,& dignitate(ſicut olim Arabes,Perſæ, & Parthi) reputaret indignum,in vrbibus commorari. Vbicumque tamen ponebat caſtra,vrbs derepente ex holoſerica varij generis & coloris materia,vt ferunt, conſurgebat,qua nulla ex cæmento & calce, ex latere ac ligno multos per annos ſtrui poſſet elegantior,aut architecturæ legibus magis conſona. Erant ſuis quæque locis aptè diſpoſita,cælitum delubra, ædes, officinæ,tabernæ. Nulla munerum perturbatio,nulla in operibus confuſio. Nemo ignorabat ad quam cœli plagam haberet domicilium: vbi templa ſurgerent, ad quæ precandi cauſa vellet accedere; qua ad illa eſſet eundum via. Latæ inibi erant plateæ,variis ſemitis ac tramitibus interſectæ. Non deerant biuia, triuia,& quadriuia;quíque ad alios vſus vel actus in vrbibus,vel angiportus ſolent inſeruire. Viſebantur

ædificia

ædificia quædam, alicuius ſtraguli communione velut muro ,aut pariete coniuncta ; alia proprio cincta circuitu,inſulíſque diſcreta. Vnum cauponæ locum, alium Xenodochia,diuerſum occupabāt noſocomia: Ad pinſendam ſubigendámque farinam , & conficiendos panes,erant piſtrina, & loca cætera , quæ ad idem miniſterium neceſſaria. Ad ſuperfluos barbæ capitíſque capillos reſecandos,tonſtrinæ. Ad efficienda ac reficienda calceamenta,ſutrinæ. Multiplex tota vrbe forum ; multiplex macellum. Variæ pergulæ , quibus ſingula mercium diſcriminabantur genera,venum expoſita. Vt quæque ſors hominum officiis , ita locis vicíſque diſtinguebatur. Habebat iuuentus vbi ludere,aut exercere ſe poſſet;ſiue de equorum pernicitate certando, hippodromos ; ſiue imaginario prælio inter ſe concurrendo, catadromos ; ſiue lucta vires experiundo,palæſtras. Denique quidquid in magna ac bene conſtituta exigitur vrbe , id in ea reperiebatur;cuius tanta fuiſſe fertur magnitudo , vt à principali foro,quod vrbe erat in media , ad ipſum Imperatoris auguſtalé lata rectáque via quatuor pæne milliaria continerentur. Solebat in editiori loco Imperatoris figi tabernaculum, vt ex eo , qui ad maius illud forum populi concurſus fieret,quóve ibi tumultu res agerentur,commodè conſpici poſſet. Aiunt vrbis huius dimentientem lineam ad decem ferè milliaria , ambientem ad triginta ſolitam excurrere. Vt ea ab vno loco mutaretur in alium,quod frequenter fiebat,præter infinitam baiulorum multitudinem, magnámque vim camelorum portandis oneribus cōparatam,mulæ erant ad id munus plus decem mille clitellis inſtructæ;quæ tamen omnia tantæ machinæ vertendæ,vix ſufficiebant. Habitat etiam nunc, vt

D 5 dixi,

dixi,in castris Imperator; nisi cùm Gubaym diuertitur,quod facit aliquando:sed illius veteris magnificẽtiæ vix vllum hac ætate vestigium conspicitur.

Qualis Abaßini soli conditio.

CAPVT X.

NOuus auctor,quas prisci aùctores generatim de terra laudes proferunt, eas vult omnes Æthiopiæ suæ potissimum deberi, quòd nulla pæne res sit ad humanæ vitæ siue necessitatem, siue vtilitatem, siue oblectationem comparata, & inuenta, quæ in Æthiopia desideretur. Omnium,ait, abundare metallorum fodinis. Auri tantam esse copiam, vt non solùm eruatur è terra,sed in fluminibus etiam,ac pręsertim Nigro, ínque ipsa soli aquis pluuialibus aliquantulum excauati extima superficie copiosè reperiatur. Plures in regno Damute,quàm in quouis alio, auri fodinas reperiri;& aurum ibi,quem alibi, multo esse pretiosius;ideoque maiorem ex eo loco,quàm ex alio,ad Preteiannem copiam deferri. Ex regno quoque Goyamæ,vbi Nili fontes sunt, multum auri extrahi. In eo paucas quasdam ad proprios sumptus accepisse auri fodinas Helenam Augustam,atque ex iis erutum aurum, ex quo puro ac defæcato templi cuiusdam,quod ipsa suæ dicauit sepulturæ, tota atque integra ara maxima suo cum frontali,& immane simulacrum,eidem aræ impositum, miro artificio fabricata sunt. Argenti tantam esse abundantiam, vt fiat nihili, & ob eam causam in Preteiannis thesauris locum non habere.Præteritis annis antequam cum

Europæis commercia Æthiopes haberent, magno in pretio salem fuisse,& præcipuam magísque communem pecuniæ materiam. In Balgada prouincia è lapidicinis,vt nunc in Catalomnia,frustatim extrahi solitum. Frusta singula longa fuisse palmum cum dimidio, digitos lata quatuor, alta tres. Vt quæque regio magis minúsve à salis loco distabat, sic in ea maius minúsve pretium illa frusta habuisse.Nunc & huiusce pecuniæ extinctum vsum, & valde diminutum salis valorem,cùm Æthiopes ex marina aqua illud efficere sint edocti. Quod ad fruges & fructus attinet, nihil Æthiopico solo fingi posse feracius; tritico, secali, ordeo,oriza,milio,panico,cicere,phaseolo, eruo,erulia,lente, & plurimo alio abundare legumine, nobis ignoto.Nullum verò eius genus esse,ex quo simul,& panem ad vescendum, & vinum ad potandum non conficiant. Duo gigni tritici genera; alterum Abassinum dici,quod perfectius;alterum Ægyptium,minus perfectum.Huius grana magnitudine pineos adæquare:ita crescere, vt calami celsitudo hominem superet equo insidentem. Singulis annis in eodem terreno vtrumque seminari. Ægyptium Ianuario mense meti;Abassinum Septembri.Omnia legumina in eadem terræ parte ter quotannis prouenire. Sic & milium, ídque ad iustam hominis excrescere altitudinem.Multas olerum,multas herbarum esse species, quas terræ nostræ non ferunt, esui aptissimas; cepe, & allia in eo solo non gigni:sæpius id tentatum, numquam respondisse. Vtrumque genus in pretio esse, illúcque è Perside importatum, & donis inseruire, & mensis lautioribus.Plantarum tum specie, tum varietate differẽtium nullum esse numerum. Neque ipsos Æthiopes habere nomina, quibus tot genera distinguant.

Multis locis ſic eſſe ſpiſſas, & inter ſe coniunctas, vt nullus ſuperſit ad ingrediendum aditus. Glandes, caſtaneas, nuces, robora omnino deſiderari,nec magnā vtriuſque populi,albæ,& nigræ,eſſe copiam.Cupreſſum nullibi ſurgere, neque craſſiorem, neque proceriorem. In cœmeteriis frequentem cerni, vt præſagam mortis & mœſtitiæ indicem.Defuiſſe priùs oliuam; aliunde adductam fructum reddere abundantiſſimum.Quæ medicæ citriæque mali de genere ſūt, terræ ſponte procreari,vlla ſine cultura.Platanum,cedrum, ebenum, pluréſque alias pretioſæ materiæ arbores ingenti eſſe in numero.Non deeſſe,quæ dulces ferant fructus,ficum,pyrum,malum punicam, & plātas ſimiles,inter quas tum Palmam, tum etiam illam, quę Indica ficus dicitur,figura,fructu,vtilitate,ſignificatione omnibus ſeculis planè mirabiles. Fuiſſe priùs vites in tota Æthiopia perpaucas, ex quibus modicum colligebatur vinum, Preteiannis, & Abunæ ſacrorum præſidis potui vix ſufficiens;Hiſpanos, vbi illic ſunt ingreſſi,vineaș plantaſſe, tantâque hoc tempore eſſe vini copiam, vt inde in Libyam, Nubiam, Congum, omnéſque Nigritarum regiones, in Arabiam,in Perſidem,in Indiam, in Taprobanam, in regiones Sinarum, multáſque alias Orientis prouincias inter reliquas merces vinum exportetur. Infinitam propemodum produci florum multitudinem, & varietatem; ſícque agris omnibus, & hortis vltro atque omni tempore innaſci, vt Æthiopiam iure poſſis florentem terram, & ver perpetuum appellare.Omnes ibi, quotquot in Europa, atque in Peruana,& Mexicana regionibus ſunt,florum ſpecies reperiri permultáſque alias cæteris peregrinas locis. ſuum cuique ſpeciei odorem,ſuum colorem,ſuam pulchritudinem, ſuas

ſuas demum proprietates, ac vires, bene incolis notas. Inter floriferas herbas vnam eſſe, quæ aliis ab locis omnino exulat; longum habere ſcapum, heliotropij inſtar, frondes hederæ ſimiles, florem in capite vnũ magnitudine eximia: in eo flore folia mille, tanta colorum varietate diſtincta, vt nullus ibi deeſſe videatur ex iis, qui cæteris ſunt in rebus. Nihil eodem flore excogitari poſſe, aut viſu pulchrius, aut odoratu ſuauius. Præ illo ſordere roſas, lilia, hyacinthos, violas, narciſſos; fœtere moſchum, zibethum, ambarum, & quæcumque alia in toto orbe odoramenta ſunt, & odorum compoſitiones. Solis motum ſequi, longè diuerſa ab aliis ſolaribus herbis ratione. Cumprimum Sol à meridie in occaſum declinare incipit, florem iſtum paulatim pandere ſeſe, & folia explicare; quo verò magis aperit ſinus, redolere efficaciùs. Sub noctem omnino explicatum, quàm longiſſimè ſuauiſſimum halitum eiaculari. Vbi ad noctem mediam ventum, tum verò Solis acceſſu veluti indignatum colligere folia, odorémque retrahere; atque ita ad meridiem vſque clauſum permanere. Inde iterum paulatim aperiri, & odorem exhalare. Æthiopes vocare hunc florem Ghoyaulam, hoc eſt, florem Lunæ, eo quòd noctem & eius aſtrum videatur amare, diei ac Solis inimicus. Addit præterea, ſuo naturam flori diligentem adhibuiſſe cuſtodiam. Auiculam enim pulcherrimam eſſe, Supiniminim ab Æthiopibus dictam, innumeris diſtinctam coloribus, figura & magnitudine cardueli parem. Hanc à meridie ad noctem mediam, quo tempore explicatus flos eſt, haud vmquam ab eo recedere. Perpetuò circum volitare, nec pati, vlla vt auis aut beſtiola prope accedat. Parua animalia, arrepta roſtro, vel deuorare, vel ore comminuta & occiſa deiicere

in terram. Alites maiores, & viribus magis pollentes, cum quibus congredi non audet, magnis, & oris vociferationibus, & alarum clangoribus procul abigere. In minores irruere violenter, eásque rostro, alis, pedibus, ac toto corpore à flore suo arcere. Cùm omnino apertus flos est, si quid in eo videtur sordescere, rostro mundare, singulatim eius folia percurrere, aptãdo, concinnando, adornando. Deinde alis expansis toto pectore spiratum excipere odorem, halitúmque ebibere sibi salutarem. Demum insidere flori, & suauissimum inibi solui in concentum. Hunc esse excubantis auiculæ à meridie ad noctem vsque mediam assiduum laborem: tunc enim, flore penitus clauso, recedere, quò lubet, vsque dum iterum incipit aperiri: eo namque tempore rursum redire, commissum à natura fidei suæ florem custodituram. Dura infelicis auiculæ conditio, quæ pro floris sui defẽsione cogatur assiduè rixari, & bonam semper noctium partem insomnem ducere. Pergit idem auctor Æthiopicas explicare gazas. Magnam ait telæ bõbycinæ omnibus locis esse copiam, & nobilitatem. Vermiculos partim in ipsis moris, quarum frondibus aluntur, partim intra domos, adhibita artis industria, procreari, & adolescere. Apum examina nullibi plura, nec ad mel & ceram aptiora; causam esse florum tum copiam, tum præstantiam. Terrestrium animantium tantam multitudinem, & varietatem, quanta, & mensis ad victum, & theatris ad voluptatem potuit natura largiri. Rhinocerota esse, peregrinum Hispanis, sed notum animal, *Abadam* vulgo dictum: Græcum nomen Latinis receptum, habere à cornu, quod surgit à nare, quatuor longum pedes à lato desinens in acutum, cum modica cuspidis ad superiorem partem inclinatione. Co-

lorem

lorem beſtiæ buxeum; corporis machinam tribus ſimul bobus parem magnitudine. Breuia habere crura pro vaſtitate corporis;oculos exiguos, paruas auriculas,eáſque acutas,& rectà in altum tendentes, equinis ſimiles.Ingens illi caput;caudam ſine pilis,& contractam.Toto corpore cruſtis tegi,teſtíſve adeò duris, nullo vt telo, vel ferreo globo vi ignea contorto penetrari queat. Cum elephanto, quo cum naturales gerit inimicitias, pugnam initurum, cornu acuere ad ſaxa;vt hoſtis aluum,quæ illi pars mollior eſt,in dimicatione petat. Animal eſſe natura ſylueſtre, indomitum,ferox,ſuperbum;nulla arte viuum capi, poſtquã adoleuit. In regno Goyamæ ad radices montis Lunæ, vbi Nili fontes, non alibi reperiri. Ibi à venatoribus occidi dolo alicuius ſimiæ,extenſum eius in terra corpus blandè & fraudulenter titillantis. Cornu contra venena expeti. Putari efficaciùs, cùm certo Lunæ tempore beſtia interficitur. Eſſe in eadẽ Goyamæ regno Monocerota, ſed raiò viſum: inacceſſos incolere Lunæ montes; inde ad plana aliquando deſcendere, cornua mutare,vt ceruum;& hæc ab agricolis reperta indicio eſſe,beſtiam montem habitare. Haud eſſe illi, qui vulgo pingitur,ſimilitudine parem;corpus habere elephanto pæne æquale, & ſimiles pedes; colore ac pilis referre bubalum;capite aprum; cõditione ſuem, cùm cænoſa amet loca. Nigrum illi media in fronte cornu,durum, & cuſpidatum; linguam ſentibus plenam; dum lambit,carminare. Elephantorum magnã copiam; quinquaginta turritos ad bellum conducere Preteiannem,cùm lubet. Animalia illa,ex quibus zibethum colligitur (Hiſpani ob ſimilitudinem feles vocant) adeò multa eſſe, vt quælibet domus aliquot ex iis nutriat. Notũ ſatis,qua natura ſint,qua forma,

quo

quo loco zibethum gignant,quo pacto genitum reddant.Esse & alias odoriferas animantes, quarum non ignoti in Europa odores. Camelos, seu Dromedarios (eiusdem enim videri esse naturæ)plurimos,atque in vectandis oneribus valde vtiles, & vsitatos. Equos etiã plurimos,& optimę plerosque notæ.Omnia item iumentorum genera,vectaria,plaustraria,molaria.Inter hæc mulas ad equitandum præstantissimas.Vrsos, tigres,leones,ceruos,capreas,lepores,cuniculos,& id genus animantes forma & natura diuersas.Nõnullam ouium differentiam; quasdam ingentes habere auriculas,gallici instar canis,& longissima colla, vt habent cerui, aut peruani galli. Alias habere caudas adeò crassas,& pingues, vt quindecim, aut sedecim libras singulæ pendant.Caput his cum collo nigrum, cætera alba. Alias toto albas corpore, barbas habere capris similes, longitudine tanta, vt iis,cùm gradiuntur, humum verrant, quod & caudis faciunt: omnibus his carnem esse ad vescendum optimam. Boum quoque miram varietatem; omnes magnitudine & firmitate superare Europæos. Syluestres gregatim ingredi, trecenos, & quadragenos; magnam pascentes inferre agris stragem; ob id colonis,à quibus sagittis & sclopetis configuntur,grauiter inuisos. Inter syluestres colore quosdam prorsus nigro, & cornibus ramosis,qualia sunt ceruis;alios vnum dumtaxat in fronte habere,vix palmo maius. Simiorum ingentem numerum, & varietatem. Hos quoque gregatim per agros syluásque vagari ad ducentos simul, ac trecentos. Quosdam admodum exiguos esse: alios magnitudine tanta, vt cùm posterioribus solùm nituntur pedibus, in altum leuatis prioribus, iustam hominis adæquent staturam. Nonnullos es-

ſe roſtro porcis ſimiles, pectore leonibus, cætera ſimios. Maximam his ineſſe feritatem, & ſæuitiem. Omnibus communiter innatam calliditatem, ac turpitudinem. Quidquid apud nos vel ancillæ domi, vel in vrbe ſerui, vel in agris operæ faciunt, id in Æthiopia præſtare ſimios. Nec lupos, nec vulpes, nec canes tellurem ferre. Hoſce vltimos aliunde ſæpius delatos paulatim extabuiſſe. Canum loco eſſe pantheras; per vrbes vagari, neque nocere, aut ſæuire, niſi irritatas. Inſeruire venationi, equorum clunibus poſt equitem inſidentes. Inde in lepores & cuniculos impetum facere, ſaltibus velociſſimis: niſi tertiò prædam teneant, à perſequendo deſiſtere, nec moueri loco, donec impetitæ beſtiæ in tuto ſint. Hæc omnia, & multo plura, quæ non vacat referre, de Æthiopiæ fœcunditate à nouo auctore traduntur. Scio alios ante illum fuiſſe, qui de Abaſſini ſoli fertilitate ſcripſerunt multa, quæ ſiquis de vniuerſa Abaſſia credat vera eſſe, longè à recto diſcedet. Conſtat, regionem hanc aliquot in locis rerum earum, quæ hominum generi ad victum & cultum ſunt neceſſaria, non modò feracem non eſſe, ſed infœcundam. Vbi fluuialibus aquis irrigantur agri, magna vbertas eſt. Ob hanc cauſam, & in regno Tigrio, vbi riuuli frequẽtes ſunt, & in Goyama, quod regnum Nilus circumfluit, fertilis eſt natura ſoli, & fruges quotannis bis ferre apta. Incolæ magna ex parte pigri & inertes. Tantum terreni quiſque plerumque colit, quantum ipſi ſatis, vt ea recipiat, quibus tenuiter vitam toleret. *Sed è re* præſenti erit, quæ hoc de genere in relatis Antonij literis legi, ſeorſim perſcribere.

Quid de Abaßini soli natura & fertilitate verè sentiendum.

CAPVT XI.

LAtina faciam Antonij verba, nihil ex sententia immutabo. Abaſſina, inquit, tellus maiori ex parte cauernoſa eſt, & meatibus profundiſſimis dehiſcit. In media camporum planitie paſſim ex prærupto ſaxo in miram altitudinem ſe rupes attollunt, quæ ſæuiente belli procella pro arcibus ſunt. Vniuerſa regio metallorum & metallicorum medicaminum ſcatet venis. Sed incolæ partim inertia, partim metu, quia valde timent, ne ſi iſta hîc eſſe malorum irritamenta agnoſcant, Turcæ regnum armis inuadant, latere ſinunt omnia in terræ viſceribus. Solum ferri tantum accipiunt, quantum in ipſa ſuperficie ſine foſſione reperiunt. Locis multis vbertim proueniunt ſata; & caules terra gignit, & allia, & cepe, & quæcunque in Europa ſunt legumina, & permulta alia Europæis ignota. Arborum non modica varietas: ſed parum iucundi & ſine pretio earum fructus. Vnus eſt impensè vitæ vtilis. Cùm ex carnibus, quas Æthiopes iſti crudas edere conſueurunt, vermes ipſis in aluo gignantur; ab iis inteſtina corroſi haud dubiè intereunt, niſi menſibus ſingulis fructu iſto purgent ſeſe; in eo quippe præſtitum iis à natura remedium: ſumptus quippe, vbi ad ſtomachum peruenit, lumbricos illicò occidit, & ventrem exonerat. Malum Perſicam, punicam, medicam, & ficum Indicam, ac pergulanam vitem terrenum procreat; ſed nec paſſim, nec copiosè. Non deſunt lepores, caprei, cerui, apri,

apri,elephantes,cameli,bubali,leones , pantheræ , tigres,rhinocerotes,& eiuſdem generis animātes aliæ, quas inter vna eſt magnitudinis adeò enormis , vt equo inſidens homo ſubter eius aluum rectus pertranſeat. Eſt illi figura camelo ſimilis, ſed natura diuerſa. Veſcitur frondibus,quas erecto collo è ſummis arboribus decerpit. Riuuli permulti ſunt , permulta etiam flumina,& lacus,quibus in omnibus innumeri hippopotami , valde noxiæ frugibus beſtiæ. Immanem habent corporis molem , & adeò vaſtum os,vt ad cubitum cum dimidio diducant rictus. Nocturno tempore ab aquis exeunt in agros , paſcendi cauſa ; herbis enim victitant ; ac niſi tunc excubias agant agricolæ , nocte vna extremam frugibus inferunt vaſtitatem. Dum ſub aquis ſunt , nihil ipſis audacius : ferocium canum in morem impetunt homines;& immaniter diſcerpunt quos apprehendunt.Sic ignem fugiunt,vt puerulus vnus facem accenſam tenens,multa eorum millia in fugam dedat. Quoddam hîc genus hominum eſt,quod belluas iſtas lanceis & ſagittis inſequitur,earúmque veſcitur carnibus , quæ nulla ferè in re differunt à bouina. Reperitur etiam in hiſce amnibus & lacubus torpedo piſcis Philoſophorum opinionibus & altercationibus notiſſimus. Multorum conſtat experientia , tale huic piſci ingenium eſſe,vt ſi ab aliquo manu teneatur , ibíque immotus ſit,nihil efficiat ; ſin verò paululum ſe moueat , adeò tenentis corpus eo motu torqueat,vt arteriæ,articuli, nerui , iuncturæ partium , quotquot demum toto in corpore habet membra,ingentem cum ſtupore quodam ſentiant cruciatum. Vbi è manu dimittitur , omnis illicò dolor & ſtupor recedat. Æthiopes iſti ſuperſtitiosè credunt,valere hunc piſcem ad pellen-

dos dæmones ex humanis corporibus; quaſi ipſi nequam ſpiritus iiſdem, quibus corpora, torqueantur cruciatibus. Ferunt exploratum (rem ego per me non ſum expertus) ſi inter mortuos piſces viuens torpedo ponatur, & inibi ſe moueat, eos, quos tetigerit, interno quodam & arcano motu ita cieri, vt viuere videâtur. Cauſam ſcrutentur, qui rerum naturas inueſtigant; quærántque, quænam ea vis motionis ſit, quam mortuis piſcibus torpedo impertit. Magna huius piſcis copia in Nilo reperitur, ad extremos prouinciæ Goyamæ fines, vbi palus eſt fundo carens, perennes habens atque mirabiles ebullientium aquarum ſcaturigines. Hìc Nilo principium eſt. Exiguus ſurgit; primúmque vno ferè die cum dimidio in orientem plagam tendit. Deinde lacum ingreditur, quo nullus toto in orbe putatur eſſe maior, neque etiam par. Tum per lacum ipſum quaſi medium concordibus atque impermixtis aquis rapidiſſimo decurrit impetu; ſéque ex altiſſimis præcipitans rupibus, & æquor nactus liberiùs tantiſper ſpatiatur: ſed mox profundiſſimis terræ hiatibus veluti abſorptus ita ripis conſtringitur, vt locis aliquot paſſu vno tranſiri queat. Poſtquam verò quinque dierum itinere versùs oriẽtem Solem profluit, ad occidentem rurſus curſum flectit, & in Ægyptiam Memphim prægrandi onuſtus mole aquarum pro temporis varietate nunc lenior, nunc torrentior contendit. Affirmant Æthiopes, haud eſſe difficile, huius amnis curſum aliò detorquere, & infœcundam reddere Ægyptum. Vereor, vt hoc dictu facile ſit, factu difficillimum. Talia fuere alia, quæ viſa priùs prope leuia, nulla tamen humana induſtria vinci potuere. Abaſſinum cœlum tepida plurimum aura vitali calore temperat. Vbi depreſ-

ſior

ſior terra ex reflexis Solis ardoribus vapore immodicè æſtuante parum ſalubris aër. Hyems hîc ſub Maij finem incipiens ad initium Septembris recedit. Tunc in Erythræo incipit mari. Expertus ſum hoc fretum ab ortu Lunæ vſque ad plenitudinem quatuordecim continuos dies ſine intermiſſione fluere; & dies totidem ad eiuſdem Lunæ decrementum continenter refluere; vt longè mihi falli videantur malè feriati quidam philoſophiæ profeſſores, qui æſtus marini cauſam aliò, quàm ad Lunæ motum referunt. Cùm in his regionibus hyems eſt, dies ferè nullus ſine pluuia: vt hæc plerumque modica, ſempérque à meridie, nec ſine tonitru. Ex hoc, in quo degimus Dambeæ règno vterque conſpicitur cœli vertex; ſublimior antarcticus. Prope illum ſtellæ variæ ſunt, crucem ſitu figurantes: vnde apud nos datum huic polo à Cruce nomen; credo & apud Europæos vſurpatum. Apparet in hoc cœli tractu quædam veluti macula, nubis inſtar; opinamur partem eſſe cæteris non ſtellatis magis raram. Sed fortaſſe fallimur. Conſiderent Philoſophi. Circa hanc maculam plurima micant ſidera, minora iis, quæ alterum illuſtrant polum. Annus in his locis cum vere incipit, primo nimirũ Septembris die. Quolibet in anno menſes ſunt duodecim, vt apud gentes alias: ſed menſes ſinguli triginta continent dies, non pauciores, nec plures; qui ſuperſunt ab Auguſti fine vſque ad Septembris ingreſſum, non habent in menſibus locum, ſed per ſe ſeorſim numerantur. Hæc omnia eodem pæne ordine in ſuis literis Antonius, ex quibus apertum eſt, inania eſſe multa ex iis, quæ ex auctore nouo ſuprà retuli. Non multo pòſt hæc apud Antonium. Nulla re magis Abaſſini iſti, quàm edendo potandóque lætitiam ſignifi-

cant; nec ipsis vlla sine cibo & potu probata exulcatio est. Quo facile festis diebus trahantur ad sacra, circa templa, quæ plurimis vndique vmbræ efficiendæ circumdata sunt arboribus, amphoræ constituuntur permultæ quodam plenæ liquore, qui apud ipsos pro vino est. Tunc imposito rei diuinæ fine, adeò plerumque poculis se ingurgitant, vt ad crapulam primùm & ebrietatem; deinde, quæ communes sunt ebriorum leges, ad probra & conuitia; tandem ad arma & concertationes bene poti deueniant Conficere quoque solent ex melle vinum; idque addito opio sic temperant, vt nec gustui sit iniucundum, nec parum conferat sanitati, si moderatè sumatur. Hæc ille. Quæ igitur de vitis vino nouus auctor scribit, mirum, quãtopere distent à vero. Et quæri ab eo posset, si nihil aliud, quanam ratione in Congum, in Nubiam, Libyam, Arabiam, Persidem, atque in cætera, quæ numerat, loca conuehatur? Terrestríne an maritimo itinere? Neutro certè fieri posse, notissimum est. Etenim, vt dictum est, in mari rubro nullum Preteiannes portum habet; quos olim habuit, Turcæ ac Saraceni hostes occupant. Terrestre iter occludunt montes inaccessi, & vicina cœlo iuga, & impenetrabiles rupes, quæ interiacent. Denique tam remota ac tam dissita regna siue mediterraneo, siue maritimo Abassinorum commercio communicari posse nemo, nisi imperitissimus, credet. Et compertissimum est, Abassinorum terras adeò vitis vino carere, vt cùm est vuarum tempus expresso musto vtantur in sacrificiis Sacerdotes; reliquo anno ex vuis passis ad hæc ministeria succum exprimant modo à me antè commemorato. Sæpe etiam accidit, vt Patres Societatis, qui illic sunt, quemadmodum ex iisdem per literas accepimus

mus,eo quòd prorſus vinum deſit, à faciendo abſtineant. Nec diu eſt,cùm Petrus Paëz ad nos ſcripſit, ſe anno 1604. apud Imperatorem fuiſſe, illúmque optaſſe,atque etiam petiiſſe,vt Romano ritu rem diuinam faceret,quæſitúmque ad id per totum locum diligenter vinum: at ne guttam quidem fuiſſe repertam;vnde factum,vt Preteiannis votis ſatisfacere nequierit. Vbi ergo Abaſſinum vinum eſt ex vuis confectum, cuius adeò auctor ille commendat copiam, vt eo magis, quàm pluuiali aqua ingentes ex lapide ciſternæ impleantur? Prætermitto cætera, quæ ſunt æquè futilia;nec minus falſa. Accedo ad illa,quæ ad vrbium regimen,& gentis mores pertinent, de quibus quid auctor idem ſcribat,iam dicendum.

Quales Abaßinæ gentis mores.

CAPVT XII.

IN ſingulis,inquit, ciuitatibus ſex eliguntur rectores,patritij duo,totidem ciues,totidem plebei. Ordinis quiſque ſui cauſas agnoſcunt;patriciorum patritij, ciuium ciues, plebeiorum plebei. Eſt autem in qualibet vrbe vnus ſupremus gubernator,cui ſex illi ſubſunt rectores. Hic quotannis de nouo ex patritiorum ordine,nunc ex vna,nunc ex alia familia viciſſim creatur. Vt verò omnis auferatur malè iudicandi occaſio,quam & ipſi ſupremo gubernatori praua aliqua animi affectio poteſt ſubminiſtrare, ſtatutum eſt,vt in cognoſcenda & iudicanda eius,qui reus agitur,cauſa duo illi aſſideant ex eiuſdem Rei parochia Sacerdotes. Quoniam verò nullo ferè ex vitio

maiora, quàm ex otio, damna in Republica nasci solent, lege cauetur, vt ab vno loco nemo se transferat ad alium absque publico iudicum loci illius testimonio; vnde cognoscatur cuias, & quisnam sit. Nam si quis vel scelus suscepisse, vel absque legitima causa vagari deprehendatur, graui multatur pœna. Eadem externis, vel etiam strictior, statuta lex. Nullus ex iis in aliquem Imperij locum ingredi sinitur, quin priùs patentes offerat literas, ex quibus constet, ipsum & Catholicæ religionis professorem esse, & egregiis moribus efformatum. Ita verò res habet. Vbi ad primam Imperij vrbem peregrinus aduenit, literas exhibet. Istæ mox in curiam mittuntur, vt earum ibi veritas expendatur. Interim ille in eadem detinetur vrbe, donec approbatis literis facultatem accipiat ingrediendi. Ea accepta pergit porrò. Quò accedit, communibus excipitur expensis hominum eorum, quorum ex ordine est; nobilis enim apud nobiles, apud ciues ciuis, apud plebeios hospitatur plebeius; & ipsi quidem aduenæ, & cæteris, quos habet in comitatu, omnia gratis & largè suppeditantur, nec is de suo quidquam insumit. Quolibet etiam in oppido datur illi viæ dux vsque ad oppidum propinquius; donec eò perueniat, quò iter intendit. Infidelium principum legati, externíque mercatores adire ad interiora Imperij seuerè vetantur. Consistunt in finibus, indéque per alios negotia gerunt. Quælibet ciuitas tres diuisa in regiones est; in vna nobiles, in altera ciues, in tertia habitant plebei, sic omnes locis discreti, vt nullo modo misceantur. Magna in habitu inter omnes distinctio. Concessum nobili veste vti heteromalla, bombycina, holoserica, attalica; & cuiusque alterius conditionis, collúmque & brachia argento,

& auro,

& auro, gemmísque adornare. Vetitum ciui integram vestem gestare bombycinam, aut subsericam, integróque ex auro, aut gemmis vti ornamento; aliquid vndulati aut pilosi indumenti admisceat necesse est; addere poterit, si velit, mȩandros, & segmenta ex pretiosa materia. Plebeius non alio vti potest vestimento, nisi ex pilis confecto; vsus enim laneæ vestis in Æthiopia non est. Itaque omnes habitu ipso discriminantur; móxque vbi quis comparet, quo sit ex ordine, dignoscitur. Semper in plebeiorum comitiis aliquis ciuis, & in comitiis ciuium aliquis nobilis interest; vt quisque quid ibi actum sit, referat ad suum ordinem, ísque principi renuntiet; ne toto in regno quid fiat, quod ipsum lateat. Immobilia omnium bona principis dominio ita subiecta sunt, vt nemini liceat ex iis quidquam alienare. Ea conditione eorum habent vsum, vt transferre in alios illum nequeant. Secus res habet in rebus mobilibus. Vendi ista possunt, aut dono dari; id tamen sine magistratus consensu & facultate facere, haud vlli fas. Paterna bona ex integro ad filium natu maiorem hæreditario iure pertinent. Nihil ex iis pater testamento, aut codicillo potest adimere: reliquos fratres, si quos habet, hæres alit pro sua quemque conditione. Tantum verò assignare vnicuique debet, quantum & parochiæ vicarius, & ij, qui sunt ipsis sanguine propinquiores, iustum iudicarint. Efficitur hinc, vt omnis intercludatur ad lites aditus. Fœminæ cuiusque dos linteis quibusdam vestibus, & aliquot gemmis tota atque integra continetur. Hæc ad hæredem fratrem redit, si ipsa absque liberis decedat. Si qua in familia masculus desit, ad Imperatoris fiscum eius bona deueniunt. Ne quis Abassinus in externis regnis quidquam possideat,

vxorémve ducat, aut dignitatem accipiat, imperatoria lege adeò strictè cautum est, vt si quis secus faxit, non omnibus solùm, quas in Æthiopia habet, facultatibus spolietur, sed iram quoque incurrat Imperatoris; atque alterius cuiusque Abassini familiaritate & colloquio priuetur. Ioannes Imperator, is, qui vulgo Sanctus dicitur, & pòst illum Philippus VII. statuerant, ne quis vmquam ordinem mutaret; sed eo quisque contineretur, in quo eius fuere maiores. Quamobrem nulla prorsus de causa aut ciuis gradum patritij, aut plebeius gradum ciuis assequi poterat. Imperatores tamen alij optimis de causis legem illam abrogarunt. Aditum igitur ad nobilitatem apertum illis esse voluerunt, qui septem ingentia ederent in bello facinora; qualia sunt, siue regem, siue supremum exercitus ducem, siue militaria hostium signa in bello capere. Inimicam aciem vi perrumpere; & id genus alia: quæ vbi ab aliquo facta esse, equitum sancti Antonij testificatione Imperator agnoscit, cōtinuò illum albo nobilium adscribit, & nobilitatis ipsi priuilegia concedit, assignátque stemma, quod domus suæ valuis possit affigere. Primis tamen decem ab acquisita nobilitate annis, ius non habet, vt in nobilium comitiis suffragio suo quidquam decernat, aut ad munus aliquod deligatur. Ciuitatis gradus vno vel altero ex prædictis facinoribus à Plebeio obtinetur. Vestitus Abassinis idem ferè, qui Persis, qui Armeniis, qui aliis orientalibus populis. Capitis mutarunt tegumenta post agnitos Hispanos, quos libenter imitantur, quibúsque similes videri percupiunt. Solus olim Imperator petaso vtebatur, adeò in orbem diffuso, vt eius sub vmbra simul homines decem sedere possent; nunc eius tegumenti vsus ad re-

liquos

liquos extenſus. Agricolæ ob ingentem Solis calorem nonnumquam crudo corio, quandoque goſſipio tantùm pudenda tegunt. Cùm inuicem obuiam fiunt, varium ſeruant inter ſe ſalutandi morem. Si Preteiannes occurrit, cæteri prope accedentes, detracto galero vnam imponunt capiti, aut fronti manum, terram altera contingunt, Negum, aut Acegum appellantes; ídque ſinguli faciunt ter. Inter alios ita res habet, inferiores detecto capite, & impoſita pectori manu honorem exhibent ſuperioribus; hi manum tantummodo imponunt pectori, cùm illos ſalutant; hoc ipſum inter eos vſitatum, qui ſunt conditione pares. Viliores bouina coria, aut tegetes ſubſternunt lectis. Menſas habent à terra eleuatas, & ſedendo, non accumbendo ſumunt cibos. Vaſa communiter ex creta vel luto. Rubris imponunt frigida eſculenta, nigris calida. Conficiendi vitri ignota erat priùs ratio: aliquot iam abhinc annis accepta ab iis artificibus, quos ad Preteiannem miſit Coſmus Mediceus magnus dux Hetruriæ: nam & inter illos erant vitriarij. Antequam vitis vinum in vſu eſſet, omni ferè ex re conficiebatur; ex nulla tamen, quam ex melle, pretioſius. Triticeo communiter veſcuntur pane; eius loco aliquando eſt orizæ farina, aquæ permixta. Quæ apud nos, eædem apud ipſos in vſu ſunt carnes. Has elixas edunt, & aſſas, vt cuique lubet. Franciſco Aluaro viſum, crudis eos victitare: ſed in hoc, vt in aliis, deceptus eſt. Pigmentario enim quodam puluere rubri coloris aſperſas vidit, cùm comederent; cruentatas credidit, ac ſubinde crudas. Hic enim illis hoc in genere mos. Carnes accipiunt, & leuiter primùm feruefaciunt: deinde varias in partes intercidunt, & aromatibus condiunt: tum vaſis quibuſdam receptas

abſque

absque noua concoctione paulatim comedunt. Franciscus igitur rei ignarus, quæ ex adiecto pigmento rubræ apparebant, existimauit crudas. Nullibi in tota Æthiopia, præterquam in loco vbi Preteiannis est, macellariæ tabernæ sunt. Domi quisque suæ animalia ad esum occidit, & panes conficit. Statis hebdomadæ diebus venum exponuntur merces in communi foro. Nullæ sunt cauponæ; neque iis viatores indigent: frequentissima enim, vt dictum, occurrunt oppida, vbi cuique gratis suppeditantur omnia. Reperiuntur passim leprosi cum cætero vulgo commixti; non desunt, qui facile ipsis quidquid habent opus, ex pietate præstant. Vsus aberat literas inuicem mittendi, iam adscitus est. Plurima sunt musica instrumenta, & nostris similia. Reges olim, & viri primarij, cùm ad Imperatorem adibant, vna tantùm leonis pelle humeros induti, corpore reliquo eius se oculis obiiciebant nudos. Ita magnitudinem animi ostentabant, cùm significare vellent, aut propter Imperatorem egregia se in bello facinora edidisse, aut propriis manibus interemisse leones. Sic enim erant aliqui stultè temerarij, vt ad vires experiundas, & nomen aliquod parandum, ligno vel gladio leones vltro ad pugnam irritarent. Qui aliquem occidebat, eius detrahebat pellem, eáque humeris imposita, veluti alter Hercules, comparebat in aula gloriosus; ea specie indicans, haud esse quidpiám, quod ad tuendum Imperatoris honorem, non facile aggrederetur, qui ausus esset cum leone congredi. Hæc tamen, & alia quædam, in quibus aliquid inerat vel stolidæ feritatis, vel repugnans vrbanitati, iam nunc omnino explosa; & diligenter ab Imperatoribus curatum, vt quæ videbuntur à nostris moribus abhorrere, ea ab

toto

toto Imperio procul abigantur; adeò Europæas probant conſuetudines. A temporibus priſcis hæc Abaſſini habebant arma, gladios, tela, ſagittas, æneos thoraces, loricas, galeas, ſcuta. A Clementis VII. & Caroli V. tempore introductus in Abaſſiam nitrati, ſulphureíque pulueris vſus; qui nunc cum omni æneorum tormentorum genere frequentiſſimus eſt. Olim deferebant in bellum leones caueis incluſos, & inſtructa vtraque acie, vt ſignum pugnæ dabatur, ſoluebant in hoſtes. At id vtrique parti parum erat tutum; ſolutæ enim beſtiæ non minus ſæpe in ſuos, quàm in aduerſarios irruebant. Omiſſus igitur communiter hic vſus, & apud Tubacatubos, & Goragos, qui Æthiopum populi ſunt, tantummodo retentus. Hæc omnia nouus auctor; ex quibus pauca ſunt, quæ congruant cum veritate. De Abaſſinorum veſtitu ſic Antonius. Ditiores ab Saracenis emunt veſtes, quibus eorum more ſe induunt. Reliqui ſiue mares, ſiue fœminæ, tegendis corporibus vel aliqua pelle aut corio, vel vna vtuntur craſſa & rudi ex lino tela, non alio, quàm quod ex textrina tulit, expolita artificio. Cùm reuerentiam exhibent alicui, telam hanc deiiciunt ex humeris vſque ad vmbilicum, & ſeminudi apparent. Comam nutriunt; eáque ipſis pro galero, próque extero capitis tegumento eſt. Elegantiæ cauſa variis modis intorquent capillos, & butyro inungunt; quos ſic inunctos, cùm ſolares excipiunt radios, herbas credas matutino rore madentes. Atenim ne capillamenta & cincinni diſturbentur; cùm eunt cubitum, furculam quiſque ſuam pede vno defigit in terra, & inter media cornua immittit collum; atque ita pendente capite ſomnum capit. Solent ſibi toto in corpore, præſertim in vultu, inurere ſtigmata. In

minimis

minimis quoque manuum digitis vngues ſinunt excreſcere ad quantam poſſunt longitudinem; iiſque oblongis imitari cupiunt gallorum alitum calcaria; quæ iiſdem ex gallis nonnumquam reſecant, & ipſis adoptant digitis. Quo ſimul truculenti, ſimul ſpectabiles videantur, manuum pedúmque, quibus nudis incedunt, colorem adulterant ſucco cuiuſdam corticis ex albo rubeſcentis. Eum vi exprimunt, & vaſis excipiunt; dein manus inibi ac pedes dies aliquot immergunt, donec peregrinum contrahant ruborem. Hæc ex Antonio. Ex eo quoque & aliis habemus Abaſſinam gentem communiter inertem eſſe ac deſidem, difficiléque ſibi, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, præ ignauia comparare. Nec piſcationi dant operam, nec venationi. Cúmque exiguo negotio parare ſibi poſſint ex pecore lanam, ex irriguis locis linum, ex aliis goſſipium, vnde texi telæ, & confici veſtes queant: qui de vulgo ſunt, paucis exceptis, ob innatam ſegnitiem, more beſtiarum, rudibus pellibus obnubunt corpora: & vnam tantùm quiſque ex ariete geſtat, ad pedem ac manum extremis partibus alligatam. Boum coriis ſine culcitris & lodicibus incubant. Menſarum vice conchas habent ex ligno prægrandes, impolitè excauatas. In his ſine mappis, ſine mantilibus ſumunt cibos. Vaſis vtuntur ex nigra creta. Præter eos, qui ſunt genere Saraceni, pauci alij, paucíſque locis exercent mercaturam. Pars magna colunt agros. Nobiles militiam, & Imperatoris aulam communiter frequentant. Maioribus carent vrbibus: pagos paſſim habitant, nullis ſeptos mœnibus, nulla arte munitos. Oppidum inter eos maximum vix mille ſexcentas numerat domus. Nouus auctor aſſerit, hac tempeſtate intra terram continentem multa

multa esse oppida muris circumdata, multa castella, arces multas, multa demum propugnacula. Sed in hoc etiam lectorem fallit. Domus exiguæ sunt, absque vlla contignatione, sine elegantia sine dignitate, & pæne sine arte. Formam habent communiter rotundam, & terra paleáque teguntur. Nullus etiam nunc apud eos epistolarum vsus, neque ea, quæ publico iudicio decernuntur, neque aliud quidquam notare literis consueuere. Præter libros diuinos, eósque, quibus continentur sacra, alij non sunt, nisi quos habent regiis opibus præfecti, vt accepti & expensi rationes constent. Nonnihil hoc de genere à nostris introductum est, doctrinæ causa.

Quæ sit apud Abaßinos Reipublicæ gubernandæ ratio.

CAPVT XIII.

SCribit nouus auctor ab antiquissimis temporibus fuisse, apud Abassinos, hodiéque perseuerare Senatum quemdam summa verendum maiestate: magnum vocat, & in eo triginta, ait esse consiliarios, qui iam tunc ante susceptam Christi fidem eximiæ fuerint auctoritatis, & probitatis. A prædicatione Apostoli Matthæi, à quo sacra & religionem Abassia accepit, eodem retento numero, conditionem personarum mutatam; cùm successerint Ethnicis Christiani; Patriarchæ sex, totidem Archiepiscopi, sex Episcopi, sex ex religiosa magni Antonij familia Abbates, totidem ex eadem equites, in quibus omnibus cum singulari doctrina, excellens vitæ sanctimonia, & præclara

clara rerum prudentia coniunguntur. Deſignari quoque ait ex ordine ciuium viros aliquot iudicio præſtantes, qui à ſecretis ſint. Ad hunc Senatum omnes omnino cuiuſcumque generis deferri cauſas, atque ex toto conſiliariorum numero, quinque ſelegi, Patriarcham vnum, alterum Archiepiſcopum; tertium Epiſcopum, quartum Abbatem, quintum Equitem, qui hebdomadis ſingulis de controuerſiis ad trigintauiratum delatis cum Imperatore priuatim agant. Communem huius Senatus ſedem eſſe eamdem, quæ Imperatoris eſt vrbem videlicet Zambram, Imperij caput. Cum tamen vel loca Imperij luſtrat Imperator, vel aliò ſe confert, partem Senatorum dimidiam, tres nimirum Patriarchas, tres Archiepiſcopos, tres Epiſcopos, tres Abbates, tres Equites, ſolitum habere in comitatu; reliquos in vrbe, & imperatorio palatio remanere. Eſſe quidem in vnaquaque ciuitate proprios iudices, qui ius ciuibus dicant, de quibus iam antè dictum à nobis: eſſe item in ſingulis regnis peculiares magiſtratus, qui communibus præſint regni cauſis: hunc tamen ſupremum Senatum ad vniuerſum pertinere Imperium, poſſéque ad illum à cæteris regnorum & vrbium iudicibus controuerſias auocari. Centum viginti ſeptem eſſe ſtatuta, in maiori vrbis cuiuſque foro palàm & publicè expoſita, quorum ad præſcriptum ferri ſentẽtias oporteat: idcirco neque patronis, neque cauſidicis, neque cognitoribus, neque rabulis, neque vllis demum iuris peritis eſſe opus: ſi quid occurrat, quod iuxta ſcriptas illas leges nequeat iudicari, id boni viri committi arbitrio. Deinde parum facetam fabulam nouus auctor adiungit. Scribit enim, cùm Panuſius quidam Æthiopici Imperij clauum teneret, multos legum Doctores à Luſitano rege miſſos
cum

cum grandi ſarcina librorum (in quibus erant Bartolus, Baldus, & permulti alij generis eiuſdem) eo animo ad illum veniſſe, vt canonicas & Cæſareas leges, iuriſque vtriuſque peritiam in Abaſſiæ regna introducerent. Cùm Imperator tam copioſam videret librorum ſupellectilem, miratum rogaſſe, quid nam in illis libris ſcriptum eſſet; reſpondiſſe Doctores, Eccleſiaſticas & Ciuiles leges: ſe iuris eſſe conſultos, ad quos regnorum, prouinciarum, vrbium, oppidorúmque omnium gubernatio pertineret; quorúmque eſſet cauſas diiudicare, controuerſias dirimere, lites æſtimare, ius ſuum cuique reddere: eam ob rem illa ſecum volumina deportaſſe. Poſt hæc, quod cuique libro nomen eſſet, quæ ratio nominis, qua de re in quoque ageretur, ſingulatim expoſuiſſe. Ipſis tandem ſilentibus Panuſium, qui ore hiſcente dicentes intuebatur, eorúmque in reddenda voluminum ratione inanem ſolicitudinem & laborem irridebat, cùm nec verbum vllum intelligeret, ad hunc modum dixiſſe. Quæ igitur ex hac veſtra tam prolixa oratione nobis licet colligere, iſta ſunt. Primùm vos Doctores vocari: ſed ego Doctores alios non agnoſco, niſi eos, quos agnoſcit Eccleſia, Auguſtinum, Hieronymum, Athanaſium, Baſilium; nec in his regionibus, quæ ſub noſtra ditione ſunt, præter ſacros Theologos vllum permittimus Doctorem dici. Deinde hiſce libris, quos attuliſtis, leges contineri: ſed ego præter Chriſti legem non recipio aliam; nec alia eſt, quæ hoc nomen mereatur: cæteras, quas vos leges dicitis, nos Conſtitutiones appellamus. Item ad vos litium cauſarúmque negotia pertinere, veſtríque muneris eſſe controuerſias agitare, facultates quibuſdam auferre, aliis dare, & his paria ſententiis veſtris efficere: ſed ego

in regnis meis nec lites habeo, nec habere volo; nemo in illis abſque mea facultate quidquam vendit, aut emit;nemo decedens quidquam alteri teſtamento relinquit,niſi noſtram ad id habeat poteſtatem;& hac ratione omnis litium materies ab his noſtris regionibus quamlongiſſime abeſt.Veſtro igitur labore nobis opus nō eſt.Quamobrem vos precor,vt nos quietos & pacatos eſſe ſinatis, atque in Luſitaniam veſtram quamprimum reuertamini;intráque paucos dies his oris relictis, quocumque libuerit, veſtris cum libris abeatis; alioquin & illos, & vos vnà cum illis, ſi parere imperio noſtro recuſabitis, in fluentem Nilum,quà profundior eſt, proiici imperabo.Cùm Doctores Panuſium vidiſſent trucibus oculis, terribili aſpectu,verbis minacibus effundentem iras, nulla interpoſita mora, naui conſcenſa Goam petiere. Hæc prædictus auctor,quæ riſum quibuſdam, iram fortè aliis mouebunt. Quis eſſe nugas neget?An iſta de ſupremo Senatu, déque legū Doctoribus à ſuo Abaſſino acceperit, neſcio; ab auctore certè alio non ſcribuntur;& fabulas eſſe nemo,qui leget,dubitabit. Sed pacatè quæramus,quis tam multos in Abaſſia creat Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, vbi præter vnum Abunam,de quo poſtea, certum eſt, Patriarcham alium,aliúmve Archiepiſcopum, aut Epiſcopum non eſſe?Quinam illi Equites ſunt,quos abſque dubio Abaſſia non nouit?Sed hæc, & quædam talia ſeriò inſectari,inane fortaſſe fuerit, cùm facile ſe ipſa prodant. Illud tamen non prætereundum. Ecquiſnam ille fuit Imperator Panuſius, qua ætate vixit? A tempore quidem, quo Petrus Couillanius Luſitanorum primus Abaſſiam intrauit,ad hodiernum vſque diem Panuſius Imperator nullus fuit, quod eſt à nobis

bis ſuprà demonſtratum. Quæ præterea illa fuit, Doctorum caterua tam grandi librorum ſarcina onuſta? Conſtat enim præter milites Luſitanos, qui Præfecto Gama Æthiopiam adiere, & Societatis religioſos, qui ad eadem loca diuerſis poſtea temporibus miſſi ſunt, paucóſque alios, de quibus partim ſuprà memini, partim dicam poſtea, haud vllos alios fuiſſe homines ab Luſitano Rege illuc miſſos. Si qui tamen, quales fingit, miſſi fuiſſent, ecqua illius commentitij Imperatoris in recipiendis aduenis, à præſtantiſſimo & amiciſſimo rege ad ſe miſſis, tanta eſſet imprudentia? Cogitari certè nihil poſſet vllo in principe, quamuis barbaro, ac rudi, magis ineptum, nec magis indecorum. Adeò verò falſum eſt, leges noſtras ab Æthiopicis Imperatoribus contemni, vt quod ex literis Petri Paëz, Societatis Ieſu ſacerdotis, nobis eſt compertum, anno 1604. is, qui tunc imperabat, & poſtea Sacinos, qui ſucceſſit, eas habere ſummopere optarent. Pergit nouus auctor deſcribere cætera. Prætorium, inquit, vbi cauſæ tractantur, tanta apud omnes in veneratione eſt, vt nullus equo, vel mulæ inſidens audeat prope pertranſire, aut quacumque ex cauſa ad illud, veluti ad aſylum, confugere. In aula tredecim ſunt ex ferro ſedes, corio inſutæ, non ad ſedendum, ſed ad oſtentationem expoſitæ. Diebus ſingulis afferuntur de nouo, iterúmque remouentur. Quæ media eſt, inter duodecim eminet. Cùm iudices litigantium cauſas audiunt, humi ſedent, in duos diuiſi ordines. Sua cuique ordini poteſtas; ſua ad reos detinendos cuſtodia. Hic vtriuſque partis dicendi mos. Quidquid accuſator habet opponendum reo, continenter dicit. Eo ſilente, ſuam reus inchoat defenſionem, eámque ſine interruptione ad exitum perducit.

Rursum si quid habet accusator, quod obiiciat, profert in medium. Respondet iterum reus, si lubet; & qua ratione potest, culpa se purgat. Hunc in modum tamdiu actor & reus contendunt, donec finitis vtrimque rationibus, vltro quiescunt. Tum ex iis, qui adsunt, quidam veluti assessor, quæ sunt pro vtraque parte allata, fideliter repetit, & vtra sibi causa magis probetur, breui oratione patefacit. Post hunc Iudices ipsi suas singulatim proferunt sententias. Tandem is, qui Senatui præest, quid sit agendum, suo iudicio decernit. Hæc autem verbis omnia, nihil scripto fit. Ita nouus auctor, quem ex illis ipsis Antonij literis apertè postea confutabo. Nunc pergo ad alia.

Qua ratione in Iudicum vitam & mores apud Abassinos inquiri dicatur.

Capvt XIV.

INter cunctas orbis nationes ait nouus auctor, vna Æthiopica est, quæ in re iudiciaria largitiones munerum seuerissimè prohibet. Hinc ortum, vt Philippus IX. ad Imperij culmen euectus, cùm nouisset nonneminem ex Iudicum numero, inter regni tempora munus accepisse, statuerit, vt magni Senatus pars dimidia singulis septenniis montem Amaram peteret, quo posset in Senatores ipsos diligens super hac re fieri inquisitio. Hæc autem ab eo est statuta forma, quæ hodieque seruatur. Primùm acciri ad se iubet Imperator omnes magni Senatus consiliarios. Ex iis deinde quindecim deligit (hæc dimidia totius numeri pars est) ipsísque præcipit, vt cum vno ex re-

gum

gum primogenitis, quos habet in famulatu, & mille prætorianis equitibus dictum in montem proficiſcā-tur. Illicò obediunt; & ſe omnes in viam dant, vno ex equitibus præeunte, & ſericum vexillum pallidi coloris cum Imperij inſignibus præferente. Simul atque ad montis radices veniunt, ex equis Senatores deſiliunt. Regius ille princeps, qui eſt cum Senatoribus miſſus, Abbates militares, qui ad ipſos Senatores excipiendos deſcendunt, equo inſidens ita breuiter alloquitur. Ex Imperatoris auguſtiſſimi, omnium Abaſſinorum regum ſupremi, ſemper Dauidis, domini mei mandato, vobis trado hos quindecim magni Senatus conſiliarios, quos videtis; illos habete apud vos, dum erit opus. Curate, ne incommodè ſint. Haud plura his, ad Imperatorem ſtatim regreditur, eíque peracti negotij reddit rationem. Tunc Imperator omnes Imperij ciuitates per earum procuratores, qui ſemper in curia ſunt, confeſtim monet, vt ſi quis erit, qui ab vllo ex iiſdem illis conſiliariis affectus iniuria fuerit, id planum faciat, quò poſſit, ſi deliquiſſe probabitur, pro meritis plecti. Cognita per vrbes Imperatoris denuntiatione, mox in vnaquaque cum parte cleri conuenit nobilitas, & præconis voce edicitur, vt quicumque ab aliquo conſiliario vllam accepit iniuriam, chirographum ea de re conficiat, in quo, & ipſius, & conſiliarij nomen, & quæ fuerit inferendæ iniuriæ occaſio, quo etiam tempore illata ſit, dilucidè contineatur. Ad excipienda iſtiuſmodi, ſi qua erunt, ſcripta, figitur publico in foro capſa, anguſtum deſuper habens foramen, quo extrahi nequeant. quæ erūt intromiſſa, quales ad eleemoſynas excipiendas eſſe in templis ſolent. Hæc firmiter eſt obſerata, nec ab vllo præter Imperatorem, qui ſolus clauem habet, po-

test reserari. Dies octo in eo loco perseuerat; quibus elapsis vnaquæque ciuitas, suam, ita vt est, cum bona militum custodia ad Imperatorem capsam mittit. Vnus ex ciuibus agmen ducit, explicatum manu præferens ciuitatis suæ signum. Cùm ad palatium ventum, vocat Imperator cubiculi præfectum (is vnus est ex regum primogenitis natu antiquior) quamdam illi clauem porrigit, inbétque conclaue aperiat ad hoc designatum, & allatam in illud capsam intromittat. Ea recepta datur iis, qui detulerant, ad suos redeundi facultas. Postquam capsæ omnium ciuitatum eo, quo dictum est, modo in egiam sunt deportatæ, & in prædictum conclaue intromissæ, Imperator omnibus regum primogenitis, & aliis viginti aulicis comitatus conclaue ingreditur; reserari iubet capsas, colligi chirographa, quæ cuiusque ciuitatis sunt, separatim poni, omnia demum voluminibus distincta, & inscripto cuique volumini propriæ ciuitatis nomine, in alia prægrandi capsa simul recondi, & attrato vehiculo impositam legato magni Abbatis ordinis militaris sancti Antonij tradi; vt is cum trecentis equitibus eam deferat in vrbem Sabam, & committat eiusdem vrbis sacerdotibus, ad quos pertinet ea de re sententiam ferre. Ad vrbem legatus cum capsa perueniens, magno cum apparatu, & celebritate excipitur; defertúrque ad exedram capsa, ibíque diligenter custoditur. Id vbi factum, legatus cum sociis ad curiam reuertitur. Post hæc è templo exeunt Sabæ sacerdotes cum nobili comitatu, velatis capitibus, vt Abassinis sacerdotibus mos est; exedram ingressi, circa delphicam mensam in orbem sedentes, capsam aperiunt, arbitris remotis; volumina extrahunt; legunt chirographa; querelas scripto notant, & ad suam quasque

bona

bona cum cura mittunt ciuitatem, vt proprij sacerdotes simul cum nobilibus rei veritatem sedulò inuestigent. Si quem consiliarium accusatum reperiunt, per nuntium, vel literas ipsum confestim monent, vt certum intra tempus obiecta purget. Is monitione accepta ad purgandum sese ex monte Amara vnum equitem mittit. Si probatione res eget, dicti sacerdotes ad eum locum, vbi de ipsa agendum est, equitem eumdem delegant, vt rogandis testibus, & rebus cæteris, quas ad aperiendam veritatem fieri oportebit, præsens adsit. Tum verò si constet, consiliarium culpa vacare, sacerdotes Sabæ ad eius vrbis, cuius accusator incola est, sacerdotes scribunt, vt ipsum pœna puniant talionis, quo sint aliis documento, ne deinceps per artem calumniandi insidias innocentiæ moliantur. His tandem peractis sacerdotes Sabæ cuncta, quæ reperere, & suam de vnaquaque re sententiam, cedrina includunt arca, pérque certos, quos eam in rem destinant, sacerdotes ad Imperatorem mittunt. Antequam hi curiam adeant, sub tentoriis tantisper subsistunt; dúmque ibi sunt vni ex regum primogenitis præcipit Imperator, vt cum centum nobilibus ad illos excipiendos egrediatur. Abit hic, & humanè benignéque salutatos ad Imperatorem ducit, vultus & capita de more velatos. Vbi in aula ventum, illis se Imperator cum eximia quadam amoris significatione præbet videndum; capsámque recipiẽs ab iis traditam, suo in cubiculo reponi iubet. Postquam verò & de hac ipsa re, & de permultis aliis beneuolos cum ipsis sermones confert, ab se dimittit; atque vt Sabam redeant, liberum facit. Eodem illi modo, quo sunt in curiam ingressi, suam repetunt vrbem. Imperator autem lectis sacerdotum

teſt reſerari. Dies octo in eo loco perſeuerat; quibus elapſis vnaquæque ciuitas, ſuam, ita vt eſt, cum bona militum cuſtodia ad Imperatorem capſam mittit. Vnus ex ciuibus agmen ducit, explicatum manu pręferens ciuitatis ſuæ ſignum. Cùm ad palatium ventum, vocat Imperator cubiculi præfectum (is vnus eſt ex regum primogenitis natu antiquior) quamdam illi clauem porrigit, iubétque conclaue aperiat ad hoc deſignatum, & allatam in illud capſam intromittat. Ea recepta datur iis, qui detulerant, ad ſuos redeundi facultas. Poſtquam capſæ omnium ciuitatum eo, quo dictum eſt, modo in regiam ſunt deportatæ, & in prædictum conclaue intromiſſæ, Imperator omnibus regum primogenitis, & aliis viginti aulicis comitatus conclaue ingreditur; reſerari iubet capſas, colligi chirographa, quæ cuiuſque ciuitatis ſunt, ſeparatim poni, omnia demum voluminibus diſtincta, & inſcripto cuique volumini propriæ ciuitatis nomine, in alia prægrandi capſa ſimul recondi, & attrato vehiculo impoſitam legato magni Abbatis ordinis militaris ſancti Antonij tradi; vt is cum trecentis equitibus eam deferat in vrbem Sabam, & committat eiuſdem vrbis ſacerdotibus, ad quos pertinet ea de re ſententiam ferre. Ad vrbem legatus cum capſa perueniens, magno cum apparatu, & celebritate excipitur; defertúrque ad exedram capſa, ibíque diligenter cuſtoditur. Id vbi factum, legatus cum ſociis ad curiam reuertitur. Poſt hæc è templo exeunt Sabæ ſacerdotes cum nobili comitatu, velatis capitibus, vt Abaſſinis ſacerdotibus mos eſt; exedram ingreſſi, circa delphicam menſam in orbem ſedentes, capſam aperiunt, arbitris remotis; volumina extrahunt; legunt chirographa; querelas ſcripto notant, & ad ſuam quaſque

bona

bona cum cura mittunt ciuitatem, vt proprij sacerdotes simul cum nobilibus rei veritatem sedulò inuestigent. Si quem consiliarium accusatum reperiunt, per nuntium, vel literas ipsum confestim monent, vt certum intra tempus obiecta purget. Is monitione accepta ad purgandum sese ex monte Amara vnum equitem mittit. Si probatione res eget, dicti sacerdotes ad eum locum, vbi de ipsa agendum est, equitem eumdem delegant, vt rogandis testibus, & rebus cæteris, quas ad aperiendam veritatem fieri oportebit, præsens adsit. Tum verò si constet, consiliarium culpa vacare, sacerdotes Sabæ ad eius vrbis, cuius accusator incola est, sacerdotes scribunt, vt ipsum pœna puniant talionis, quo sint aliis documento, ne deinceps per artem calumniandi insidias innocentiæ moliantur. His tandem peractis sacerdotes Sabæ cuncta, quæ reperere, & suam de vnaquaque re sententiam, cedrina includunt arca, pérque certos, quos eam in rem destinant, sacerdotes ad Imperatorem mittunt. Antequam hi curiam adeant, sub tentoriis tantisper subsistunt; dúmque ibi sunt vni ex regum primogenitis præcipit Imperator, vt cum centum nobilibus ad illos excipiendos egrediatur. Abit hic, & humanè benignéque salutatos ad Imperatorem ducit, vultus & capita de more velatos. Vbi in aula ventum, illis se Imperator cum eximia quadam amoris significatione præbet videndum; capsámque recipiẽs ab iis traditam, suo in cubiculo reponi iubet. Postquam verò & de hac ipsa re, & de permultis aliis beneuolos cum ipsis sermones confert, ab se dimittit; atque vt Sabam redeant, liberum facit. Eodem illi modo, quo sunt in curiam ingressi, suam repetunt vrbem. Imperator autem lectis sacerdotum

Sabæ ſententiis, in montem Amaram literas mittit ad principem Imperij natu maiorem, eíque mandat, vt ad obeunda ſua munera quamprimum remittat ſenatores; quorum ſi quis in literis excluditur, in culpa eſſe intelligitur, & pœnæ loco conſiliarij officio perpetuò priuatur. Diſcedunt ergo ab monte ſenatores, eo comitante, qui literas detulit, & duodecim mille prætorianis equitibus ſtipati. Cùm Zambræ vicini ſunt, tendi iubent tabernacula, in iiſque manent vſque ad inſequentem diem. Tunc ad primam lucem cum tubis, tibiis, tympanis, aliiſque muſicis inſtrumentis, atque ingenti exultatione & tripudio ad eos exit aulica nobilitas; lætantérque exceptos ad Imperatoris palatium comitatur. Is inter primogenitos regum filios imperatoria auguſtus maieſtate, crucem pro ſceptro manu tenens, ſublimi ſedet duodecim graduum ſolio pretioſſimis tapetibus circumueſtito. Accedunt prope ſenatores; curuant poplites; tamdiúque ante Imperatorem ita ſunt, quibuſdam oblongis innixi ſcabellis, dum magni Abbatis legatus ſuggeſtum conſcendens pauca verba pronunciat. Ea ſunt: En habes coram te, Imperator auguſte, eos homines, quorum opera & conſilio in gubernandis populis feliciter vteris. De mandato tuo in monte Amara huc vſque fuere, donec in eorum actiones inquiſitum eſt. Probati, & omni immunes culpa redeunt ad te, ſuã tibi ac tuis operam, vt deinceps pręſtare pergant. His dictis, ingens in tota concione excitatur acclamatio; vox omnium hæc vna eſt, Viuat Imperator, qui ad honorem Dei, & Petri ac Pauli Apoſtolorum principum, Imperij ſui ſtatuta conſeruat, quæque à Ioanne ſancto, & Philippo VII. latæ ſunt leges, iubet obſeruari. Imperator læto atque hilari vultu cunctos ex

ſolio

solio despiciens, grata sibi esse ostendit eorum studia, & acclamationes. Ita nouus auctor, quem non possum non mirari, quòd tales excogitarit examinandorum iudicum tricas, vel ab alio excogitatas acceperit, suóque nomine in lucem prodiderit. Nemo sanè tam crasso est iudicio, cui queant ista probari; cùm eiusmodi sint, vt esse falsa statim appareat? sed & memoriæ lapsu peccat hic auctor, loquitúrque pugnantia, & affirmat postea, quæ priùs negarat. Pulsos Æthiopia dixit à suo Panusio Lusitanos legum Doctores, quia, vt nullæ ibi erant lites, nec litium causæ, ita neque ad eas tractandas, aut vllus iuris peritus, aut vlla iuris peritia requirebatur. Postea & litigatores admittit, & litigandi præscribit modum, & per omnes Imperij vrbes adiiudicandas causas, & controuersias cōponendas multos iudices distribuit.

De Latino quodam Senatu, qui apud Abaßinos esse dicitur, déque aliis ad Imperij administrationem pertinentibus.

CAPVT XV.

Scribit nouus auctor Æthiopia patefacta, cœpisse ex his Europæ partibus multorum hominum, præcipuè mercatorum, ingentem illuc concursum fieri. Id cùm videret Alexander III. Andrea Ouiedo suadente, Senatum instituisse, quem Latinum placuit appellari, quòd ea, quæ Latini orbis sunt, ad eum spectarent. Sex in eo creasse consiliarios, duos ex Ve-

neta gente, duos ex Florentina, duos ex Lusitana, excellente homines sanctitate, & rerum multarum experientia insignes; iis & Ouiedum ipsum præfecisse, & pinguia stipendia assignasse. Huius Senatus munus esse; primò vt de Europæis rebus, quoad opus erit, certiorem faciant Imperatorem. Secundò, vt si quis ex hoc orbe vel negotiandi, vel Abassiam videndi gratia illuc intrarit, id statim Imperatori renuntient, eique insuper exponant cuias, & cuius conditionis sit; quid in illis velit regionibus; num quas vel aliorum principum, vel Abassinorum, qui Romæ habitant literas ferat; & quæ sunt generis eiusdem. Tertiò vt quæ ad Imperatorem ab Latinis oris epistolæ mittuntur, eas ipsi interpretentur, iisque, qui scripserunt, quo necesse erit idiomate, respondeant. Ita hic auctor de Latino Senatu; quem tam verum est apud Abassinos esse, quàm extitisse aliquando Alexandrum illum tertium, qui eius fingitur institutor. At eiusmodi Alexandrum commentitium esse, iam est à nobis apertè demonstratum. Quo autem honoris loco apud hosce Abassinos Imperatores Ouiedus fuerit, & tetigi suprà, & latè postea videbitur, nunc dicere supersedeo, ne sæpius eadem repetantur. At ingentem illum ab Latino orbe in Abassiam cōcursum, satis constat fictitium esse, & prorsus inanem, cùm & valde tenuis illic sit mercaturæ vsus, quod paulo antè dixi, iique testantur, qui illis in locis versati sunt, & Saracenorum, Turcarúmque armis ita aditus sit interclusus, vix vt vllus aduena queat intrò penetrare. Quæramus deinde ecqui nam i[illegible] sint Veneti, Florentini, & Lusitani mercatores? Illuc ne ex Europa immigrarunt, vxorésque suas ibidem habent, & familias; an in portandis atque exportandis mercibus quę-
stum

ſtum faciunt,eúntque ſæpius,& redeunt, haud fixum ibi domicilium habentes? Vtrouis de genere ſint, mixtum eſt, iis, qui apud nos ſunt, prorſus eſſe ignotos. Veneti, & Florentini rogati,an vlli ex ſuis in Abaſſia mercatores ſint,iocoſam magis rem, quàm ſeriam ſe rogari crediderunt. Verùm ad alia. Scribit præterea, Abaſſinos Imperatores, cùm fidem Chriſtianam & Catholicam eximiè colant, in procurandis Imperij negotiis adeò eſſe ſolicitos,vt non ſatis habeant, à iudicibus,& conſiliariis de rebus ad Reipublicæ pacem & tranquillitatem attinentibus bis in qualibet hebdomada certiores fieri, ſed velint etiam per ſe vel à litigatoribus,vel ab eorum Aduocatis cauſas & controuerſias audire, vt modum ſtatuant, quo poſſint iuſtè,& quoad res ferent,quambreuiſſimè abſolui. Si ad bellum,inquit,negotia ſpectent, ea Imperator ipſe agnoſcit, & magni Abbatis legatum adſciſcit conſiliarium,vt quod videbitur fieri oportere, quamocyſſime fiat. Singulis ſeptenniis totum Imperator luſtrat Imperium.Talis autem hac in re ſeruatur modus. Appetente profectionis tempore,duodecim primùm parantur vexilla, quæ ante Imperatorem ferri erecta & explicata ſolent; deinde papiliones, & tentoria, ſub quibus & ipſe Imperator,& tota eius habitat familia; numquam enim,dum huiuſmodi munus obit, in oppidis hoſpitatur. Ad cuſtodienda tentoria tres ex vnaquaque vrbe cuſtodes aſſignantur,nobilis vnus, ciuis alter,tertius plebeius. qui omnes ſeptem millium & quingentorum efficiunt numerum. Tres iſti in partes diuiſi ita ſe habent,vt primùm per ſe nobiles, deinde ciues, tum plebei excubent ad Imperatoris tentoria; rursúmque redeatur ad caput, ordóque vnus alteri ſuccedat.Pedibus plebei,equis cæteri conficiunt iter.

Præter

Præter hanc papilionum custodiam numquam ab Imperatoris latere discedunt prætoriani milites, qui duodecim mille sunt, omnes sancti Antonij equites. Hoc tamen ex numero deliguntur trecenti; quorum centum plebeis, totidem ciuibus præsunt; reliquis centum data cura per vicinas vrbes cibaria procurandi. Vrbes hi nequaquam ingrediuntur, sed cuiusque ad portas duos habent paratos ministros, quorum hac in re vtuntur opera. Cùm Imperator alicui vrbi propinquat, figi in apto loco iubet tentoria; & ibi proximam agit noctem. Die insequente Imperatorio ornatus habitu, atque elephanto vectus ad vrbem progreditur. Abest tunc ab ea rex; ante Imperatoris enim aduentum ex præscripto iure alium in locum abire cogitur; nec ante eiusdem discessum potest reuerti. In ipso aditu rectores ciuitatis (sex numero in vnaquaque sunt) Imperatorem excipiunt, damascenis nigri coloris induti vestibus, vsque ad talos demissis; inter hos quidam est ex nobilibus, qui vexillum tenet cum ciuitatis insignibus. Adsunt, & vrbis eiusdem sacerdotes, quorum vnus in manibus librum habet missalem. Adest & supremus vrbis gubernator, breuem manu gestans virgam, & atrum amiculum, stolæ in morem, ex humeris appensum, in quo & aureæ circum fimbriæ, & stemmata sunt Imperatoriæ dignitatis. Ad vrbis ingressum descendit Imperator ex elephanto, manúque sacrum librum tangens à sacerdote porrectum, iurat se tum Florētini Concilij, sedísque Apostolicæ constitutiones, tum Ioannis, qui Sanctus nominatur, & Philippi VII. statuta seruaturum. Mox ad illum cuncti sacerdotes, vt reuerentiam exhibeant, bini accedunt; post illos Gubernator, & cæteri rectores, qui præstita sub iureiurando obedientia,

dientia, Imperatori promittunt, se ex tribus filiis ad Imperij defensionem vnum daturos. Vbi hæc peracta, vrbem pedes ingreditur Imperator. Ingredientem comitantur duo & quadraginta regum filij, quindecim magni Senatus consiliarij, legatus magni Abbatis, nobiles aliquot ex orbe Latino: multitudo reliqua manet in tentoriis. Hoc septus comitatu, quatuor, quæ in vrbe sunt, parochias primùm adit: deinde ad S. Antonij se confert abbatiam; tum domum intrat, in quam ad tractanda negotia conueniunt nobiles, vbi de seruandis Imperij statutis breuem ad eos habet concionem: suámque ad id, quantum opus erit, opem offert. Inde ad puellarum accedit gynæceum (in vnaquaque vrbe vnum est) quî habeant, quibus egeant, sciscitatur: & suppeditari iubet necessaria. Si qua inter eas est, quæ matrimonio velit copulari, potestatem ei facit; vetitum enim aut regis filium sine Imperatoris, aut nobilem sine regis, aut ciuem sine nobilium, aut plebeium sine ciuium facultate coniugium inire; cui tamen vult Imperator, eam concedit; id ipsi liberum. Hæc auctor ille, quæ non minus, quàm superiora fictitia esse extra dubium est. Haud opus singula refellere. Satis erit ostendere, quod paulo pòst faciam, Abassinos Imperatores non modò Apostolicæ sedis nihil decreta curare; sed plerósque ex iis, qui proximis annis Imperium tenuere, Romanam fidem, noménque hostili animo fuisse insectatos. Quæ verò de Imperij lustrandi forma, de vexillis, de papilionum custodibus, de prætorianis equitibus, de vrbium ingressu, de imperatorio comitatu, de quatuor vrbis parochiis, de S. Antonij Abbatia, de nobilium domibus, de puellarum gynæceis, déque eiusmodi aliis dicuntur, me tacente, facile quiuis intelli

telliget fabulas eſſe. Videbitur paulo pòſt, num ſit credibile, tam exhauſtos principes, tantiſque iactatos & oppreſſos bellorum calamitatibus, tanta cum magnificentia & celebritate Imperij terras luſtrare poſſe, quippe qui ſicuti ſæpe iam dixi, vt ab domo pellant hoſtes, ſéque ab eorum armis tueantur, ad externas opes cogantur confugere.

Quæ ſcelera, quibus pœnis in Abaſſia puniantur.

CAPVT XVI.

DE pœnis, quibus apud Abaſſinos addicuntur rei, déque variis puniendi modis varia ab hiſtoricis traduntur, quorum pleraque abſunt à vero. Proponam breuiter, quæ ſcribit nouus auctor. Ait vni tantùm delicto mortis ſupplicium iure decerni; id proditionem eſſe. Ad hoc vnum duo alia reduci, homicidium, & adulterium; illud quidem quia qui hominem occidit, regi quoque ſuo audebit necem inferre; hoc verò quia qui thorum violat alterius, eiúſque honorem lædit, iniuriam videtur principi ſuo facere, cuius ſolius eſt honores conferre. Reliquis delictis nullum eſſe iure ipſo ſtatutum capitis ſupplicium, ſed pro Iudicum & Imperatoris arbitratu plecti ſolere, aliquando morte, frequentiùs exilio. Relegari potiſſimum reos ad præſidia, quæ partim in finibus ſunt Imperij, contra Mahumetanos Borni incolas, acerrimos Æthiopum hoſtes; partim contra Arabes piratas, in maritimis vrbibus freti Erythræi. Eo verò quéque

que reum difficiliori constitui in loco, quo grauius suscepit crimen. Olim in vsu fuisse oculos furibus erui, vt hoc priuati instrumento, vel inuiti à tali abstinerent maleficio. Nunc quamuis enormia suscipiant latrocinia, ad Borni præsidia amandari, seruata vita. Quibus inferenda mors est, eos neque infelici arbore suspendi, neque igni vrendos tradi, neque strangulari, sed viuos leonibus exponi; hoc vnicum esse in tota Abassia mortis supplicium; ideo singulis in ciuitatibus loca designari, in quibus, vti in carceribus, hæc animalia seruantur. Tres ante mortem dies denuntiari damnato sententiam, vt confessione animum expiet, & sacro viatico ad profectionem se comparet. His elapsis, conduci ad locum supplicij; vestibus ibi denudari; velo oculos operiri; in lacum proiici; atque vno pæne momento temporis à bestiis deuorari. Nihil esse statutum contra parricidium, ignotum prorsus apud Abassinos flagitium; neque ipsis potuisse vmquam venire in mentem, esse inter homines, qui auderet vitam illi eripere, à quo eam accepisset. Aliquando euenisse, vt frater fratrem interimeret; dãnatum quidem ad leones qui fecerat cædem; verùm extra fines Æthiopiæ delatum, ibíque obiectum bestiis. Visum enim oportere, vt tam horrendi criminis patrator non viuus tantùm, sed etiam mortuus patrio careret solo, & apud alienos eius ossa exularent; ne pessimi exempli vicina fama percelleret pias aures posterorum. Peccatum illud, quod fœditate sua nefandi nomen sibi vendicauit, nulla ratione fuisse antea in Abassia notum; adeóque Abassinorum animos & cogitationes ab eo fuisse auersas, vt nemo crederet, posse ab vllo suscipi; ob eam causam non modò nullam ei per leges statutam pœnam, sed neque vl-
lam

lam in iisdem legibus factam de ipso mentionem. Cæterùm (quæ mala non inuehit in vitam mortalium natura deprauata) paucis antè annis vulgo cognitum, quosdam Italos illis in locis eo in scelere fuisse deprehensos. Increbuisse mox facinoris rumorem; adeóque per vniuersum Imperium rei atrocitate turbatum esse, vt crimen ad magnum Senatum delatum valde ancipites tenuerit consiliarios. Hæsisse eos primùm, inauditum flagitium considerantes; deinde quid opus facto esset, deliberasse: cùm tamen nullum reperissent, quod satis esse posset tanto malo supplicium, Alexandrum III. (is adhuc, vt ait, in viuis erat) ea de re consuluisse; eiúsque mandato commissum negotium Latino Senatui, vt iuxta Európæas leges in turpes prædicatores animaduerteret. Cùm verò grauitatem delicti, atque ex eo ortam in omniũ animis offensionem penderent Senatores, viderentque posse inde, vti ab pestifera radice, venenosam sobolem pullulare, nefarios nebulones vltricibus flammis tradendos communi sententia iudicasse. Hoc autem iudicium ita magnum Senatum, ad quem res delata fuit, approbasse, vt censuerit extra Imperij fines pœnam esse infligendam, ne tam horrendi facinoris vlla in Abassia memoria remaneret. Deferendos igitur in Mosambicum reos, ibi statuto supplicio mactandos: Imperatorem tamen cùm apud se cogitaret, eos homines ad Latinam Ecclesiam pertinere, & in ea natos esse prouincia, in qua Pontificis maximi sedes est, præcepisse, vt Goam deferrentur; & Latini Senatus sententia cum magni Senatus approbatione traderetur proregi, eam vt ipse exequi ministris suis mandaret. Ita factum; Proregem enim, accepta, lectáque sententia, quamprimum medio in foro ingen-

tes lignorum ſtrues parari,& reos,in ſua quemque incluſos,ſubiecto igne cremari, atque in cinerem redigi iuſſiſſe. Eo ex tempore conditum ab Imperatore nouum ſtatutum,& veteribus additum,vt ſi quis vmquam in tali culpa,quod abſit,deprehendatur,abſque vlla miſericordia detur viuus leonibus dilaniandus. Ait præterea hæreticos,& apoſtatas morte mulctari. Talem verò in perſequenda hæreſi ſeruari ordinem. Si quis,inquit,hoc crimine noſcitur infectus, ferreis catenis ligatus,Zambram ducitur. Ibi magnus Senatus eſt, eiúſque iuſſu ad Priorem eius cœnobij, quod habet ex Alleluia nomen,& Dominicani ordinis eſt, literæ dantur,ex quibus comprehenſum eſſe hæreticum agnoſcat. Tum Prior vnum ex religioſis,quem nouit ad rem idoneum, auctoritate ſua legit, eíque negotium committit. Is ſtatim Zambram petit, & ibi rem diligenter examinat; ánne hæreticus ſit, qui de hæreſi fuit poſtulatus, ſententia ſua declarat: ſi affirmat,Senatus decreto ad leones damnatur,iíſque viuus ſubiicitur,niſi reſipiſcat. Eodem punitur modo,qui à Chriſti religione ad Mahumeticam turpitudinem deficit. Ait præterea Abaſſino Imperatori cum Rege Borni,& cum Ægypti præfecto, ac cæteris Arabiæ principibus iam olim conueniſſe, vt qui mutandæ religionis cauſa,vel ad ipſos ex Abaſſia,vel ad Abaſſiam tranſierit ab ipſis, is ſuo principi reddatur, extremo ſupplicio perimundus. Eam tamen in hoc pacto interpoſitam eſſe conditionem, vt qui à Chriſto transfugerit ad Mahumetum, ad Abaſſinos omnino remittatur; qui verò Mahumeti ſeruitutem cum Chriſtiana libertate commutarit,is quoque reddatur ſuis, niſi quoddam inueniatur habere ſancti Dominici ſignum;id quoddam eſt exiguum ſcapula-

rium,certo Prioris notatum ſigillo. Quare cumprimum ex dictis locis Chriſti fidem ſuſcipere aliquis deſiderat, mox ſancti Dominici religioſis erudiendum tradi,& prædicto notandum ſigno. Hinc fieri, vt ea,quæ inter Abaſſinum,& vicinos principes eſt, de reddendis transfugis conuentio, nihil iis incommodet, qui Chriſtianis ouibus cupiunt aggregari. Scribit item idem auctor,ſtriges deferri ad templum, ibi Dominicanæ familiæ religioſum damnationis ſẽtentiam legere ex ſuggeſto. Ea audita eaſdem ſtriges duci ad periſtylium,ſeu clauſtrum templi,tamdiúque à ſacerdotibus vapulare,donec totum percurrant. Inde ad deſtinatum duci locum, vbi breuibus incluſæ parietibus vitam finiunt. Quæ enim fœminæ huic ſe arti ſemel addixere,vix contingere,vt ab ea deinceps vllo metu abſterreantur. Prudenter igitur cautum, vt quibus vita relinquitur,ipſo ſupplicij genere tentandi maleficij eripiatur occaſio. Periuros, ac blaſphemos ſacerdotali primùm reprehenſione redargui. Si labuntur ſecundò, ſeminudos, manúque cereum tenentes feſtis diebus ad templi valuas palàm exponi. Si peccant tertiò, veſte indui coloris pallidi, & iumentorum inſtar,os collúmque capiſtro ligatos duci per vrbem; demum in deſertam ſiue Arabici freti, ſiue auſtralis oceani inſulam amandari,vbi fame conſumpti, durum infelici vitæ imponant finem. Blaſphemis olim fuiſſe ſolitum oculos erui, vti indignis, qui cœlum aſpicerent. Ita viſu priuatos per Æthiopiam vagari,victum ſibi mẽdicando.Hæc ille omnia, ſed more ſuo multo copioſiùs. Pleraque ex his eſſe falſa,hoc præſertim tempore,quo ille maximè ea vera eſſe contendit,facili negotio intelligitur; cùm iam ex dictis conſtet, Abaſſinum Imperatorem in Erythræo

thræo freto nullum habere portum; quem præsidio firmet; vix milites habere quorum se armis tueatur. Tantum enim plerumque habet copiarum, quantum potest raptim parare, cùm hostis vrget. Quæ de hæreticis, de eorum censoribus, de ratione eos puniendi, déque aliis huiusmodi dicuntur, commentitia sunt, valdéque à vero absunt. Hæretici enim in Abassia præter ipsos Abassinos nulli sunt: hos verò plurimis, & maximis erroribus pertinacissimè adhærere, postea est demonstrandum. Si quis hos Catholicos dixerit, poterit hæreticos appellare Societatis religiosos, qui ipsis Abassinis ad Romanam fidem reducendis nauant operam. Præterea satis constat, & postea multo fiet apertius, nullum esse in tota Abassia Dominicanæ familiæ cœnobium; ex quo sequitur eius religiosos non esse ibi hæreticæ prauitatis censores, quod tantopere, nescio quo consilio, nititur hic auctor legentibus suadere. Vtinam tales ibi religiosi essent, & sanctæ Inquisitionis fungerentur officio; qui nunc in ea gente errores sunt, haud dubiè non essent. Quod de nefando scelere ab Italis hominibus commisso, & ad supremum inprimis Senatum, ad Latinum deinde, tandémque ad Imperatorem delato, auctor comminiscitur, eamdem, quam duplex ille Senatus, habeat à lectoribus fidem. Quæri tamen ab eo potest, quonam animo, quáve ratione ausus sit, illud flagitium Italis hominibus affingere? Debuit certè religione prohiberi, quominus id faceret, & genti toto orbe clarissimæ, quam suspiciunt omnes, & venerantur, tantam inureret infamiæ notam. Etenim si in tali turpitudine fuissent Itali re ipsa deprehensi, ratióque historiæ postularet, vt flagitium in medio poneretur, silendum fuisset gentis nomen, cùm rectè

constarent omnia, si tantum ab externis quibusdam hominibus patratum scelus diceretur. Iam verò, quàm est ineptum illud? hosce reos Imperatoris iussu fuisse Goam missos, vt Indicus prorex latam contra eos à Latino Senatu sententiam executioni mandaret? Ecquod obsecro, habet Preteiannes aut in Goanam vrbem Imperium, aut in Lusitanos prætores auctoritatem, vt flagitia in Abassia suscepta Indici prætoris ministerio Goæ plectantur? Haud opus ostendere meram esse fabulam, quæ de transfugis narratur; certius certo est nihil in ea dici, quod veritatem sapiat. Cùm auctor de strigibus locutus est, parcere debuit sacerdotum dignitati, & modestiæ; vtrique autem valde nocet, dum eos fingit lamiarum verberatores. Proponam hîc, quæ de re iudiciaria in illa Antonij epistola legi. Sic scribit. Demum habet Imperator (Calam Abassini vocant) multiplici circumdatam septo, sed humilem, & sine vlla contignatione, vt foris existentium clamores percipiat. Concurrunt vndique multi ad ostium domus; atque vt quisque ex diuersa natione est, ita peculiari modo contenta voce ab Imperatore ius postulat. Qui Lusitani generis sunt, clamant, Domine, Domine: Turcæ & Saraceni, Side, Side, quæ vox etiam Arabica lingua dominum sonat: alij Saió, Saió, hoc est, ô Sol, ô Sol. Alij simios, vulpes alij, alias alij animantes clamando imitantur; atque ex ipso clamore quo quisque ex genere aut prouincia est, facile dignoscitur. Vocibus igitur clamantium perceptis & cognitis, iubet Imperator eorum causas committi Vmbaris, ita curiæ iudices vocantur ab Vmbare, hoc est, tripode: duplici enim distributi ordine ad ostium palatij sedent, quidam ad sinistram, alij ad dextram, in tripide quisque sella. Neque

que ſcribis, neque vllo vtuntur ſcripturæ genere in toto hoc litium negotio. Oppidorum domini ſubditorum agnoſcunt cauſas. Hic apud illos mos. Cùm quis alium in crimen vocat, vnum toparcha ex familiaribus ſuis legit, qui diem reo dicat, & pro delicti cõditione neceſſarium aſſignet ad defenſionem tempus. Mox vadimonium promittit reus. Quòd ſi idoneum non habet ſponſorem, vel iureiurando adſtringitur, vel iniecta manui catena, quod frequentiùs fit, cum altero, cui traditur cuſtodiendus, colligatur, ne fugam capeſſat. Ad præſtitutum diem comparent in iudicio Actor & Reus, & pro ſe agit quiſque quantum poteſt. Diſceptatione finita, omnibúſque ex vtraque parte rationibus propoſitis, quotquot adſunt, ferunt ſententiam. Libera cuique ab hoc iudicio ad Vmbares, ab iſtis ad Azages, qui ſupremi iudices ſũt, ab Azagibus ad Imperatorem appellatio. Qui iudicis ſententia damnatur, non ſolùm parti alteri ſoluit litis expenſas, ſed etiam iudici pro iudicandi labore ſtipendium. Sæpe ſolent aliqui cum ſumma poteſtate prouincias luſtrare, vt furta, homicidia, & eiuſdem generis delicta plectant. Munus hoc conſtituta auctione venditur; & ex eo fit, vt non magis à latronibus & ſicariis vexentur populi, quàm ab iis ipſis, qui ad inſequenda crimina in prouincias mittuntur. Quicumque, quamuis priuatus capere homicidam poteſt. Cùm quis alicubi interficitur, ſtatim per circũuicina oppida defertur cædis nuntius, vt homicidam oppidani comprehendant. Ni faciant, certa mulctantur pecuniæ ſumma. Hæc de re iudiciaria, & nihil amplius Antonius.

De puerorum institutione & vsu literarum apud Abaßinos.

CAPVT XVII.

SCribit nouus auctor, Æthiopes in pueritia instituenda summam semper curam adhibuisse; atque ab eo tempore, quo adhuc gentilicas colebant superstitiones (quod nunc, & iam inde à Christi fide suscepta multo ait diligentiùs seruari) in vnaquaque vrbe duo instituisse collegia, puerorum vnum, cui inditum à sapientia nomen, alterum puellarum, quod virginitatis habet appellationem. Hoc intra, illud extra vrbis muros esse; omnésque in his incolarum filios, & filias educari; fœminas ab anno decimo vsque ad vigesimum; masculos ab octauo vsque ad decimum sextum. In vtroque doceri Christianæ fidei Doctrinam. Cæteráque ad cuiusque status & vitæ rationem necessaria; masculis quidem tradi literas, cæterásque, ad quas quisque suopte ingenio propendet, artes, fœminis verò ea omnia, in quibus iuxta patriũ vsum solent exerceri. In vnoquoque collegio tria esse domicilia, diuisa inter se; vnum nobilibus, alterum ciuibus, tertium plebeis destinatum; in quolibet pædagogos esse, ac magistros, pro cuiusque cœtus cõditione distinctos; ex nobilium tamen ordine quatuor esse viros, & totidem matura ætate fœminas, illos sapientiæ, has virginitatis collegio præsidere. Egredi masculos è collegio posse ad inuisendos suos, & causa animi laxandi; ídque festis communiter diebus, aliquando etiam profestis, cùm se occasio offert, ipsis concedi. Difficiliorem esse fœminis egressum. Neminem

minem nec reges quidem, ab ista dandi filios obligatione eximi. Duo potissimum ex tali institutione gigni commoda; vnum, quòd assuescant pueri à prima ætate suscipiendis confessionis & Eucharistiæ sacramentis; alterum, & hoc ex priori sequitur, quòd castè, & sincerè viuant. Inde fieri, vt in tota Abassia, vbi scorta plurima sunt, nullum indidem, sed ab externis omnia regionibus aduenire. Hæc nouus auctor de puerorum educatione, quæ omnino falsa sunt. Amant quidem Abassini literas, præsertim diuinas, in quas tanta feruntur cupiditate; vt vix vlla sit ex nobilibus fœmina, quæ Pauli epistolas, Dauidicos Psalmos, & similia ignoret. At hæc non in collegiis, sed domi suæ, & in templis addiscunt. Cum his puerorum domibus cõiungit nouus auctor lupanaria meretricum, de quibus aliqua dicit, quæ referre mihi pudor est. Illud risu dignum, quod adiungit, si qua ex his perditis fœminis ad meliorem frugem se recipiat, quæstúmque meretricium relinquat, eam mitti Goam vt inibi degat in domo, sic vti vocant, Conuersarum, cuius penes Societatis religiosos cura est; neque enim earum vlli fas esse in Abassia manere, ne pristini status memoria castas fœminas sollicitet ad turpitudinem. Earum quoque filios, si quos habuerint, cæteró sque ex illegitimo natos thoro, vbi ad debitam veniunt ætatem, ex Abassia pelli, ínque vrbem Goam, vel in Ormusiam, vel Denzilanum, vel denique Mosambicum amandari; ibíque ab Imperio longè dissitos sacerdotum expensis ali. Atenim quodnam Abassinis est in Goanam vrbem ius, vt eas fœminas ad illam se conferre, & in Conuersarum domum recipere, compellant? A quo item auctor hic accepit, administrationem illius domus, si qua Goæ est, Societatis religiosis

eſſe commiſſam? Ignorabat ab inſtituto Societatis eſſe alienum, fœminarum collegia moderari? Quis credat non legiſſe, vel audiſſe ſæpius, Societatis religioſos pluribus ſummorum Pontificum literis ab omni fœminarum cura & gubernatione eſſe immunes? Quod de ſpuriis dicit, eamdem habet, quam reliqua, fidem. Quis hoc neſcit? Hæc mihi fabula ex illis eſſe videtur, quas ex ſuo didicit Abaſſino, cui mirum eſt, in rebus talibus tam facile fuiſſe aſſenſum. Cautior quidem eſſe debuit, quàm vt cuncta, quæ ab illo accepit, literarum monumentis, quaſi certa, mandaret; niſi forte prudens & ſciens falli voluit, quòd vix credi poteſt. Quod ad literarum ſtudia attinet, à medicina incipit nouus auctor; atque hæc de medicis ſcribit. Eos in Æthiopia Philoſophos nuncupari, poſtquam Doctoratus gradum ſunt aſſecuti. Impoſito enim ſtudiis fine, examini ſubiici; ſi probentur, literas ab examinatoribus accipere, quibus de examine conſtet, & approbatione; & cum iis ad cœnobia Dominicani ordinis, quæ de Alleluia, & Plurimanos dicuntur, conferre ſeſe, propinquorum amicorúmque caterua conſtipatos. Ad eos excipiendos in templa exire religioſos, eorúmque Priorem nigrum candidatis imponere cum longis manicis cucullum; & de obedientia Romanæ ſedi præſtanda, déque ſeruandis Florentini Concilij decretis iuſiurandum exigere; eo exhibito, auream illis iniicere veſtem, ex collo in pectus demiſſam, in qua Imperatoris fulgent inſignia. Sic indutos ingenti omnium, quacumque tranſeunt, gratulatione & lætitia exceptos, in vrbes ſuas Philoſophos, hoc eſt, Doctores redire. Summo apud omnes eſſe in honore, multíſque affici & ornari tum publicis, tum priuatis beneficiis. Poſſe enim elephanto vehi

hi per vrbem, quod præter Imperatorem, antiſtites, virginéſque ſacerdotes, de quibus poſtea dicendum, nulli hominum fas. Poſſe, ſicut ciuitatum gubernatores, ſtola vti ex humeris appenſa, quod eſt eximiæ dignitatis inſigne. Ab omni cuiuſcumque tributi onere eſſe exemptos. Non teneri ea lege, quæ ex tribus cuiuſque filiis vnum bello addicit; quamuis & ipſi reges ea teneantur Eumdem namque legis auctorem, qui fuit Philippus VII. magno Baſilio ætate par, ſtatuiſſe, vt medici, honoris cauſa, ab illa eſſent ſoluti. Eam verò ob rem tanti medicos in Æthiopia fieri, quia præter medicinam nulla alia publicè addiſcitur ſcientia. Theologiam enim, & Chaldaicũ idioma, quod ſacris inſeruit, in cœnobiis ac templis inter ſolos Eccleſiaſticos tradi; Logicam omnino ignorari; mathematicas diſciplinas vix noſci; quidquid Philoſophiæ ad Medicinam neceſſarium eſt, cum ipſa ſimul addiſcendo coniungi. Itaque ſolam Medicinam in publicis gymnaſiis doceri, ad eámque perdiſcendam ſeptem tantummodo in toto Imperio generales eſſe Academias. Haud eſſe cuique liberũ, huic ſcientiæ operam dare; cùm ex qualibet vrbe ex nobilium ordine tres iuuenes à Rectoribus eligantur, ſunt qui & propenſo ſint in literas animo, & iudicio, ingenióque valere noſcantur. Hos communibus ali vrbium ſuarum ſumptibus, multóſque in Academiis annos conſumere; nec Medicinam tantùm, ſed etiam vulnera curandi, & pharmaca conficiendi artes addiſcere; rei quoque herbariæ nauare operam, quin multæ ſunt in Æthiopia herbæ, medicamentis aptiſſimæ. Quapropter vnumquemque ex his, qui ad ſtudia mittuntur; & medicum ſimul, & chirurgum, & medicamentarium, & herbarium euadere. Medicandi

modum cauteriis potiſſimum conſtare. Aliquando tamen,ſed rarò,ſcindi venam, & ſanguinem extrahi. Ad purgationes frequenter vſurpari fructum arboris cuiuſdam,quæ ad ripas alitur Nigri fluminis, Iuuay dictæ;prægrandem eſſe;& longa latáque habere folia;ac pomum magnitudine iuglandi par. Qui purgationem expetit, vno ex his vel altero ſumpto,tantiſper quieſcere, ac poſt horas duas ſudorem emittere,& ter,vel quater aluum exonerare; dein ad negotia expeditum,ac vegetum redire. Si maiori opus ſit purgatione,idem medicamentum reſumi; poſſe enim abſque vllo ſanitatis incommodo toties eodem die repeti,quoties libuerit. Hæc de medicis, & medicamentis nouus auctor,quæ falſa eſſe compertiſſimum eſt. Sunt quidem in Æthiopia, qui medicandi artem profiteantur, & curandis febribus, aliíſque morbis expellendis cauteria communiter adhibeant;quod in vſu etiam apud Saracenos eſt. Verùm ſeptem generales in Imperij vrbibus eſſe Academias;ex nobilium genere ad illas mitti; qui ſint à ciuitatum rectoribus delecti;hos ibi communibus ali expenſis: multóſque perdiſcendo annos tranſigere; denique præmiſſo de præſtanda Romanæ ſedi obedientia,& Concilij Florentini decretis ſeruandis iureiurando, ad Doctoratus gradum euehi,eximiíſquè ornari priuilegiis,quorum quædam nec regibus ſint conceſſa; cæteráque eiuſdem generis tam conſtat eſſe falſa,vt ne ipſi quidem Abaſſini, quibus ſolemne eſt res ſuas efferre, nihilque reſpuere, quod aliquam genti exiſtimationem conciliet, vltro oblata admittant, & à vero abeſſe facile fateantur. Illud etiam potuit hic auctor aduertere,cùm totam ferè medicandi artem apud Abaſſinos cauteriis, & quarumdam herbarum vſu contineri

tineri

tineri dixerit, non fuisse opus, suos illos medicos tanto tempore in scholis versari, & in perdiscenda re, quæ potest breuiter & facile addisci, multos annos consumere. Sed ad reliqua. Sic deinde scribit. Sacra Theologia non in publicis docetur Academiis, sed priuatim, tum in cœnobiis ordinis sancti Dominici, ac sancti Antonij Abbatis, tum in templis clericorum; nec alij, quàm Ecclesiastici in eius studium incumbunt. Æthiopica traditur lingua. Vt verò apud nos sententiarum Magister, aut sanctus Thomas, aut alius quispiam grauis scriptor, ita quatuor illa Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, quæ veluti quatuor Euangelia habenda esse Patres censuerunt, apud illos explicantur. Sanctæ Thomæ summæ, & quæ Theologica dicitur, & quæ inscribitur contra gentes, cẽtum iam abhinc annis à Petro Abbate Abassino ex Latino sermone translatæ sunt in Æthiopicum. Dominicani, qui in Abassia sunt, vtriusque scientiam addiscunt; quamquam Conciliorum doctrinæ impensiùs se dedunt. Scriptura diuina Chaldæo traditur idiomate, eique communiter nauant operam, qui sunt addicti sacris. Licèt autem disputandi ratio in eorum scholis ignota sit, non ideo tamen Abassinis Theologis denegari debet Scholasticorum appellatio, quam veteres Sapientes multis tribuere, qui longè aberant ab Scholasticis disceptationibus. Hæc ille, ex quibus rectè pauca; non esse videlicet apud Abassinos publicas scholas, in quibus Theologica tradantur; nullum esse de Theologicis rebus disputandi vsum; si quid Ecclesiastici addiscunt, id ex diuinis libris & Conciliis desumi. Cætera ferè omnia cum falsis numeranda. Neque enim vlli in Abassia Doctores sunt qui sicut

nostri

nostri apud nos Petrum Lombardum, aut sanctum Thomam, aliquémve alium explicant, ita quatuor illa Concilia magistrorum more interpretentur. Ecclesiastici, & nonnulli alij, præsertim nobiles, vt antè dixi, solent aliquid ex Scriptura sacra & quibusdam Conciliis memoriæ commendare; iísque habetur peritior, qui memoriter plura tenet. Alij Doctoratus gradus, aliæque Doctorum dignitates nullæ sunt. Pueri nobiles, vt iam dixi, partim domi suæ, partim in cœnobiis prædicto modo nonnihil addiscunt. Aliquibus religiosis exceptis, qui tamen sunt paucissimi, reliqui ferè omnes in maxima rerum sacrarum & naturalium ignoratione versantur. Quoniam verò de studiis literarum hoc loco egimus, non putamus abs re, ex plurimis, quæ idem auctor de Preteiannis bibliotheca scribit, aliqua breuissimè referre. Ait in monte Amara, in cœnobio sanctæ Crucis eam seruari, & ab Regina Sabæ accepisse initium; repositos ibi esse libros permultos, quos & tunc Salomon ipsi Reginæ ab Hierosolymis in patriam discedenti dono dedit; & singulis deinde annis solitus erat ad eamdem mittere. Inter reliquos esse quosdam, quos vetustissimus ille Enochus ab Adamo septimus de cœlo, de elementis, déque aliis Philosophicis rebus composuit. Esse alios, quibus res mathematicas, & plurima ad sacros ritus & cæremonias spectantia Noemus tradidit. Alios ab Abrahamo editos, cùm esset in valle Mambre, vbi philosophiam publicè profitebatur, & eos habebat auditores, quorum opera quatuor illos reges, qui Lothum nepotem ceperant, acie profligauit. Alios à Iobo, ab Esdra, à multis Prophetis, & summis Iudæorum Pontificibus de rebus variis conscriptos. Alios, in quibus plurimæ sunt Apostoli Pauli epistolæ

epistolæ Europæis ignotæ; & plura Euangelia hisce & similibus inscripta titulis, secundùm Hebræos, secundùm Nazaræos, Encratitas, Ebionitas, Ægyptios, secundùm Bartholomæum, Andream, Thomam, & secundùm alios: hæc autem opera licet incertæ fidei sint, & ex eorum numero, quæ Apocrypha dicimus, summum tamen afferre bibliothecæ ornamentum. Alios esse libros de rebus variis, partim soluta, partim ligata oratione à Sibyllis, alios ab ipsa regina, & eius filio Melilecho compositos. Cabalisticæ Iudæorum disciplinæ diuersa, tomísque diuisa plusquam quinque mille volumina. Tot denique in hac bibliotheca iustæ magnitudinis libros reperiri, vt numerati vix queant. Iis autem conseruandis, & amplificandis ducentos monachos addictos esse gnaros literarum. Hæc de monstruosa illa bibliotheca dixisse satis. Reliqua apud eum videat, qui volet. Duo tamen hîc adiungenda, quæ addit. Vnum est, Sirleti Cardinalis rogatu, fuisse à Gregorio XIII. Pontifice maximo in Æthiopiam missos Antonium Gricum, & Laurentium Cremonensem, vt hanc inspicerent bibliothecam; quos alij eodem fine sint comitati. Iuisse, vidisse, & librorum tum multitudine, tum pulchritudine, in summã raptos fuisse admirationem; tot enim simul reperisse vna in domo libros, quot numquam antea in aliis conspexerant Europæ locis; prægrandi omnes membrana ad æqualitatem compositos, diuerso idiomate, & characteribus optimis manuscriptos, graphicéque & artificiosè concinnatos. Alterum est, Abassinos Imperatores iam inde ab Regina Sabæ per ætates consequentes, summa semper diligentia procurasse, vt sua illa bibliotheca nouis continenter libris augeretur. Habuisse ab Iudæis plurimos, quo tempore illi

illi a Babylonijs, Aſſyriis, & Romanis victi, & in ſeruitutem redacti ſunt, plurimos ex clariſſima Alexandriæ bibliotheca, quando Imperatores Romani Titus, & Veſpaſianus vrbem Hieroſolymitanam bello ſubactam ſolo æquarunt; plurimos, cùm Saraceni Arabiam, Perſidem, Meſopotamiam, Armeniam, Aſſyriam, Palæſtinam, atque Ægyptum armis ceperunt: omnes enim tunc harum regionum Chriſtianos, belli furorem declinantes, cum ingentibus librorum ſarcinis in Æthiopiam ſe recepiſſe; quod antea fecerant alij veræ fidei ſectatores, cùm Ariana hæreſis per vicina Æthiopiæ loca, pérque orbem ferè totum non graſſari tantùm, verumetiam deſæuire cœpit; cùm item Vandalicus furor turbauit Africam; cùm demum Turcarum rex minorem Aſiam, Græciam, Conſtantinopolim, aliáque Europæ loca belli impetu penetrauit; nullum enim tunc fuiſſe hominem catholicum qui ſuis cum libris in Æthiopiam, veluti in quãdam ſalutis & religionis arcem, non confugerit. Tantam denique amplificandæ bibliothecæ in Abaſſinis Imperatoribus fuiſſe curam, vt cùm Mena, peruagata per Africàm fama, accepiſſet, Carolum V. armis Tunetum occupaſſe, valdéque inſignem & copioſam regis Muleaſſis bibliothecam, quæ in ea dicebatur vrbe eſſe, cum reliqua præda à militibus fuiſſe direptam confeſtim miſerit, qui Ægyptiis, Romanis, Venetis, Siculis, aliarúmque prouinciarum mercatoribus verbis ſuis nuntiaret, ſummopere ſe optare cunctos eius bibliothecæ habere libros; darent proinde operam, vt reddito militibus pretio illos recuperarent, & ad ſe mitterent; omnes ſe expenſas, quæ ipſis emendis, ac mittendis fierent, largiter ſoluturum. Hac ratione pluſquam tria acquiſiiſſe librorum millia, quibus

quibus rei herbariæ cognitio, Mathematicæ disciplinæ, Astrologia, Medicina, multáque alia scitu dignissima continebantur. Cæterùm vnde, & quanam ratione illa quinque millia cabalisticæ artis volumina comparata sint, si nosse lector velit, rem à nouo auctore sic accipiat. Cùm reges, inquit, catholici Fernandus, & Isabella propriis commodis Dei causa posthabitis, Hebræos ex Hispania eiecere, adeò copiosa perfidæ gentis examina in alias terræ plagas inde egressa sunt, vt Europam, Asiam, Africam implerint. Vix enim vlla fuit in orbe regio, quam pestis ista non inuaserit. Magna pars diuersis per Ægyptum, & Libyam itineribus Æthiopiã adierũt. Cùm eos Abassini de rebus Scripturę sacræ audissent colloquentes, & à lingua Hispanos, à ratione vitæ esse Christi hostes cõperissent, facile intellexerũt, genere & secta facẽ esse Hebręã. Rem deferunt ad Imperatorem; mittit ille ad cœnobiũ de Alleluia, qui patres familiæ Dominicanæ, hæreticæ censores prauitatis, ex tẽplo vocet ad se. Vbi veniunt, impensè mandat, vt aduenarum causam diligenter examinẽt, quod genus hominũ sit, qua lege viuant, quid in Æthiopiam quæsitum venerint. Patres, quod iussum, faciunt. libros primùm, quos secum Hebræi asportant, colligunt; ad reliqua dein progrediuntur. Ex libris Latino quidam, nonnulli Italico, alij Hispano, alij Arabico, alij demum Hebraico erant conscripti sermone. Abassini Hebraicos legêre, & Arabicos. Adsciti deinde Europæi, qui reliqua idiomata cognoscerent. Compertum igitur eos libros Rabbinicos esse, Thalmudicos, Cabalisticos. Tunc Imperator, quòd Hebræi cõtra Imperij statuta Abassiam intrarint, & amissione librorum, & perpetuo eos exilio mulctauit; adiectis insuper grauissimis pœnis, si

aut

aut confestim ex Æthiopiæ finibus non exirent, aut in illam vmquam reuerterentur. Horum quidam in regnum Borni, in Arabiam alij contulere sese, non sine magno Abassinorum damno, cum nitrati ac sulplurei pulueris vsum, cæterámque ferreos globos iaculandi artem, nondum illis locis notam, eorum hostibus patefecerint. Addit vltimò idem auctor, hos Hebræorum libros in aula quadam fuisse expositos, & ab Antonio Brico ac sociis recognitos; reperta etiam cum iis opera omnia, quæ Raimundus Lullus Cathalanus de arte magica conscripsit. Ex Thalmudicis tandem, & Cabalisticis, (eiusdem rationis plures erãt) quosdam Pontificis iussu Romam fuisse delatos, vt si quid inter illorum Hebræorum, & horum, qui nunc Romæ degunt, Cabalam, & Thalmudium esset discriminis, discerni posset. Hæc ille. Sed nullam in mõte Amara esse bibliothecam, ex literis habemus, & narratione eorum, qui loca illa diu coluere. Nonnihil librorum est in eo cœnobio, quod Axumum, vel Acaxumum dicitur, & à Regina Candace ferunt ædificatum in vrbe Saba, quæ nunc pæne euersa, & æquata solo nonnulla retinet antiquæ signa pulchritudinis. Quidquid id tamen librorum est, regiæ bibliothecæ non meretur nomen. Ita referunt, qui rem perpexere, indubitatæ homines fidei, quíque, quantum fert veritas, augere magis res Æthiopicas, quàm imminuere desiderãt. Quæ auctor idem narrat de Antonio Brico, & Laurentio Cremonensi à Gregorio Pontifice in Abassiam missis, vt Amaranam viderent bibliothecam, déque immensa Imperatorum sollicitudine in ea omni ex parte amplificanda inter fabulas reponãtur. Illud enim de Grico Romæ narratum mouit risum audientibus. Scilicet ea Pontificis maximi cura erat,

erat, vt homines in Æthiopiam mitteret, qui Amaranam explorarent bibliothecam (quamuis aliqua tam monſtroſa inibi eſſet) & Cabaliſticos atque Thalmudicos iuberet libros deportari, vt eos cum illis componeret, quibus, qui Romæ viuunt Hebræi, vterentur, quos quidem haud ſcio, an quid Cabala ſit, vllo modo agnoſcunt. De regis Tuneti bibliotheca quod additur, falſum eſt, & ſecum pugnans. Nam Carolus V. Tunetum cepit quatuor & viginti annis priuſquā Abaſſinum Imperium Mena teneret: illud enim anno contigit quingenteſimo trigeſimo quinto ſupra milleſimum; Mena verò, vt ex literis noſtrorum notum eſt, & iam ſuprà animaduerſum, Claudio fratri ſucceſſit anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono. Et de his ſatis iſta.

Quo tempore veri Dei religio in Aethiopia cœperit.

CAPVT XVIII.

QVi reginam Sabæ illam, quæ ab auſtro aut terræ finibus iiſſe dicitur ad audiendum Salomonem, in Inſula Meroe regnaſſe credunt, ij pro indubitato habent, poſt eius in patriam regreſſum, vnius veri Dei cognitionem eſſe in Æthiopia cœpiſſe. Reginam videlicet à Salomone edoctam, relicta idolorum ſuperſtitione tranſiiſſe ad Moſaicam religionem, ea tempeſtate probatam, illámque ſuis populis impertiiſſe. Huic ego haud dubitem aſſentiri ſententiæ. Atque inprimis, vt rem altius retexam, ambiguum eſſe doctis non poteſt, duas Sabæ nomine fuiſſe regiones per or-

bem cognitas. Vnam in ea Arabia, quę Felix nominata est, non procul ab Erythræo mari, à qua Sabęa thura celebrata Poëtis, & quod multis placet, tres illi reges, Bethlemitico olim nobiles aduentu, Sabæi nuncupati. Alteram ab illa alia non loco solùm, verumetiam Hebraica scribendi ratione separatam, quæ in hac, de qua agimus, Æthiopia fuerit, & à Cambisis siue matre, siue sorore (incertum vtra) Meroe postea appellata est. Non me latet, graues auctores asserere, ex Felice Arabia, non ex Æthiopia fuisse Sabæ reginam. Scio quoque alios esse, qui eam velint & in Arabia Felice, & in hac Æthiopia, & in vicina Ægypto latè patente ditione fuisse dominatam; quibus ego etsi non credo, non tamen repugno. Illud volo mihi dent, quod est à peritioribus, hoc præsertim tempore, magis probatum, hanc reginam in Æthiopica Saba sedem sui habuisse Imperij, indéque ad Solomonem profectam. Quas nouus auctor ad hoc firmandum ex antiquissimis literarum monumentis, hodiéque in monte Amara repositis, & ex templis ab ipsa regina per Æthiopiam conditis, atque ex rebus talibus affert coniecturas, veluti inanes, & in quibus ad faciendam fidem vis nulla sit, omnino repudio. Alias scio esse validiores, quibus eruditi mouentur; sed eæ nobis hoc loco, quibus aliud est institutum, intactæ prætereundæ. Quædam indicabo obiter haud abs re aliena, quæ de hac regina traduntur. Variis inuenio dictam nominibus. Quidam Nicantam vocant, Nictocrem alij, plures Nicaulam, non pauci Machedam, quod nomen recentiores historici vsurpant libentiùs, eò quòd ita vocatam ab Æthiopibus acceperint. Tanta ferunt præditam fuisse sapientia; & rerum futurarum præsensione, vt habita pro Sibylla sit. Nec desunt,

ſunt, qui illam credant, quæ eſt à quibuſdam Iudæa dicta, ea nimirum de cauſa, quòd & in Iudæa fuerit, & fidem acceperit Iudæorum. Nec valde diſcrepant, qui Sambetam, quaſi Sabæam appellant. Eamdem volunt apud Ethnicos fuiſſe illam, quam quidam Babylonicam, Ægyptiam alij, nonnulli Perſicam nominant. Viginti quatuor aiunt ſcripſiſſe libros, & multa in iis, quæ ad Chriſti myſteria ſpectant, neque in hac re vlli ex aliis Sibyllis ceſſiſſe. Sed hæc incerta. Vincentius Ferrerius, vir doctrina & ſanctitate clariſſimus, ſcriptum nobis in quodam ſermone reliquit; cùm Regina Sabæ ab Salomonis aula in patriam reuerteretur, torrentem in via reperiſſe, & in eo pontis loco tranſuerſum lignum; in quo cùm pro humani generis ſalute figendum Chriſtum diuino inſtinctu cognoſſet, ex mula, qua vehebatur, ſubitò deſcendiſſe, lignum flexis genibus, & effuſis lacrymis pronã adoraſſe, nec fuiſſe paſſam, vt vllus ex toto comitatu pedibus in illo inſiſteret. Miſiſſe deinde ad Salomonem nuntium cum literis, in quibus narraret, quid ſibi in itinere eſſet diuinitus patefactum. Salomonem re cognita, tolli inde lignum iuſſiſſe, & abſcondi ſub terra; id verò in eo factum fuiſſe loco, in quo poſtea constructa eſt Probatica illa Piſcina, Ioannis Euangelio celebrata. Hæc ille, & alia de eodem ligno ab aliis accepta ad ſanctiſſimæ Chriſti Crucis commendationem in eo, quem dixi, ſermone piè narrat. Nec deſunt, qui vera eſſe coniecturis ſuadeant. Mihi ſatis de Regina Sabæ iſta tetigiſſe, quam cum multis veteris legis ritibus ac cæremoniis æterni Numinis cognitionem fidémque à Salomone accepiſſe, & ſuis Æthiopibus communicaſſe, vt valde ſimile vero eſt, ita multorum literis conſtanter traditum. Quanto autem poſt eius mor-

tem tempore apud eas gentes ſincera fides perſtitetit, id quidem definiri certò non poteſt. Multos etiam nunc ſupereſſe Iudæorum ritus, haud eſt in dubio, vt poſtea oſtendam. Apud nonneminem reperio Melilechi filium eiuſdem Reginæ nepotem, nomine Ioſue, ſtatim à parentis obitu, relicta vnius Dei religione ad inanium ſimulacrorum tranſiiſſe cultum, & genti ſuæ, vt idem faceret, propoſitis pœnis præcepiſſe. Atque ita factum, vt ab eo tempore Æthiopum populi ad Idola redeuntes, & ſacra quædam, quæ fuerunt edocti, ex Iudæorum religione retinentes, ſimul fuerint, & cæremoniis Hebræi, & profeſſione gentiles. Sed in rebus adeò vetuſtis haud facile eſt quidquam ſcribere, quod difficultatibus ſit expeditum. Venio ad fidem Chriſti, quam nemo eſt qui negat ab ipſo ſtatim Apoſtolicæ prædicationis exordio fuiſſe in Æthiopiam fauſtè felicitérque ingreſſam. Duo ſecundùm Deum eius illuc inferendæ propagandæque commendantur auctores. Præceſſit Indica (hoc dicitur fuiſſe Reginæ Candacis Eunuchi nomen) ſecutus paulo pòſt Apoſtolus Matthæus. Ille ab Hieroſolymis, quò adoratum ierat, in Æthiopiam rediens, à Philippo Diacono Chriſtiana inſtructus diſciplina, & ſacra lympha tinctus, quam acceperat religionem, cœpit ſuis impertiri. Hic diſtributo Apoſtolis orbe, Æthiopiam ſortitò obtinuit, ad quam ſe conferens, quæ Eunuchi opera ſeri fides cœperat, ſubacto maioribus aratris ſolo, longè latéque per vniuerſam gentem, labore quidem magno, ſed non impari fructu, diſſeminauit. Quod Iouius habet Bartholomæum Apoſtolum, & Philippum Diaconum Chriſti fidem Æthiopes docuiſſe, cum probatis hiſtoriis parum cohæret. Parum & illud quod tradunt alij, Apo-

ſtolum

stolum Thomam apud eosdem Æthiopes Euangeliũ prædicasse. Longiùs videntur à vero deflectere, qui hanc Æthiopicam procurationem Philippo Apostolo asserunt commendatam. Philippus quidem diaconus ea ratione Æthiopum magister dici potest, quòd Eunuchum Indicam, qui Christianam ipsis fidem primus indicauit, Christi mysteriis instructum aqua abluerit salutari. Probabile etiam videri potest Apostolos Thomam, Philippum, Bartholomæum dum ad alias oras pergerent, per Æthiopiam transiisse, atque obiter, vt se occasio ferebat, Christum illis gentibus denuntiasse. Eam tamen prouinciam Matthæo peculiariter obtigisse, & nouis Euangelij radiis ab eo fuisse illustratam, vt constanter traditur, ita absque dubio credendum est. Quæ de Eunucho narrantur, hæc ferè sunt. Domum ab Hierosolymis reuersum, diuina Euangelij mysteria Reginæ Candaci, cui erat Iuditha nomen, primùm exposuisse, eámque adiunxisse Christo. Deinde prædicando Æthiopiam cœpisse peragrare; cúmque in id opus incumberet, de aduentu Matthæi nuntios accepisse; tunc accepta à regina facultate obuiam Apostolo iisse, suámque cum ipso in prædicationis negotio coniunxisse operam. Tandem, & Matthæi, & Eunuchi, & reginæ industria effectum, vt pulso penitus ab vniuersa Æthiopia idolorum cultu, omnes eius regionis gentes Christi imperio subiicerentur. Cæterùm non ideo Eunuchum quieuisse, sed Matthæo & regina consentientibus atque approbantibus, rubro mari transmisso ad alias orbis partes Christianæ fidei detulisse notitiam, & Arabiam, Persidem, Indiam, innumerósque Orientis populos perlustrasse. Postremò in insula Taprobana, quam nunc Zeilanum esse petitiores do-

cent,illustri martyrio finem vitæ imposuisse. Multa hisce de rebus scribunt aliqui. Ea ego neque simpliciter approbare ausim,neque reprobare:suum cuique de illis censendi iudicium sit. Videat tamen nouus auctor,an quæ de hisce rebus tradidit, cum iis, quæ de Matthæo, & ipsius morte ab Hirtaco rege illata ab Ecclesia recipiuntur,rectè cohæreant. Illud inter plerosque videtur constare,ex gentilium regionibus istam Abassinorum Æthiopiam, vel omnium primā Christi fidem fuisse amplexam, vel inter primas, & per annos multos integram sincerámque seruasse, permixtis ex ignorantia quibusdam Hebræorum cæremoniis ab reginæ Sabę tempore ex Iudæa aduectis. Sed iam hìc potissima nobis oritur cum nouo auctore concertatio. Is enim ab illo suo Abassino malè instructus,multis & locis & verbis contendit, numquā Abassinos fuisse vllis hæresum erroribus irretitos, numquam ab Ecclesia Romana, & à Romano Pontifice diuisos;sed Christianam fidem, vt eam à Matthæo,& Indica susceperant,ad hanc vsque diem perfectissimè custodiisse. Quæ assertio,quia apertissimæ veritati,quod iam dixi,& sæpius repetere oportet,aduersa est,non debet à nobis absque debita confutatione præteriri:præsertim cùm eo consilio cætera eius commenta adducamus,vt ex iis, quam hac vna in re habere fidem mereatur,perspici queat. Verùm antequam ad certamen procedam,lubet in vnum corpus coniicere,quæ circa Abassinorum mores ad Religionem vtcumque spectantes ex variis scriptoribus carptim collegi. De quibus siue ea vera, siue falsa sint,nullam mihi cum vllo homine volo esse controuersiam. Non enim sic illa scribo, vt in omnibus fidem exigam à legentibus,cùm neque ego prorsus vera

ra

ra eſſe mihi perſuadeam. Quæ tamen ex literis accepi religioſorum Societatis, qui nunc in Æthiopia verſantur, vel ſuperioribus annis inibi vixere, iis certè vt habeatur fides, illi ipſi merentur, qui ſcripſere, cùm & ipſi per ſe ea potuerint experiri, & ab omni ſint alieni ſuſpicione, quippe quibus neque vera narratio parere damnum queat, neque falſa vtilitatem; & ad eos ſcribãt, apud quos ſciant multos eſſe, qui Æthiopica illa loca diu coluerint, gentíſque mores accuratè annotarint; vt hac ex parte iure vereri debeãt, ne quid ab ipſis ſcriptum deprehendatur, quod aliqua ratione à veritatis norma declinet.

Qualis Abaßinorum in ſacra propenſio.

CAPVT XIX.

QVanta olim fuerit Abaſſinorum in Religionem atque in res diuinas propenſio, argumento ſunt multa quæ adhuc apud ipſos viſuntur pietatis indicia. Deiparam Virginem præcipua quadam beneuolentia ferunt coluiſſe; ipſíque adhuc in terris viuenti poſuiſſe templum, quod in tota Æthiopia à ſuſcepta Chriſti fide primum fuerit. Fundaſſe illud volũt in vrbe Acaxumo Reginam Candacem, eo ipſo in loco, vbi ab Indica Eunucho aqua luſtrali fuit aſperſa. Impoſitum delubro nomen à S. Maria de Monte Sionis, eo quòd ſacer lapis, qui erat in ara maxima, ex illo monte fuerit in Æthiopiam aſportatus. Illud quidem de templi fabrica & loco poteſt probabile haberi; quod de lapide additur valde mihi dubium, & eo ma-

ximè, quòd sit ab incertæ fidei auctore, sine grauiori testimonio traditum. Scribit etiam nouus auctor omnes festos solemnésque sanctissimæ Virginis dies, quos Romana celebrat Ecclesia, magna apud Abassinos celebritate agi: sic eos Assumptionem venerari, vt & mensibus singulis, decimo quinto die, eius memoriam solemniter recolant, & quotannis tres ac triginta dies continuos, stato tempore in eiusdem venerationem celebrent: hunc verò morem ex vetustis Imperatoribus quemdam, magnæ matri apprimè deditum instituisse. Purissimæ Conceptionis celebrandę talem ait fuisse causam. Quo primùm tempore insulam Mazuam à Saracenis habitatam Lusitana classis occupauit, Didacum Lupium Sequeriam, Indicum prætorem, Mahumetis templum, quod inibi erat, Ecclesiastico prius ritu expiatum sanctissimæ Virginis conceptioni dedicasse. Re à vicinis Æthiopibus non satis intellecta, quem Lusitani Conceptionis nomine festum diem agebant, eum ipsos nomine Natiuitatis tamdiu celebrasse, donec superioribus annis Alexander Cardinalis Farnesius, Æthiopiæ protector, multa à Pontifice piacularia dona obtinens, eáque Apostolico contenta diplomate, ad Abassinos mittẽs, effecit, vt ij quotannis octauum Decembris diem conceptæ Virgini dicarent. Ita nouus auctor. De hoc festo nihil habeo certi, quod dicam. An apud eas gentes celebretur, valde mihi dubium: vero similius non celebrari. Quòd illud à Lusitanis acceperint, omnino falsum, cùm à Romanis moribus auersi, Romana sacra oderint magis, quàm prosequantur. Protectorem Æthiopiæ Alexandrum Farnesium fuisse, ea ratione concedi potest, qua is Lusitaniæ Protector fuit. Idem auctor scribit, natiuitatis Christi memoriam

riam omnibus mensibus die vigesimo quinto recoli; idque ab eodem illo, cuius meminimus, Imperatore fuisse institutum. Credat qui volet, haud magni interest. Gestare Abassinos cruces quocumque eant, à pluribus traditur; Ecclesiasticos, & nobiles ex ebeno, reliquos ex viliori materia; priores manu, posteriores collo appensas. Est, vt aiunt, in Ecclesiasticis, & nobilibus talis significatio, vt illi scripturis, hi armis, cùm erit opus, crucis fidem ab hostibus defendant. Alij tradunt solos Ecclesiasticos cruces portari, quod credo verius. Qui sacris dicati sunt, eos etiam ferunt æream phialam benedicta aqua plenam secum ferre solere, & antequam edant, & bibant, cibum illa, ac potum leuiter aspergere; eandémque petentibus dispertire. Imaginum sacrarum antiquissimus apud eos vsus, & summa semper veneratio. Depingunt Christum; Christíque matrem, & beatos spiritus, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, cæteróſque omnes, quos frui credimus Dei conspectu. Vix templum est, in quo Georgij martyris non visatur effigies: magno in ipsum feruntur studio. Non vtuntur anaglyptis, vel quia cælandi & sculpēdi ignorant artem, vel ob alias causas, quas ignoro. Nouus auctor scribit, ex insigni horum Æthiopum in Sanctorum imagines veneratione ortum, vt Philippus VII. Imperator, qui Arij, iniquissimi hæresiarchæ ætate vixit, & Ioannes ille sanctus, cui singularem fuisse ait cum magno Basilio amicitiam, statuerint, ne quis absque Episcopi sui facultate vllam domi habere posset vllius sancti effigiem; ne fortè, quod plerumque fit, assiduitate eam videndi de ipsius cultu quidquam remitteret. Ob hāc causam quosdam esse, quorum opera in domesticis imaginibus inspiciendis vtantur Episcopi. His incum-

bere, ſemel in anno, ſtato die, eorum, quibus conceſſa habendi imagines facultas eſt ædes adire; quàm apto, quàm honeſto, quàm decente ſint in loco diligenter perſcrutari. Si quem deprehenderint, cui hac in re culpa ſit, mulctam illi imponere; & aliquando, quam habet, imaginem auferre. Vt omnibus in vſu eſt crucem geſtare, ita nulli vetitum eam domi habere. Crucifixi tamen Chriſti ſimulacrum habere domi, nemini prorſus conceſſum; quòd nefas ducant, rem tam auguſtam ac ſacroſanctam ſub peccatorum hominum tectis eſſe. In templis tantùm depingitur, ſecreto in loco; ſempérque velo tegitur. Sextis ſolùm anni feriis illa ipſa hora, qua Chriſtus creditur Patri ſpiritum reddidiſſe, accedere dicuntur ſacerdotes, accenſis cereis, & velum remouere; tum populum vniuerſum ingenti concurſu in templum conuenientem flexis genibus, magníſque clamoribus implorare veniã; & oſtenſum ſibi ſignum religioſiſſimè venerari. Illud à pluribus, & verius proditum, quæcumque Chriſti, Virginíſque Deiparæ, & reliquorum cœlituum ſimulacra Æthiopes fingunt, nigro ea efformare colore: illa contrà colore albo, quibus vel peſſimos homines, vel ipſos cacodæmones volunt exprimere. Ita Chriſtum, & Apoſtolos in vltima cœna depingunt nigros, Iudam proditorem album; nigrum Chriſtum patientem, albos Anam, Caipham, Pilatum, Herodem, cæterámque turbam carnificum, & Iudæorum. Similiter Michaelem cœleſtis principem militiæ nigrum efformant, album cacodæmonem eius pedibus conculcatum. Ieiuniis adeò dediti ſunt, vt ea in re à præſcripto rationis dicantur recedere, cùm ne ipſi quidem ægri à communi lege eximantur. Religioſæ quædam familiæ, vt etiam fit apud nos, ex inſtituti

ſui ratione ſemper abſtinent à carnibus; quod illis in locis haud leue eſt, cùm longè diſtent à mari, & piſculentis lacubus ac fluuiis plurimum careant. Solemne eſt omnibus bis in hebdomada ieiunare, quę fuit olim in tota Christi Eccleſia receptiſſima conſuetudo. Ieiunant primùm die Mercurij, quòd tunc de tradendo ad mortem Chriſto conſilium inter ſe Iudæi inierint. Iterum die Veneris, quòd tunc affixus ligno Chriſtus animam efflarit. His autem abſtinentiæ diebus vſque ad occidentem ſolem nihil omnino deguſtant; id faciunt more magis veteri, vt quidam aiunt, quàm vt Hebræos, aut Mahumetanos imitētur. Cùm ieiunant, poma aliqua pani adiiciunt, & coctas ſine oleo ac butyro herbas; illo carent; hoc victui tunc adhibere, graue ipſis piaculum. Multis anni temporibus, vt aduentus feriis, ſex primis Ianuarij diebus, cùm reges Magi Chriſtum recèns ortum adoratum ibant, vltimis nouem, qui ferias quadrageſimales prę eunt, primis quatuordecim Auguſti, ante aſſumptæ Virginis celebritatem, ab eſu carnium dicuntur abſtinere, & in meridiem differre prandium. Annis item ſuperioribus in memoriam pænitentiæ, quam olim Iona prædicante egerunt Niniuitæ, primos tres à Purificatione dies adeò religioſè ſtrictéque dicuntur ieiunaſſe, vt ne infantes quidem lactentes, niſi ſemel tantùm in die, admitterentur ad mammam; nunc abolitam ferunt eam conſuetudinem, vt pleraſque alias à maioribus vſurpatas. Aiunt quoque vltima Quadrageſimæ hebdomada viros nobiliores veſtibus ſe induere ad luctum aptis; eáſque plerumque nigras eſſe, vel cæruleas. Omnes item tam viros, quàm fœminas patientis Chriſti memoriam ita venerari, vt illis diebus, & à mutuis inter ſe colloquiis, & à publico ac luce,

luce,quantum fieri poteſt,abſtineant cum magna doloris ſignificatione. Quem ſeruent in mortuis ſepeliendis ritum, nihil traditur ab auctoribus conſtans. Quidam aiunt efferri funus præeunte cruce,in altum ſublata;recitari S. Ioannis Euangelium, dum corpus ſepulturæ datur; certis poſtea diebus pro defuncti anima erogari pauperibus eleemoſynas, nihil amplius fieri. Similia alij. Nouus auctor ſcribit, vbi aliquem deceſſiſſe cognitum,quatuor illicò flamines ex iis, qui templi ſunt addicti miniſteriis, cum luſtrali aqua,cruce,& thuribulo,ſine lumine tamen, defuncti domum petere; præmiſſo inibi certo precum numero, ſumma illum celeritate ad templi oſtium deportare;tum cæteros accedere ſacerdotes, cantúque funebri alias recitare preces,thuréque ſuffitum cadauer deferre ad cœmeterium, & terræ tradere.Neminem in templo ſepeliri,nec vllum fieri pro defunctis ſacrum,ſcribunt multi. Illud prius nouus auctor probat,reprobat poſterius,aſſerítque ſacrificia pro mortuis numquam in templo, ſed in cœmeteriis peragi; verùm cum Ioanne de Sanctis pugnat Dominicanæ familiæ religioſo,qui illis fuit in locis,& de Æthiopicis rebus librum ſcripſit,typíſque mādauit anno ſexcenteſimo octauo poſt milleſimum;hic rem expertus affirmat, nulla apud Abaſſinos ſacra pro defunctis fieri;idem & ab aliis,quibus credendum, ſine dubitatione aſſertum;nec mirum cùm purgatorium eſſe negent,vt dicendum poſtea. Hunc tradit nouus auctor Imperatoris ſepeliendi modum. Vbi,inquit, animam efflat Imperator, balſamo primùm conditur; omnes deinde quotquot in vrbe Saba ſacerdotes ſunt,ſtatim conueniunt,& in atratam lecticam ingentis elephanti dorſo impoſitam,cadauer efferunt. Tum ad itineris

ris securitatem mille stipati militibus, qui atro etiam operti sunt amictu, cum magno hominum aliorum comitatu, pergunt ad montem Amaram. Quà transeunt, apparatu magnifico, sed lugubri, in vrbes & oppida recipiuntur. Cùm ad montis radices ventum, omnes ex vtroque cœnobio tã monachi, quàm equites illuc descendunt, exceptúmque cadauer deferunt ad sepulchrum. In ipsa montis planitie Imperij principes comparent, & funus inde cum cæteris ad cœmeterium ducunt. Plurima ibi sunt sepulcrorum monumenta magnificè extructa, ex quibus vnusquisque Imperator, dum viuit, illud designat, in quo velit post mortem corpus suum condi. In eo igitur illud deponunt, & summa cum dignitate funeris exequias dies triginta continenter prosequuntur. Hæc ille, quæ fictitia esse, iam ex iis constat, quæ de monte Amara, & similibus dixi. Illud quoque incredibile, Sabæ sacerdotibus lege impositum, vt imperatoria cadauera semper efferant, & ad montem Amaram ex loco, vbi obeunt, deportent. Cùm enim non vno tantùm in loco omnes Imperatores diem obeant, sed in diuersis, & vnius sæpe ac plurium mensium itinere inter se dissitis, quorum aliqua ab vrbe Saba, quæcumque illa sit, remota esse necesse est, quî possunt prædicti sacerdotes eò semper contendere, vbi moritur Imperator, vt eius funus ducant, & ad montem Amaram deferant cadauer?

Quibus

Quibus cæremoniis dicatur vti Imperator certis quibuſdam anni diebus.

CAPVT XX.

SCribit nouus auctor, ſolere Abaſſinum Imperatorem aliquot per annum diebus in publicum ſe dare cum magna pietatis ſignificatione. Primùm eo die, qui Inuentæ cruci ſacer eſt. Ita rem proponit. Pridie eius diei, quo Chriſti Crucis celebratur Inuentio, inclinante ad occaſum Sole, apto extra vrbem loco tabernaculum excitatur, elegantia pulcherrimum, Ara in eo temporaria magnificè inſtructa; in hac Crux cedrina, illam referens, ex qua vita Dominum pependit. Die inſequenti domo Imperator egreditur elephanto inſidens, ſenatoribúſque & aulicis circumſeptus, tabernaculum petit; ad quod perueniens, ex elephanto deſilit; ingreditur; ad genua accidit; piè crucem adorat; veſtibus detractis nigra ſumit indumenta. Idē cæteri faciunt, quod Imperator; qui ad aram accedēs, crucem reuerenter in manus accipit, cámque pedes, aliis ordine ſequentibus, in vrbem defert. Ad palatium deueniens, regium intrat ſacellum, ibi crucem reponit; per horæ quadrantem genibus flexis myſterium contemplatus, ſuum ſe in cubiculum recipit. Sic & reliqui. Deinde ipſo Palmarum die, comitatu magno templum petit; & a'to ſedens ſolio diuinis intereſt officiis. Vbi auditur, Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, continuò relinquit thronum, imperatorióque exutus habitu, illas ipſas veſtes induit, quibus, cùm erat in monte Amara, vtebatur. Cùm cæteri imitantur

tur; pretiosa sibi detrahunt indumenta,& alia sumunt coloris atri,& religiosè modesta, quæ omnibus illis sanctioris hebdomadæ gestant feriis. Ritus huius Alexander I I I. auctor fuit; à quo etiam institutum, vt per eam hebdomadam à negotiis abstineret Imperator,nec alios haberet in comitatu, quàm Lusitani Regis,& Indici proregis legatos,mercatorum Italorum Consulem, aliósque ad Latinum orbem spectantes,quos quinto eiusdem hebdomadis die mensa dignatur excipere. Eo die,qui resurgenti Christo dicatus est,iisdem cum legatis,cum Italorum Consule, aliísque Latinis,& cætero aulico comitatu in templū se confert,vt sacro intersit. Vbi canitur, Gloria in excelsis Deo,quas die Palmarum assumpsit vestes, eas tunc deponit, & aliis se lætioribus ac pretiosioribus induit. Ita cæteri faciunt. Peracto sacrificio, in quo omnes diuino reficiuntur cibo,horam integram agēdis habendísque Deo gratiis eodem in loco insumūt. Tūc ad palatium pedes redit Imperator;nec amplius eo die foras exit. Die insequente, sacro finito, tres magnificentissimè apparantur mensæ; suum cuique peculiare instrumentum,& suus abacus. Vasa in vno aurea,in altero argentea,in tertio fictilia,fabre tamen & eleganter elaborata. Primæ mensæ cum duodecim sacerdotibus accumbit Preteiannes: secundæ legati cum cæteris Latini orbis nobilibus:tertiæ regum filij cum magni Senatus consiliariis. Mensis post prādium sublatis, suum singuli munus Imperatori offerunt,siue ex crystallo, cui magnum apud Abassinos pretium,siue ex materia simili. Post hæc accepta facultate discedunt regum filij, & significandæ lætitiæ equis per vrbem vecti concurrunt inter sese; & pugnæ cient simulacra. Huic spectaculo nobiles intersunt

ſunt Europæi ab aulicis inuitati. Ad extremum de cæremoniis dicendum,quibus Preteiannes vtitur die illo,quo Euchariſtiæ myſterium celebratur, Corporis Chriſti feſtum vocamus. Vſque ad Paulum tertium,ait idem auctor,feſti huius ne fama quidem in Abaſſia fuit. Vbi is ad ſummum Pontificatum eſt euectus, cum Petro Abbate Abaſſino colloquens, & multa de Æthiopicis rebus partim ad gubernandi rationem, partim ad religionem ſpectantia ſciſcitans, hominem rogauit, num apud ſuos dies hic ſolemnis feſtúſque haberetur. Cùm Petrus negaſſet, rémque iuſtæ ignorationi tribuiſſet,Pontifex diploma expediit in Æthiopiam,quo ſtatuit,vt ſacratiſſimæ Triadi feſtus per totam Abaſſiam dedicaretur dies, qui eſſet à Pentecoſte ſeptimus (ignota enim apud ipſos hæc etiam conſuetudo erat) quinto verò ab hoc, magna cum iucunditate, externóque paratu Euchariſtici beneficij in homines collati, recoleretur memoria. Ea namque Dominica die,quæ nunc Trinitati dicata eſt, Apoſtolorum per orbis terrarum prouincias diuiſionem Abaſſini celebrabant. Peruenit Paulina in Æthiopiam conſtitutio,annis duobus ante Imperatoris Dauidis obitum. Hic pro ſua eximia in Romanam ſedem obſeruantia,& vt erat egregiè pius, & ſacrorum rituum amans, ſtatim Pontificium mandatum ſeruari iuſſit. Petrus Abbas, qui non minus latinitatis, quàm ſcholaſticæ Theologiæ erat apprimè gnarus, officium hymnóſque à ſancto Thoma de Euchariſtia compoſitos, ex Latinis fecit Abaſſinos, qua nunc lingua in Æthiopia decantantur. Per omnes ergo Imperij vrbes & oppida ad varia templa ſupplicationes fiunt,& pompæ. Defcitur in iis ſumma cum maieſtate & veneratione Chriſti corpus, vniuerſo

 clero,

clero, & sancti Antonij monachis, qui vbique sunt, comitantibus. Idem sancti Dominici religiosi præstant illis in locis, quæ cœnobiis de Alleluia, & Plurimanos sunt propinqua. Comitari quoque Preteiannes pompam solet, & augustissimum mysterium pone sequi. Dum in templo est, duos manibus portat cereos, accensum dextra, extinctum sinistra. Vbi exit à templo, eos tradit duobus famulis ferendos, cuique suum: cùm ad templum reuertitur, rursum cereos capit, & propriis, vt antea, portat manibus. Talis huius cæremoniæ sensus est. Extincto cereo, aiunt, significari veteres figuras, hoc Sacramentum in antiqua lege adumbrantes, quæ ipso in vltima cœna instituto protinus extinctæ sunt, & quodammodo diffugere, vti ad Solis præsentiam diffugiunt vmbræ. Accenso cereo eiusdem mysterij indicant fidem, quam & viuam esse, & splendere necesse sit. Hanc igitur fidem habere sese tali cæremonia Æthiopum Imperatores testantur, ídque volunt vniuerso orbi esse notissimū. In hisce Eucharisticis pompis cereæ faces ardent innumeræ, nec magno sumptu, cùm ea plaga ceræ sit feracissima. Qui iisdem pompis comitantur, saltantes plerumque, pedibúsque choreas plaudentes cum ingenti tripudio & exultatione procedunt. Præteriēs mysterium ex alto despicere, inexpiabile scelus est: nemo igitur in fenestra tunc apparet; nemo in solario, nemo in alio sublimi loco. Omnes domo pedem efferunt, ante ianuas proni curuantur, tundunt pugnis pectora, & sacramentum supplices adorant. Si qua in plateis, per quas pompa ducitur, cœnobia sunt monialium, ne iis quidem fas rem ex alto despectare. Ad templi ianuam congregantur omnes, in duos ibi diuisæ ordines, ora & capita velis tectæ, procumbunt humi,

mi, & accensas manu tenentes faces, tremendam Christi maiestatem submissè venerantur. Hæc nouus auctor, in quibus nihil ferè commentitium non est. Quæ enim de Lusitani regis, & Goani proregis legatis, de Italorum mercatorum cõsule, de nobilibus Latinis, vt vocat, de magni Senatus consiliariis, de Pauli tertij diplomate, déque similibus narrat, adeò apertè falsa sunt, vt ea refellere operæ non sit. Nemo certè in tota Italia est, qui aut illum Italorum mercatorum consulem, aut illos Italos mercatores sciat in Abassia esse; nemo in tota Lusitania, nemo Goæ, & in tota India, qui ignoret nullum vel Lusitani Regis, vel eius Indici proregis apud Abassinum Imperatorem nunc legatum esse, aut sic vmquam fuisse, vt in eius regia permaneret. Quare quæ de festis, de Preteiannis comitatu, de trium mensarum paratu, déque talibus dicuntur, falsa esse certissimum sit, nec opus persequi singula.

Quanta Abassini pietate templa venerentur.

CAPVT XXI.

ANtiqua Abassinorum principum pietas multorum scriptis commendatur. Plurima dicuntur per Æthiopiam æterno Deo erexisse delubra, eáque ampla atque speciosa supellectile, & apto ad procuranda sacra ministrorum apparatu exornasse. Nemo hac de re nouo auctore neque plura, neque sublimiora scribit. Ait quædam fuisse opere mirabili, & ad illa fabricanda adscitos ex peregrinis regionibus architectos, si qui vspiam erant, quos tunc fama

celebraret. Fidem,inquit,ſuperant quorumdam ſubſtructiones,quibus iure cedunt ſeptem illa, quæ tanta apud omnes gentes in admiratione fuerunt,orbis miracula. Multa in aſperis & abruptis effoſſa ſunt cautibus, nec ſingula in multis, ſed in ſingulis ſingula. Clariſſima ſunt,quæ à Golgota,à ſancto Saluatore, à ſancto Emanuele, à ſancto Georgio, à Bethelem, à Marcoreo, à Lalibela nomen habent. Primum centum viginti palmos longum eſt, ſeptuaginta duos latum. Quinque pilis innititur fornix, binæ ſunt ad ſingula latera,in medio vna. Tectum planum eſt, & pauimento par. Multæ hinc inde in parietibus apparent feneſtræ,mira concinnitate & elegantia fabricatæ. In ara maxima ad ſiniſtram partem inciſum eſt ſepulchrum illa ipſa forma,quam illud habuit,in quo Chriſti corpus à Rumenſi Ioſepho conditum fuit. Bina eminent ad portam dextram Petri & Ioannis Apoſtolorum ſimulacra,in eodem ſculpta ſaxo. Præter communes aras ex vtroque templi latere aſſurgentes, ſacella duo ſunt eximio perfecta opere, in quadrum efformata. Binis vnum, & quinquagenis quaque verſum porrigitur palmis,duplici diſtinctum ordine columnarum,quæ extremos inter parietes triplicem ſuſtinent fornicem. Alterum duodenos ex qualibet parte habet palmos: qua reſpicit patentem aerem frequentibus, & factis affabre veluti interpunctum feneſtellis: ſub ipſo fano domus eſt concamerata, fano eidem magnitudine æqualis. Circùm effunditur periſtylium,vaſto amplum circuitu; eius area pauimento templi aliquanto depreſſior. Atque hæc quàm multa, quàm varia in hoc immani delubro ſe oſtendunt,ſic in vno omnia & eadem ſunt inciſa ſaxo, vt ne minimus quidem aliunde adglutinetur lapis, aliáve

ve rei alterius materies extrinſecus adiungatur. Ingreſſum in templum præbet excauata in eadem rupe pergula, alta latáque palmos tredecim. Super hoc verò ædificium, ſupérque alia generis eiuſdem patentes ſunt campi arboribus conſiti, quos interdum non exigua flumina interſecant. Hæc de templo ſcribit, quod Golgota dicitur. Pergit in hunc ferè modum alia deſcribere. Sancti Saluatoris, inquit, fanum in alia eſt effoſſum rupe, ducentos patens in longitudinem palmos, centum & viginti in latitudinem. Quadruplex columnarum ordo quinque diſtinguit fornices; qui inter eos medius eſt, reliquos ſuperat altitudine; alij ex vtraque parte æquales. Singuli ordines columnas habent ſeptenas, quadrata figura; quæ quolibet in latere quatuor colligit palmos. Parietes miro ſunt ſtructi artificio. Mille viſuntur in iis non aliunde adſcitæ, ſed in eodem cælatæ ſaxo rerum ſpecies: ſpecula quæ vultus reddunt intuentium; herbæ, arbores, flores, frondiúmque & pomorum implexus, atque contextus; variæ auicularum aliarúmque animantium effigies pulcherrimè figuratæ; atque inter hæc apto ordine, & paribus diſpoſitæ interuallis latè patentes feneſtrarum aperturæ. Ara maxima in magnam eleuatur altitudinem. Quatuor pilis culmen imminet, excurrentibus in gyrum pergulis. Prima ianua à parte incipit interiori, magnis extenſa arcubus, qui paulatim ad anguſtias redacti ianuam efficiunt perexiguam, nouem tantummodo altam palmos, latam quatuor cum dimidio. Eiuſdem formæ & magnitudinis duæ aliæ ianuæ ſunt, quæ duobus adiacent templi lateribus. Extra primam ianuam fornicata cernuntur propylæa, lanceis duabus alta, connexa inter ſe teſtudinibus: palmis duodecim à templi

parieti

parietibus distant; singula septenis pilis incumbunt, in quibus variæ apparent lunulæ sculptura eleganti. Sub rupe aditus in templum est per ingentem pergulam, cuius altitudo lanceam superat; longitudo passus colligit octoginta, tanta est latitudo, vt decem simul excipiat homines in aciem dispositos. Atque hæc omnia vnico sunt incisa saxo, sicuti & non pauca alia, quæ neque fabricæ magnitudine, neque rerum varietate, neque artis præstantia illis, quæ sunt descripta, cedunt. Hæc nouus auctor, multáque alia his similia. Aliqua esse in Abassia fana in rupibus excauata, digni fide auctores scripsere. Qualia hic auctor describit, haud esse credo; neque enim ignota essent nostris, qui illic sunt; nec si nota essent, in literis siluissent, cùm referant minora. Hac de re ex Antonio solùm habeo, omnia templa figuræ esse rotundæ, & duplici circumcincta porticu. Tradunt alij, magnum tēplis honorem haberi apud Abassinos; eos olim quoties aliquod essent ingressuri, Mosem imitantes, calceos sibi detrahere consuesse. Nouus ille auctor ait, Romanorum Pontificum iussu sublatam eam consuetudinem temporibus aliis, præterquam quadragesimali. Sed improbabile eius rei curam suscepisse Pótifices, & morem abstulisse, qui non officit Religioni, sed proficit. Verum est, plerosque nudis pedibus intrare templa, neque ad id opus esse, vt exuant calceos, cùm iis non vtantur. Nemo in templo aut deambulat, aut ridet, aut cum alio colloquitur. Aiunt etiam nefas esse, inibi spuere, oportere proinde, vt sicco omnes stomacho sint, ne à templis arceantur. Canes, & quæuis aliæ animantes, quarum solet esse in vrbibus vsus, non templi solùm, verumetiam cœmeterij prohibentur ingressu. Quibus hominibus præter tē-

pla transire necesse est, si mulis aut equis vehuntur, antequam ad ipsa accedant, in terram desiliunt, & aliquantulum spatium conficiunt pedibus, donec non modicè ab iis distent; tunc fas equos rursum conscendere, & iter sequi institutum. Nemini licitum in templo sedere. Ad lassitudinis subsidium multa sunt ad ianuam hastilia, furculæve iis persimiles, quibus innixi incedunt, qui aut pedibus capti sunt, aut ipsis sustineri nequeunt ob debilitatem. Hisce adminiculis incumbunt qui vel senectute sunt confecti, vel grauantur morbo. Talis communiter dicitur esse têplorum dispositio, vt ara maxima in medio sita à reliquo spatio, quod ad ostium procurrit, diuidat odeum. Inter ostium & aram ab vno ad alterum templi latus bina tenduntur vela. Inter prius & aram illi tantùm esse possunt, qui sunt initiati sacris. Inter vtrumque nemo est, nisi minoribus sit insignitus ordinibus. Spatium reliquum, quod inter posterius velum & ianuam interiacet, occupari à laicis potest. Templa sunt, quæ à solis masculis, alia, quæ à solis adeuntur fœminis. Si aliqua vtrisque sint communia (quod in exiguis pagis, in quibus vnum dūtaxat templum est, aiunt contingere) peculiares assignantur veluti stationes, ita discriminatæ locis, vt intueri se masculi & fœminæ non possint. Alia de templis & eorum veneratione traduntur his paria, quæ missa facio.

De Abassinorum festis, & aliis ad sacra pertinentibus.

CAPVT XXII.

SCribit nouus auctor, apud Abassinos festa esse, tam quæ mobilia, quàm quæ immobilia dicuntur.

tur. Peragere eos ſicuti nos, quadrageſimales ferias, Paſchata, ſacros Chriſto & eius Matri dies. Iam inde ab antiquiſſimis temporibus Apoſtolos, Euangeliſtas, Athanaſium, Baſilium, Antonium Archimandritam, Eunuchum Candacis reginę, & reginam ipſam, alióſque ex Abaſſia Cœlites, atque inter eos præcipuo quodam honore Claram Dominicani ordinis alumnam, & magna omniũ cum lætitia Theclaymanothum, virum ſanctitatis fama celeberrimum, ſtatis diebus colere ſolitos. Præterea ex mandato Imperatoris cuiuſdam, cui ſemen Iacobi nomen fuit, Michaeli cœleſtis Militiæ principi, cæteriſque Angelicis mentibus primum cuiuſque menſis diem dedicare. Poſtquam verò cum Latina Eccleſia agere cœperunt, feſta multa, quæ priùs ignorabant, ab eadem Eccleſia accepiſſe, eáque nunc ſolemni ritu celebrare. Quod hac de re ex Antonio Fernandio habeo, hoc eſt. Plurimos eſſe apud Abaſſinos dies feſtos, qui non ſunt apud nos. Menſibus ſingulis Chriſti optimi maximi, eiúſque ſanctiſſimæ Matris, Archangeli Michaëlis, & religioſi cuiuſdam, quem Spiritus ſancti opus vocant (is Theclaymanothus videtur eſſe) feſta peragere. Maiori celebritate Ioannis Baptiſtæ mortem, quàm Natiuitatem, & Crucis Exaltationem, quã Inuentionem colere. Hæc ille, non plura. Non diſſimilia ab aliis traduntur. Quod ergo hiſce retro annis vlla Cœlituum feſta à Romana Eccleſia acceperint, falſum eſt, nec facile creditu. Quomodo enim Romanos acciperent mores, qui Romanam Eccleſiam hoſtiliter oderant? Quis item nouos ſacrorum ritus, nouáque aliunde adſciſceret feſta, Abuna repugnante, qui ne à gradu cadat, Romanis moribus impensè reſiſtit. Illud etiam hîc & locis aliis obſeruatu di-

gnum,nouum hunc auctorem multa sæpe narrare ad religionem attinentia,quæ Abassini Imperatores decreuerint;viderísque illa,vt ritè & iure statuta approbare,ac si ipsos Imperatores legitimos sacrorum Antistites agnoscat. Sed fortè dicet, tributam ipsis ad eiusmodi decreta amplam à summis Pontificibus auctoritatem ; sic enim solet oppositiones declinare. Ita deinde scribit. Ecclesiastici diuinum officium hoc modo recitant,Matutinum duabus horis ante lucis ortum;Tertiam horis tribus ante meridiem ; ipso in meridie Sextam;hora tertia pomeridiana Nonam; priùs sub occasum Solis recitabant Vesperas. Completorium,Primam , & Laudes ignorabant ; idcirco nullum his designatum tempus. More vetusto Psalmos,& hymnos,& alias canebant preces. Ad Psalmi cuiusque finem, Gloria Patri,& Antiphona, vt modò fit,adiungebatur. Nicæno vtebantur Symbolo; vtebantur etiam litaniis:sed in iis nihil erat aliud , quàm Sanctorum inuocatio, præsertim eorum , qui fuerunt patria Æthiopes. Hæc ad vsque Clementis VII. Pontificatum , antequam Latinæ Ecclesiæ res ipsis notæ. Eo autem ex tempore,aperto mari , & patefacta liberè hinc inde commeandi via,Romanas cæremonias ritúsque adsciuere , & sicuti nobis moris est, ita nunc diuina peragunt. Nihil ex scripto recitant, sed memoriter omnia. Cùm Matutinum dicitur,præter consuetas,quæ ante aram,lampades sunt , in quibus aruina pingui, loco olei,fouetur ignis,lumē aliud neque in templo,neque in odeo est. Non alternis, sed omnes simul singulos decantant Psalmorum versus. Matutini lectio ad principalem templi ianuam inconditis profertur clamoribus. Nemo sedens recitat: concessum senibus,vt ligneis innitantur adminiculis,

cùm sunt defessi. Sacra omnia partim Chaldæo, partim Æthiopico continentur idiomate. Quæcumque proferunt, sic exprimunt, vt oris & corporis motum ad illa accommodent. Itaque pronuntiant flentes, quæ significant fletum; ridentes, quæ risum; saltantes, quæ saltum; contenta voce, quæ clamorem; submissa, quæ silentium: quidquid denique proferunt, ita corporis motu indicant, vt non minus dicentis gestu, quàm voce percipiatur. Ea musica instrumenta, quæ vocamus organa, generis vocabulo ad speciem contracto, quorúmque frequens nostris in templis vsus, vsque ad Gregorij XIII. tempus, ne de nomine quidem nouerant. Is Pontifex in Æthiopiam artifices misit, qui ea inibi fabricarent. Duo apud eos erant cymbalorum genera, quædam certo è lapide, è ferro alia confecta; vtraque & figura, & sono, & arte nostris dissimilia. Nunc ære vtuntur campano, vt apud nos fit, eóque pulsato populum conuocant ad templum. Supplicationibus ac pompis valde sunt dediti. Singulas post horas, quas recitant, supplicantes fanum circumeunt, eo sæpius, quo festus dies maiori colitur celebritate. Contingit, vt in vna eadémque pompa tricenos & amplius circa templum conficiant gyros. Hisce autem in pompis quatuor, vel quinque argenteæ, baculorum instar, feruntur cruces, totidem thuribula; hæc manu dextra, illæ sinistra; intérque Psalmorum & hymnorum cantus multa miscentur crepitacula. Cæterùm tanta pietatis & interni affectus significatione diuina officia peraguntur, vt tenere lacrymas nequeant, qui intersunt. Gregorius XIII. Pontifex optimus, ac valde pius collegium sancti Stephani, quod est Vaticano principis Apostolorum tẽplo vicinum, sæpius ibat inuisum, vt Abassinos faciẽ

tes,ac deprecantes audiret;nec temperare ipse à fletu poterat. Singulis Mercurij ac Veneris diebus Abaßini omnes cōfluunt ad templum, vt hora post meridiē tertia, qua spiritum Christus Patri in cruce reddidit, preces inibi frequentes fundant. Dominica Palmarum à nocte media psallentes, atque saltantes diuina inchoant officia, & sacras altarium imagines, quæ per reliquum Quadragesimæ tempus fuerant opertæ, detractis velis populo visendas exponūt, quousque Prima decantetur. Tunc certa precationis forma ramos benedicunt, & suos cuique benedictos reddunt. Denique per circuitum templi pompam ducunt, in qua suum quisque portat ramorum fascem; cúmque ad tēpli ostia venitur, iisdem, quibus Romana Ecclesia, vtuntur cæremoniis: quibus absolutis sacerdos vnus litat, & sub Missæ finem Eucharistico cibo præsentes reficit. Ipsa sacrosancta hebdomada bis tantùm sacrificium fit, Iouis, & Saturni diebus. Iouis quoque die hora vespertina, magno totius populi concursu, is qui quolibet in templo cæteris dignitate præit, Ecclesiasticis primùm, deinde aliis pedes abluit. Qua finita cæremonia, remanent omnes in templo, & nocte integra agunt excubias. Ibidem Ecclesiastici vsque ad diem Sabbati, postquam sacro finis imponitur, perseuerant. Die Veneris ad meridiem pretiosissimis fanū vestitur peristromatis; vbi principalis ianua est, longè ibi maior adhibetur ornatus, quòd eam in partem totius populi fiat concursus. Inibi ergo sublimi in loco Christi ab cruce pendentis depicta ponitur effigies, holoserico nigri simul & coccinei coloris velo adoperta. Vnus est, qui passionis historiam semper decantat; quoties verò illam absoluit, detrahitur simulacro velum, omnésque ad genua prouoluti vociferan-

tur,

tur, plorant, vlulant, palmis genas, pectora pugnis quatiunt, capita feriunt ad parietes, totásque atque integras duas horas lugubri cum fletu, & tristi eiulatu dedunt se mœrori. Hinc ad peristylij fores alij post alios conferunt sese. Vnamquamque ad ianuam ex clericali ordine duo sunt, flagella manu tenentes; simulátque ad eos quisque accedit, cuiuscumque ætatis sit, siue masculus, siue fœmina, mediam denudat corporis partem, caput versùs; & tamdiu ab illis quatitur, donec dolore victus, verberantium è manibus elabitur. Quidam vix vno accepto verbere, mox intro abripiunt sese. Alij patientis Christi dolore confixi non prius abscedunt, quàm ingentem effundant sanguinis copiam. Vt hæc peracta, sub ipso peristylio ad mediam noctem perstant, qui volunt. Ea hora sacrum fit, cui omnes intersuut, sacróque pabulo reficiuntur. Nemo aliis tota hac hebdomada, nisi atris, aut cæruleis vestibus corpus velat. Mirum seruant silentium; nec inter se salutant, dum sibi mutuo occurrunt in via; sed mutorum instar, demissis oculis prætereunt. Nec vendunt, nec emunt, nec pecuniam tangunt. Id faciunt in odium Iudæ proditoris, qui Christum pacis osculo fraudolenter salutatum, argenteis triginta vendidit. Tantáque aduersùs illum ira incenduntur, vt nemo ferè sit, qui compositam ex scrutis Iudæ imaginem non raptet peruiam; quod pueris pręcipuè ludi magis, quàm odij causa frequentissimum. Nullus enim puer domo egreditur, qui fune alligatum ad cingulum simulacrum Iudæ non ferat. Digna risu, & visu res. Multa puerorum millia conueniũt in templum, & suus cuique reste ad cingulum alligatus trahitur Iudas. Canonici tota Quadragesima amiculis vtuntur Benedictino cucullo similibus, à quibus vittæ

pen

pendent,quæ humeros,ac totam pæne faciem velant. Exuti calceis incedunt, quod & reliquis sacerdotibus commune.Sine calceis toto anno sacrificabant; nunc id à Romano Põtifice extra Quadragesimã fieri prohibitum. Ipso resurgentis Christi die à nocte media decantare incipiunt Matutinum. Ante auroram instituunt pompam longè celeberrimam. Ad ortum Solis rem diuinam faciunt,& quotquot intersunt, Eucharistia reficiunt.His peractis domos repetunt,hilares, & læti, totósque atque integros octo dies insequentes choreis, saltibus, ac tripudiis augustissimam celebrant triumphantis Christi resurrectionem. Hæc omnia nouus auctor. In quibusdam exigua quædam est vmbra veritatis;pleraque ab ea quàm lõgissimè recedũt. Proponere satis est,vt qualia sint,quiuis nouerit.Non vti Abassinos Romanis cæremoniis,certo est certius; ídque abundè patebit ex literis eorum, qui in Abassia sunt.Omitto nunc referre, ne eadem sæpius inculcem. Gregorium XIII. ad Abassinos misisse, qui organa fabricarent, quis credat? In actis quidem Gregorij:nihil tale reperitur. Neque is Pontifex ignorabat,à Romana fide diffidere Abassinos,vt prædicatorum loco, ad eos mitteret fabricatores organorum. Illud etiam ineptè fictum,eumdem Pontificem, solitum sępe,dum viueret,ad id,quod vocat Abassinorum collegium, itare, vt iis adesset sacrificantibus. Et quidem neque hoc in diariis Gregorij est. Auctor iste satis se ostendit à Romanæ curiæ moribus alienum, dum credit Pontifices more vulgi vagarì per vrbem, & huc atque illuc facile diuertere, vt quemuis de plebe hominem.

Quibus argumentis ostendi videatur numquam Abassinos à vera Christi fide decessisse.

CAPVT XXIII.

VEntum est ad id, quod nobis potissimum in hac de Æthiopicis rebus tractatione propositũ est. Quamquam verò totum noui auctoris opus, tribus vel quatuor distinctum libris, aliud ferè non est, nisi quædam, non tam defensio, quàm gloriola Abassinæ religionis prædicatio; eo tamen non contentus, apologetico more, plurima ad eamdem rem à coniectura, à similitudine, ab auctoritate, à capitibus aliis peculiarem in locum congerit argumenta; quo in loco mirum est, quàm multa sint ad historiam, ad situs terrarum, ad gentium mores, ad res alias pertinentia non modò malè cohærentia, sed planè falsa, & ab Ecclesiæ catholicæ iudicio dissentanea. Nihil ego tamen neque refellam, neque referam, nisi quod aliquo modo è re nostra erit. Hæc autem sunt noui auctoris, quæ ex diuersis locis collegi argumenta, quibus apud ipsum sincera Abassinorum probatur fides. Inprimis, inquit in iis, quæ ad Christi, tam diuinitatem, quàm humanitatem spectant, nullum Abassini errorem habent. Distinctè credunt, & disertè confitentur sanctissimę Trinitatis sacrosanctum mysterium; affirmántque Numen illud, quod colimus, cuius potentia mundus conditus est, & in quo solo veram esse diuinitatem, tenemus, personis esse trinum, natura vnum. Quod mysterium, vt Abassini omnes non minus vultu ipso proderent,

rent, quàm mente crederent, Imperator ille Ioannes ſanctus inſtituit, vt baptizatis infantibus candenti ferro tria in fronte inſcriberentur pūcta, diuinarum perſonarum diſtinctionem teſtantia. Ex quo apparet, quàm falsò ipſis error adſcribatur Sabellij; qui vnam tantūmodo in Deo credidit eſſe perſonam; ſicut ante ipſum Noetus quidam in Ptolemaide, cum ſummo illius prouinciæ damno iniquiſſimè prædicarat. Credunt æqualitatem perſonarum, non aliter, quàm in Conciliis Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonēſi apud ipſos approbatis, ac receptis continetur. Idque ex eo aptè colligitur, quòd Helena Auguſta eius vxor Imperatoris, qui Mano de Maria dictus eſt, inſigni fœmina probitate, & theologicis præceptionibus, Chaldæóque & Arabico idiomate apprimè inſtructa, librum vnū ſcripſit de Chriſtiana lege, & eius præſtantia, alterum de ſacroſanctæ Triadis myſterio, ſicut illud Romana confitetur Eccleſia; quo in libro de perpetua Deiparæ Virginitate multa etiam interſeruit. Vnde perſpicuum fit, quantum Abaſſinis inferant iniuriam, qui eos aſſerunt Ariana vmquam hæreſi fuiſſe infectos. Huc accedit, quòd propter Trinitatis ſacramentum in Chriſti baptiſmate patefactū, dies Epiphaniæ (qui dies eidem eſt Baptiſmati dicatus) variis apud ipſos ſpectaculis, ludis, ſaltationibus, choreis, tripudiis, ingēti denique lætitiæ ſignificatione celebratur. Credunt etiam, & expreſsè confitentur tam contra Autótheos generationem Filij, quàm contra Græcos Spiritus ſancti à Patre & Filio proceſſionem. Credunt contra Manichæos vnum eſſe rerum omnium conditorem, qui & immenſa ſua clementia genus hominum ex primi parentis peccato damnatum à duriſſima cacodæmonis ſeruitute, atque ab æ-

terna

terna morte liberarit,& iuſtis pro rectè factis præmia, iniquis pro ſceleribus ſupplicia ſtatuto tempore decernat. Credunt contra antiquiſſimos Carpocratem, Cherintum,& Ebionem,contra Ethnicos, contra recentiores Iudæos, contra Mahumetanos veram in Chriſto eſſe diuinitatem : contra Apollinarem Eutychetem,& ſimiles veram in eodem eſſe hominis ſubſtantiam: contra Neſtorium tum in vna Chriſti perſona duas contineri naturas, humanam ac diuinam, non variatas,non permixtas,non confuſas, ſed prorſus diſtinctas; tum beatiſſimam Virginem verè ac propriè eſſe Dei matrem; & contra Heluidium nullo vmquam tempore illibatum virginitatis florem in ea clanguiſſe. Credunt Chriſtum multa pro nobis dura & aſpera perpeſſum,affixum fuiſſe cruci, animam efflaſſe,die tertia à mortuis reſurrexiſſe,poſt quadraginta à reſurrectione dies aſcendiſſe in cœlum,inde poſt mundi finem in terras venturum, vt mortales omnes vno in loco cõgregatos ſumma poteſtate iudicet: animos enim humanos eſſe immortales, & poſt extremam orbis huius deſolationem vi diuina ad corpora reuerſuros, vt quiſque eorum omnium, quæ in hac vita egerit, rationem reddat ſupremo iudici percontanti. Credunt omnia, quæ in illis quatuor generalibus Eccleſię Conciliis Nicæno,Conſtantinopolitano, Epheſino,Chalcedonenſi, veluti in quatuor Euangeliis credenda proponuntur. Iidem tum veteris, tum nouę Scripturæ libri,quos ſuperioribus annis Tridentinum Cõcilium indubitatæ fidei eſſe declarauit,ſemper apud eos firmiſſimæ fuerunt auctoritatis, quod quæ in eis ſunt ab ipſo limpidiſſimo veritatis fonte, qui nullo poteſt erroris luto turbari, certò crederent emanaſſe. Quin etiam Imperator Mena per legatos

ſuos

ſuos à Pio V. Pontifice maximo ſuppliciter poſtulauit, vt eiuſdem Tridentini Concilij decreta mitti ad ſe iuberet, ne quid forte à Romana Eccleſia eſſet ſtatutum quod Abaſſini per ignorantiā ſeruare omitterent;aſſerens optare ſe maximè, vt Æthiopica Eccleſia ad Romanæ voluntatem ac nutum totam ſe ac penitus conformaret.Ex quibus apertum eſt, non eos quidem in re vlla Apoſtolico contenta ſymbolo, ſed illos potiùs, qui vllum ipſis hac in parte impingunt errorem,valde à vero declinare. Deinde eorum Antiſtites, quoad eis per hoſtes & tempus licuit,Conciliis omnibus,quæ Pontificia auctoritate vſpiam celebrata ſunt,ſemper interfuere;Nicæno contra Arium,Cōſtantinopolitano contra Macedonium;Epheſino contra Neſtorium;Chalcedonenſi contra Eutychetem;& aliis, quæ deinceps ſucceſſere; donec Mahumetani, gens ab inferis egreſſa, Arabiam,Paleſtinam,Iudęam, Ægyptum, & alias per Aſiam & Africam regiones armis occupātes, ſic Abaſſinorum fines interclusere, vt efferre ex Æthiopia pedem vix deinceps potuerint. Quid illud, quod non coacti,imò nec vocati,non ſine maximis periculis ac difficultatibus domo ſæpiſſime exeuntes,vel in vrbem venere, vel ad alia adiere loca, in quibus tunc Romanus erat Antiſtes, vt & ipſum recognoſcerent ſupremum Chriſtiani gregis paſtorem, & fidem ſuam,cùm in Conciliis publicis teſtatam,tum in ipſa Romani principis curia, veluti in generali quodam omnium gentium theatro, palàm expoſitam vniuerſo orbi patefacerent. Nam cùm accepiſſent à quibuſdam gentis ſuæ hominibus, qui Hieroſolymam religionis cauſa peregrinatum ierant, iuſſu Eugenij IV. ſummi Pontificis in quadam Italiæ vrbe Concilium cogi, rémque Imperatori expoſuiſ-

ſent;

ſent; actis ille primùm immortali Deo gratiis, quòd ſibi ac ſuis hanc profitendæ religionis, & Romano Patri obedientiæ offerendæ occaſionem oſtenderet; mox legatos miſit, qui verbis ſuis vtrumque præſtarent, & quam Abaſſini ſequerentur fidem palàm exponerent: quod in Concilio Florentino factum fuiſſe, nemo dubitat. Sed iam priùs, annos pluſquam centum legati alij, vt idem facerent, ad Clementem V. Auenionem venerant; quos ille beniğniſſimè exceptos, plurimíſque donis & gratiis exornatos ad ſuos remiſit. Vt verò maritimo itinere patefacta atque adita Æthiopia eſt, viáque in Europam nauigandi oſtenſa, mox Dauid Imperator ſimul cùm Zagazabo ad Emanuelem Luſitaniæ regem miſſo, Franciſcum Aluarum Luſitanum ſacerdotem cum muneribus ac literis obedientiam animúmque teſtantibus ad Clementem VII. delegauit. Denique his proximis temporibus Alexander III. Imperator celeberrimam ad Gregorium XIII. inſtituit legationem, in qua ſacerdotes erant duodecim, totidem ex magni Antonij archimādritæ militari ordine equites, qui omnium Abaſſinorum erga Romanam Eccleſiam animos voluntatéſque explicarent. Nec illud prætereundum, quod ad rem præſentem videtur attinere; Tum primùm Luſitanos adiiſſe Æthiopiam, cùm fidem catholicam Lutherus deſeruit; tunc etiam Abaſſinos legatos ad Clementem VII. Bononiam veniſſe, & coram Carolo V. Imperatore, maximóque clariſſimorum hominum conuentu Æthiopici Imperatoris obſequium Pontifici obtuliſſe, cùm Henricus VIII. Angliæ rex Romanæ ſedis ſcita iuſſáque aſpernatus, à recto Chriſtianæ religionis tramite pertinaci animo deflexit, miſeráque in Anglia

K ingens

ingens consequentium malorum posuit seminarium. Et verò compertam esse summis Pontificibus egregiam Abassinorum fidem, illud etiam non mediocriter probare videtur, quòd Pontifices ipsi, eorum Imperatores filios carissimos appellant, & Apostolicam eis salutem ac benedictionem impendunt: quam loquendi formam numquam Pontifices Romani vsurpant, nisi cùm ad catholicos principes Apostolicæ sedi obedientes literas dant. Si quandò enim contingit, vt ad principem aliquem scribant, qui vel à Christi fide sit alienus, vel aliqua infectus hæresi, cui pertinaciter adhæreat, alio vti solent salutandi modo. Vtrumque facile videre est in literis Pij V. Pontificis maximi, quas de Naupactea victoria aduersùs Turcas ad sinũ Corinthiacum à Christianis obtenta ad Menam Æthiopiæ Imperatorem, ad Xiecum Tahamam regem Persarum, & ad Mutaharem felicis Arabiæ Xerifium per idem tẽpus scripsit. Duos enim posteriores, quòd Mahumetanis infecti essent sordibus, nec filios carissimos appellauit, nec Apostolica dignatus est benedictione; sed illustres ac potentes vocauit reges, iisque lumen ac spiritum veritatis precatus est. Si quis forte dicat Æthiopiæ Imperatorem, carissimum filium fuisse à Pontifice appellatum, quia Christianus erat, licèt sinceram fidem non teneret, facile is refelli poterit; quoniam Romanus Pater Christianos Principes à recta fide deuios nec filiorum titulo, nec Apostolica afficit benedictione; quod perspicuum fit ex literis, quas idem Pontifex dedit ad Basilium, magnum Moscouiæ ducem, peruerso schismate à Romana sede separatũ; neutrum enim in illis scriptum reperimus. Huc illud tendit, quod Pius Pontifex in ea, quam ad Menam misit, epistola, eius quoque optabat felicitatem, & Imperij

perij amplificationem, vt in iis regionibus intemerata Christi religio maius indies acciperet incrementum. In cæteris infidelium principum literis nihil erat huiusmodi. Habet præterea ad hanc partem stabiliendam non mediocrem vim, quòd nulla hominum natio est, nulla sunt in orbe regna, nisi Christiana sacra sincerè colant, quæ Romæ designatum habeant à Pontifice protectorem, cui eorum negotia curæ sint. Nullus enim Romæ est, qui Mauritaniæ, qui Arabiæ, qui Persidis, qui regionis alterius à Romanæ sedis obedientia remotæ curam habeat, aut ex proprio suo munere defensionem suscipiat; quòd iis tantùm prouinciis, qui Christum colunt, & eius in terris Vicarium agnoscunt, audiúntque, Protectores assignantur. At Abassini & Protectorem semper habuere, & nũc etiam habent. Annis superioribus Paulus III. fuit, antequam ad summum Pontificatum fuisset assumptus; illi Alexander Farnesius, huic Odoardus, qui nũc viuit, suffectus est. Nonnihil etiam momenti habet, quòd Abassini sacerdotes apud nos more suo rem diuinam peragunt. Non enim aliis tantùm in locis, sed etiam Romæ, hoc est, in ipsa primaria totius sanctitatis ac religionis sede, sacris sæpissime operantur; & aliquando Leo X. vt memoriæ proditum est, & alij postea Pontifices iis litantibus interfuere. Iam verò qui non videt, apud eos, qui à Romano Pontifice disiuncti sunt, nulla patrari miracula, nullam esse veram sanctitatem, nullam conseruandæ fidei curam, nullos hæreticæ prauitatis iudices, nullam Imperij firmitatem? Primùm enim cùm ea opera, quæ humanam superant facultatem, & suapte conditione maiora sunt, quàm vt vlla rei creatæ potentia edi queant, à Deo, qui potissimus est eorum opifex, non aliter, quàm ad

confirmandam religionis veritatem efficiantur; planè sequitur non alibi fieri, nisi vbi vera religio est. Atenim multa etiam nunc in Æthiopia patrari miracula, pro certo habetur: sanitatem ægri mirabiliter recuperant, visum cæci, auditum surdi, redeunt ad vitam mortui: inficiari igitur nemo potest, verã esse in Abassinis fidem. Pręterea absque recta fide, siue qua nemo potest Deo placere, veram animi sanctitatem non esse, ipsamet fides docet: cùm autem veræ sanctitatis fundamentum fides sit, necesse est, vt si ista desit, consistere illa non possit. Sed quammultos in Æthiopia esse homines insigni vitæ sanctimonia præstantes, haud potest in dubio poni, nisi forte ab iis, qui res Æthiopicas penitus ignorãt. Vt enim omittantur alij, vix vllus huc vsque apud eas gentes dicitur fuisse Imperator, qui cum summa Christianę fidei constantia non coniunxerit excellentium virtutum mirabilia exempla. Tanto verò semper studio veræ doctrinæ integritatẽ coluere, vt ex Dominicana familia viros aliquot esse voluerint, qui proprio ex munere diligentissimè cauerent, ne quid vmquam hæreticæ labis illis in locis Religioni aspergeretur. Ad hæc Religiosorum ordinum apud Abassinos perseuerantia, & firmus atque stabilis per tot ætates ac secula illius Imperij status, duo sunt non vulgaria, neque contemnenda veræ atque incorruptæ Religionis indicia: sacræ enim religiosorum familiæ, vbi vera fides non est, non videntur posse diu persistere; cùm nihil prius, quàm ista Religionis propugnacula hæresis inuadat. Esse autem innumeram apud Abassinos religiosorum multitudinẽ, ambigi non potest, cùm in duobus tantùm sancti Dominici cœnobiis sedecim viuant Prædicatorum fratrum millia; quem numerum nec omnes simul, quæ eiusdem

eiuſdem ordinis in vniuerſa Europa domus ſunt, videntur coæquare. Hoc autem argumentum paruipendendum non eſſe, grauium monet ſcriptorum auctoritas, qui hoc idem aſſumunt, vt veram eſſe probent apud Armenios fidem. Quod autem ſtabilis ac diuturnus regum regnorúmque ſtatus, Religionis arguat veritatem, ex eo deduci poteſt, quòd hæreſim, vbicumque pedem ponit, ingens ſemper ſtrages æquis paſſibus comitatur; víxque ad hanc diem vllus ſiue hæreticus, ſiue à Romano capite præciſus princeps extitit, qui lugubri & infauſto exitu non interierit. Rem nouere, quibus nota veterum monumenta; nec pauci ſunt, qui eam exemplis demōſtrant. At Æthiopica reſpublica à primis Eccleſiæ temporibus vſque in præſens, cùm principes ſemper optimos ſortita eſt, & omni laudis genere præſtantes, tum ſecundis rerum ſucceſſibus tantum per omnem ætatem floruit, quantum alia in orbe nulla; nec quidquam aliquando ſiue à caſu, ſiue ab hoſtibus perpeſſa eſt, ex quo graue acceperit detrimentum; & quicumque in ea fuere Imperatores, ij exacto vitæ curriculo Eccleſiaſticis muniti ſubſidiis feliciter deceſſerunt. Quis verò inducere in animum queat, potuiſſe Abaſſinum Imperium Ethnicorum vndique & Saracenorum circumcinctum armis, ita ſtabile perſiſtere, vt non modò nulla ex parte imminutum ſit, ſed etiam amplificatum, niſi ea, quæ Imperia firmat & auget ſincera Chriſti fides, ſemper in ea retenta, conſeruata, amplificata fuiſſet? Omnia regna, quæ Romani Patris excuſſere iugum, quamuis cum ſeculis victura viderentur, breui periere, & ſuis iacent condita in ruinis. Exēpla memoriam ſuperant, nec experientia requirit fidem.

confirmandam religionis veritatem efficiantur; planè ſequitur non alibi fieri, niſi vbi vera religio eſt. At enim multa etiam nunc in Æthiopia patrari miracula, pro certo habetur: ſanitatem ægri mirabiliter recuperant, viſum cæci, auditum ſurdi, redeunt ad vitam mortui: inficiari igitur nemo poteſt, verã eſſe in Abaſſinis fidem. Pręterea abſque recta fide, ſiue qua nemo poteſt Deo placere, veram animi ſanctitatem non eſſe, ipſamet fides docet: cùm autem veræ ſanctitatis fundamentum fides ſit, neceſſe eſt, vt ſi iſta deſit, conſiſtere illa non poſſit. Sed quammultos in Æthiopia eſſe homines inſigni vitæ ſanctimonia præſtantes, haud poteſt in dubio poni, niſi forte ab iis, qui res Æthiopicas penitus ignorãt. Vt enim omittantur alij, vix vllus huc vſque apud eas gentes dicitur fuiſſe Imperator, qui cum ſumma Chriſtianę fidei conſtantia non coniunxerit excellentium virtutum mirabilia exempla. Tanto verò ſemper ſtudio veræ doctrinæ integritatẽ coluere, vt ex Dominicana familia viros aliquot eſſe voluerint, qui proprio ex munere diligentiſſimè cauerent, nẽ quid vmquam hæreticæ labis illis in locis Religioni aſpergeretur. Ad hæc Religioſorum ordinum apud Abaſſinos perſeuerantia, & firmus atque ſtabilis per tot ætates ac ſecula illius Imperij ſtatus, duo ſunt non vulgaria, neque contemnenda veræ atque incorruptæ Religionis indicia: ſacræ enim religioſorum familiæ, vbi vera fides non eſt, non videntur poſſe diu perſiſtere; cùm nihil prius, quàm iſta Religionis propugnacula hæreſis inuadat. Eſſe autem innumeram apud Abaſſinos religioſorum multitudinẽ, ambigi non poteſt, cùm in duobus tantùm ſancti Dominici cœnobiis ſedecim viuant Prædicatorum fratrum millia; quem numerum nec omnes ſimul, quæ
ciuſdem

eiusdem ordinis in vniuersa Europa domus sunt, videntur coæquare. Hoc autem argumentum paruipendendum non esse, grauium monet scriptorum auctoritas, qui hoc idem assumunt, vt veram esse probent apud Armenios fidem. Quod autem stabilis ac diuturnus regnum regnorúmque status, Religionis arguat veritatem, ex eo deduci potest, quòd hæresim, vbicumque pedem ponit, ingens semper strages æquis passibus comitatur; víxque ad hanc diem vllus siue hæreticus, siue à Romano capite præcisus princeps extitit, qui lugubri & infausto exitu non interierit. Rem nouere, quibus nota veterum monumenta; nec pauci sunt, qui eam exemplis demõstrant. At Æthiopica respublica à primis Ecclesiæ temporibus vsque in præsens, cùm principes semper optimos sortita est, & omni laudis genere præstantes, tum secundis rerum successibus tantum per omnem ætatem floruit, quantum alia in orbe nulla; nec quidquam aliquando siue à casu, siue ab hostibus perpessa est, ex quo graue acceperit detrimentum; & quicumque in ea fuere Imperatores, ij exacto vitæ curriculo Ecclesiasticis muniti subsidiis feliciter decesserunt. Quis verò inducere in animum queat, potuisse Abassinorum Imperium Ethnicorum vndique & Saracenorum circumcinctum armis, ita stabile persistere, vt non modò nulla ex parte imminutum sit, sed etiam amplificatum, nisi ea, quæ Imperia firmat & auget sincera Christi fides, semper in ea retenta, conseruata, amplificata fuisset? Omnia regna, quæ Romani Patris excussere iugum, quamuis cum seculis victura viderentur, breui periere, & suis iacent condita in ruinis. Exẽpla memoriam superant, nec experientia requirit fidem.

Quomodo Abaſsini ab hæreſis ſuſpicione videantur defendi.

CAPVT XXIV.

ILlud nonnullos grauiter offendit, quòd Abaſſini non paucas Moſaicæ legis cæremonias cum Chriſtianis ſacris videantur commiſcere,& tenebras cum luce,cum Chiiſto coniungere Belial. Id verò abſque Religionis iniuria fieri non poſſe, indubitatum eſt. Hoc igitur loco oſtendit nouus auctor, potuiſſe illos abſque vllo Chriſtianæ fidei detrimento res adeò inter ſe pugnantes veluti cõcordi fœdere copulare. Principio, inquit, ponendum eſt, multos iam ante annos quidquid Abaſſini habebant, quod ratione aliqua Iudaiſmum ſaperet, totum id ſummorum Pontificum iuſſu penitus reliquiſſe,adeoque in ſacrorum procuratione Romanæ nunc Eccleſiæ eſſe conformes, nulla vt in re ab ea diſcrepent, iis tantùm exceptis, quæ orientalíum ſunt Eccleſiarum propria, nec Religionem violant. Circumciſionem priùs cùm Baptiſmo permiſcebant:antiquę purificationis ſeruabant legem: Sabbata ſimul, & Dominicos dies habebant feſtos: à porcina carne,à ſanguine, & ſuffocato animali abſtinebant: ipſis ieiunij diebus ante occaſum Solis nihil ſumebãt cibi Hæc illa ſunt,ob quæ maxime à multis credebantur hæretici quaſi mortiferos retinerent Iudæorum ritus diuinis humaníſque decretis iamdiu cõdemnatos. Sed non eſt difficile tanto à crimine innocentes homines liberare. Vna dumtaxat ſatis eſſet ad hæc omnia reſponſio,ignorantiam,quæ iuſtè defendi poteſt,vaçare culpa, ſine culpa verò non poſſe fidem

labefa

labefactari. Ignorantes enim, non autem pertinaces illis Iudæorum ritibus adhæsisse Abassinos inde compertum, quia vbi moniti sunt, quidquid ex Iudaicis hauserant fontibus, quamprimum repulere. Quòd verò ab initio talibus se cæremoniis immiscuerint, tū libri quidam, Manda, & Abethilis dicti, quorum doctrinam sequi iussi sunt, tum receptæ in ipso nascentis Ecclesiæ exordio apud Christianos consuetudines ansam præbuere. Vt easdem cæremonias tamdiu retinuerint, causa fuit, quòd à Mahumetanis vtramque Arabiam, Palestinam, Ægyptum, & alias circùm regiones occupantibus circumdati, Christianorum Cōciliis, in Europa celebratis, interesse nequierunt. Inde enim factum, vt cùm nullos haberēt fidei Doctores, à quibus instititui possent, in iis, quos semel per ignorantiam hauserant, erroribus eousque perseuerarint, donec sub Eugenij IV. Pontificatum viam diuinitus reperere, qua vtcumque possent è patriis finibus, veluti è carceribus, ad alias terras egredi. Cùm ergo audissent, sicuti proximè narratum est, cogi in Italia Cōcilium, Imperatoris sui iussu ad illud aliqui se contulere, qui, quæ decreta, & Romani Patris authoritate essent approbata, referrent ad suos. Hi domo profecti, & Ægyptum clanculum subintrantes, Hierosolymam primùm, inde Ioppem, tum Venetias, vltimò Florentiam, vbi summo omnium ordinum concursu Ecclesiastica comitia fiebant, non sine maximis laboribus & periculis peruenere; résque varias ad mores & fidem spectantes edocti remearunt in patriam, in qua nonnullas consuetudines diuturnitate temporis firmiter roboratas, quoniā à Florentinis statutis abhorrebant, statim abiecere. Postea maris Oceani itinere patefacto, cùm iam Europam, & in ea Romam facilius

K 4 lius

lius adire possent, aliíque & alij in has partes idemtidem transirent, didicere tandem, quibus essent implicati erroribus, eósque radicitus extirparunt. Quamuis autem Abassini Circumcisionem, & alias, de quibus dixi, Iudæorum cæremonias simul cum sacris Christianorum ritibus scientes seruarent, non tamen idcirco hæresis essent damnandi; quandoquidem non impio animo, atque vt antiquatam retinerent legem, sed mẽte planè pia, & ab omni libera superstitione, atque vt Christum parentem optimum, nostra causa circũcisionis dolorem notámque subeuntem imitarentur, credi deberent id efficere, quod nulli diuinæ humanęque legi repugnabat. Fieri etiam potuit, vt illa pueros octauo die circũcidendi consuetudo remanserit apud Æthiopes ab antiquissimis illis temporibus, cùm nondum Christum, aut vllam veri Dei legem agnoscebant. Multi enim Ethnicorum populi infantes suos circumcidere erant assueti, vt de Colchis, de Macronibus, de Syris, de Phænicibus in Asia, de Iucatanis, Totonibus, Mexicanis, Acuzamilensibus in nouo orbe, de Ægyptiis, & Æthiobus in Africa probati auctores memoriæ prodiderunt. Vero igitur videtur simile, Abassinorum gentem neque à Regina Sabę, neque à Iudæis, qui illã, vt aliqui volunt, ad suos Æthiopes reuertentem ab Hierosolyma sunt comitati, circumcisionis rationem accepisse; sed multo iam antè, gentilico illam vsurpasse ritu, cúmque religione Christiana postea retinuisse. Ita videmus plures etiam nunc inter Christianos seruari consuetudines, ab Ethnicis olim vsurpatas; non eo quidem animo, vt aut mutis Deorum simulacris vllus exhibeatur honos, aut ex veteri superstitione quidquam fiat, quod absque piaculo fieri non possit; sed vt quæ erant vanitati dicata,

in rectum vſum conuerſa, veritati famularentur. Cópertum enim eſt, quæ natura mala non ſunt, nec lege vetita, poſſe licitè fieri, ſi rectus finis adhibeatur. Ob purificationis quoque cæremoniam nemo Æthiopes iure damnabit. Sanctiſſimam enim Chriſti matrem imitari, non Iudæorum ſeruare legem, propoſitum illis erat. Sabbati obſeruatio duplici ex capite à Iudaiſmi ſuſpicione vindicatur. Illud quidem inter feſtos dies Abaſſini habebant, tum quòd ita faciendum ab illis ſuis libris Manda, & Abethili, per ignorantiam acceperant; tum quòd non idem illis, qui Iudæis, legalis, vt dicitur, animus erat. Conſtat, multa Iudæos feciſſe, quæ nunc apud Chriſtianos in vſu ſunt, & in laude. Abſtinebant illi à cibis, vt Deum ſibi redderent propitium; ciliciis domabant corpora, tundebant pugnis pectora, muſicis inſtrumentis diuinas decantabant laudes, id genus præſtabant alia, quæ tantum abeſt, vt à Chriſti Eccleſia repudiata ſint, nihil vt frequentius & laudabilius in illa vſurpetur. Si quis Sabbatum cuſtodiat, vt conditi orbis beneficium, quod vniuerſo hominum generi commune fuit, acceptum referat códitori; neque id faciat, eo quòd Hebræorũ olim populo eius cuſtodiendi impoſitum fuerit præceptum, is certè non impiè, & prauè, ſed piè, & ſanctè faciet; quippe qui beneficentiſſimo Numini debitam exhibeat grati animi ſignificationem. Scitum illud eſt ex Leone magno, cæremonias Iudæorum, quæ ad aliquid ſignificandum fuerunt inſtitutæ, nefas eſſe Chriſtianis imitari; virtutum autem exercitia vtrique eſſe populo communia, magíſque nobis, quàm Iudæis cógruere. A porcina carne, à ſanguine, à ſuffocato propterea abſtinebant, quòd illi ipſi libri Manda, & Abethilis ita præceperant faciendum. Neque verò nimis

in hoc erraſſe,credendi ſunt; cùm legiſſent ſcriptum, primis naſcentis Eccleſiæ Chriſtianis Apoſtolica lege fuiſſe cautum,ne ſanguine, aut ſuffocatæ animantis carnibus ſe contaminarent. Quod tandem ad ieiunium attinet, non ideo occaſum Solis ante cibum expectabant, quòd Iudæorum, aut Mahumetanorum ſuperſtitionem ſequi vellent, quaſi ante ſtellæ ortum nefas ducerent cibum ſumere; ſed vt id præſtarent, quod erat olim Eccleſiaſticis legibus ſtatutum, ne videlicet quadrageſimalibus feriis ante veſperum, néve temporibus aliis ante horam poſt meridiem tertiam ederent ij, quibus eſſet impoſita lex ieiunandi. Quin etiam hunc adhuc retinent morem, vt doment corpora,& Chriſto cruci affixo, ac ſitim patienti per ipſá inediæ tolerantiam aliquo modo ſimiles fiant. Hanc enim ob cauſam hiſce ieiuniorum feriis nō ſolùm ſemel dumtaxat ſumunt in die cibum; ſed etiam vſque ad veſperum perſtant ieiuni; ac tunc quidem præter panem,aquam,& herbas,aut aliqua poma,nihil aliud deguſtant. Quòd ſi qui piſces addant,ij & pauci eſſe ſolent,& ab illis piſcibus abſtinent, in quibus ſanguis eſt;marinis contenti locuſtis, ſepiis, oſtreis, polypis, conchiliis, & huiuſmodi aliis; quibus in cibis & ad confirmandas vires minus roboris, & ad appetitus illecebram minus ſaporis ineſt. Quàm verò certum ſit, Abaſſinos, nullas omnino ſiue Iudæorum,ſiue Mahumetanorū cęremonias,eodem cū illis animo exercere ſolitos,immane illud teſtatur odiū, quo vtrāque ſemper gentem ſunt inſecuti. Nam & cū Mahumetanis, quibus omni ferè ex parte circumdantur,perpetua diuerſis locis gerūt bella;&à Iudęis ita sūt auerſi,vt eos, & quicūque ab eis ducunt originem, licèt Chriſtianā profiteantur fidem, Æthiopiæ ingreſſu interdicant.

Aucto

Auctorum testimoniis probari videtur Abassinorum fides.

Caput XXV.

SI quid vlla in re scriptorum valent testimonia, illa profectò valere maximè debent, quæ ab iis proferuntur, quorum nihil interest, quid in alterutram partem dicendo statuatur. Nam qui vel contentionis magis, quàm veritatis cupidi sunt, vel aliquod sibi emolumentum scribendo proposuere; eorum quidem valde suspecta narratio est. Vt autem nihil audacius, quàm excellentium hominum, & rectè de rebus sentientium iudicium contemnere; ita nihil planè iniquius, quàm ex temeraria imperiti vulgi opinione, quid verum, aut falsum sit, definire. Hinc iam desumere oportet ex mente noui auctoris, quid de Abassinorum fide sentiendum sit. Eorum enim causæ probi inquit ac diligentes patrocinantur scriptores, rudes autem de vulgo homines, & veritatis ignari eidem aduersantur. Vtrorum standum sit iudicio, nemo ambiget; nisi qui simul ignoret, temeritatis ne, an prudentiæ potiores partes sint. Qui asserunt, numquã Abassinos à Romana & catholica fide decessisse, ex omni scriptorum genere ad quinquaginta ferè numerantur. Ex his aliqui Æthiopicum Imperium peragrantes, rem ipsi per se sunt experti. Alij ab illis fuerunt instructi, qui easdem terras obeuntes, gentis mores ac religionem accuratè obseruarũt. Nonnulli cum Abassinis ipsis, hominibus minimè malis, & candidè ac simpliciter agentibus, dum hæc ad loca venirent, collocuti,

locuti, quid gens vniuerſa de fidei veritate ſentiat, quid ſequatur, ſine dolo ab iiſdem didicerunt. Neque inter auctores iſtos hæretici deſunt; quorum hac in re teſtimonium, quamquam ipſi omni ſunt indigni fide, eo pluris faciendum eſt, quo magis, quia eorum cauſæ nocet, ab inuitis profertur. Non erit forſitan à re & loco alienum, aliquorum nomina curſim indicare. Numerari ergo inprimis poſſunt Parra, nobilis Gallus, & Franciſcus Aluarus, Luſitanus ſacerdos qui illas Æthiopum regiones perluſtrarunt, déque Abaſſinorum moribus libros edidere. Deinde Theologi, & Iuriſperiti nemini ignoti; ex quibus ſunt Nicolaus Sanderus, & Ioannes Echius, & Franciſcus Feuardentius, & Thomas Staplatonus, & Simon Maiolus, & Ludouicus Paramus Beroxenſis, & quidam alij ingenij laude per Europam clari. Præterea qui vel illuſtriũ hominum vitas, vel aliarum rerum hiſtorias literis mandarunt, inter quos ſunt Paulus Iouius Nouocomenſis, & Hieronymus Oſorius Luſitanus, & Ioannes Boemus Aubanus Theutonicus, & Marcus Antonius Coccius Sabellicus, & Iacobus Middenderpius Colonienſis; item qui de Geographia & Chronographia ſcripſere, vt Raphael Volaterranus, & Liuius Sanutus, & Gilbertus Genebrardus, & Philippus Bergomẽſis. Item Poetæ, vt Ludouicus Arioſtus, & Torquatus Taſſus Itali, & Alfonſus Erzilla Hiſpanus. Item Dauid Chytrius hæreticus homo, & Deſiderius Eraſmus ſemihæreticus. Denique plures alij minorum gentium auctores; quorum quidam diſertis exprimũt verbis, Abaſſinos veram profiteri Chriſti fidem. Alij ab hæreſis nota eos ex inſtituto teſtimoniis & argumentis vendicant, atque à Romani Pontificis obediẽtia numquam receſſiſſe contendunt. Nonnulli pleno

ore pronunciant, eorum Imperatorem esse Christianissimum, & catholicæ Ecclesiæ obedientem filium. Nec parum valere debet, ad hanc rem, de qua agitur, roborandam, quòd Abassini duo in Europa habent collegia, Romæ vnum, Olisiponæ alterum. Illius auctor & institutor fuisse dicitur Eugenius IV. ad annos Christi mille quadringentos triginta quatuor, in quo ex ea gente multi virtute & diuinarum literarum cognitione florent; variarúmque studia linguarum, quibus apprimè callent, cum magno Christianæ reipublicæ emolumento & illustrium virorum concursu diligentissimè exercent, vnámque Vaticanæ bibliothecæ clauim habēt, & Arabici, Syriaci, Chaldaici, atque Ægyptij idomatum bibliothecarij sunt. Magis verò his Abassinis collegis credendum, quàm Ioanni Petro Maffeio, & Petro Ribadaneræ, & Ioanni Antonio Gabutio, & huiusmodi aliis, qui de re sibi ignota temere scripsere. Sed magna inprimis dignus reprehensione Maffeius est, quòd falsis ductus rumoribus, non tam vt verè, quàm vt Latinè diceret, curauit; plúsque apud illum Latinæ cuiusdam elegantiæ opinio, quàm ratio veritatis videtur valuisse. Ribadanera Maffei vestigiis inconsultò institit; eo tamen videtur efficaciùs agere, quòd Pontificio innititur diplomati, à Pio V. ad Ouiedum in Æthiopiam dato; quod tamē nullius esse momenti ex eo perspicuum est, quòd & Sebastianus Rex ficta ac malitiosa quorūdam deceptus narratione, illud à Pontifice obtinere conatus est; & Pontifex falsò de re instructus ita concessit, vt sciens & prudens nequaquam concessisset.

Vnde

Vnde videatur ortum vt Abaßini apud nos schismatici habeantur.

Capvt XXVI.

TAlem huius Abaſſinorũ infamiæ cauſam nouus auctor comminiſcitur. Circa annos, inquit, ſalutis noſtræ mille quingentos quinquaginta quinque ingens Luſitanorum multitudo Æthiopiam ingreſſa eſt. Pluſquam trecenti erant. Fuere ab indigenis eximia quadam amoris ſignificatione excepti, quòd Luſitani eſſent, & Chriſtiani crederentur. Verùm cùm genere & ſecta eſſent Hebræi, paucos poſt dies perfidiæ ſuæ venenum effudere, tanto liberius, quanto ſe à fidei cenſoribus putabant illis in locis tutiores. Qui ergo Chriſtiani primùm habiti ſunt, remoto ſimulationis velo, verbis, factis, moribus, ritibus, cæremoniis, ſuperſtitionibus quales erant, apparuere. Obſtupuit Æthiopia, cùm tam horrendam veluti derepente ex Chriſtianis in Hebræos vidit metamorphoſim; nec potuit continere ſeſe, quin ſtatim ad prædicatorum patrum Priores, qui hæreticæ prauitatis quæſitores illic ſunt, negotium detulerit. Prope erat, vt perfidi Hebræi Cenſorum iuſſu comprehenderentur, cùm vel aliquo indicio rem odorati, vel quod eſt veroſimilius, à cacodæmone, quocum omnes, qui huius ſectæ ſunt, occultam habere videntur familiaritatem, tacitè admoniti, periculum ſedulò declinarunt, & fuga ſibi cõſulentes, in diuerſas abiere diſperſi regiones. Multi in Bornum, quod regnum propè Abaſſiam Saraceni tenent; alij aliò; non pauci Goam ſe contulere. Iſti poſtremi vt ſuam tegerent nequitiam; quidquid iniquũ

& exe

&execrabile est, per summam calumniā Abassinis imponentes, eos eorúmq; Imperatorē Christianam religionē acerrime insectari, Ouiedum Patriarchā innumeris pressum ærumnis acerbo carcere apud eosdem concludi, & eiusdem generis cōmenti sunt sexcenta, tam abhorrentia à vero, quàm ipsorū ingenio ac moribus cōsentanea. Cęterū habita iis fides est, pręsertim cùm iureiurando impiè confirmarent, quæ per summam impudentiam innocentibus impingebant. Cùm ergo falsa falláxque fama, quæ celerrimè terras & maria transuolat, non per Lusitaniam solùm, verumetiam per Europam vniuersum breui disseminasset, Abassinam gentem, quæ puram tenere fidem credebatur, mille hæresum erroribus esse immersam, atque à Romanæ sedis obedientia longè seiunctam; ad Sebastianum Regem res est delata. Is, vt erat egregiè pius, & valde religionis amans, Pium V. Pontificem maximum fecit per literas certiorem, ab eóque petiit, in Æthiopiam mitteret diploma, quo statueret, vt Andreas Ouiedus Patriarcha, quo primùm posset tempore, locis illis relictis, ad Sinas, vel Iaponios se conferret; apud quas gentes posset minori cum periculo, & maiori cum fructu Christianæ religioni operam impendere. Hæc diplomatis illius, cuius Ribadanera meminit, expediendi causa Pontifici fuit, quæ vt erat commentitia, non aliud effecit, quàm vt nullum in eodē diplomate robur inesset. Atenim qui tunc Romæ erant Abassini, cùm id, quod de suæ gentis fide non clanculum, sed apertè, ac palàm iactabatur, non sine grauissimo animi dolore percepissent, vnum ex collegis dimisere, qui Menæ Imperatori (is Claudio successerat) nuntiaret, quanta apud Europęos Æthiopica religio infamia laboraret. Imperator tam

acerbo nuntio vehementer perculsus, extemplo Goam ad Indicum Prætorem, inde in Lusitaniam ad Sebastianum regem, postremò Romam ad Pium V. & ad Collegium Cardinalium, atque inprimis ad Alexandrum Farnesium Æthiopiæ protectorem, legatos ac literas misit, quibus rei totius seriem exponens, calumnias detexit Iudæorum. Iussit etiam vt magni Senatus consiliarij super eadem re ad Pontificem scriberent, suámque illi de nouo testarentur fidem, ac paratas deferrent ad omne obsequium voluntates. Simul etiam à Pontifice petiit, vt quod nuper celebratum audierat, Tridentinum Concilium ad se mitteret; non minus enim se, quàm reliquos catholicos principes, obedientem esse Romanæ Ecclesiæ filium. De Patriarcha Ouiedo nihil esset solicitus; optimo enim apud se haberi loco, & Latino Senatui esse præfectum; tantíque ab omnibus fieri, vt nemo esset, qui non illum vt eximiè sanctum suspiceret, vt parentem amaret, vt magistrum audiret, vt à Deo missum veneraretur. Legatis auditis, literísque perlectis maximè tam Pontifici, quàm purpuratis patribus probata est Abassini Imperatoris causa; extincti rumores falsò in vulgus antea sparsi, & mendax opinio ab omnium animis eradicata. Datæ quoque à Pontifice ad Abassinum literæ honoris & amoris plenæ; cum iis Tridentini decreta Concilij, & canones enuntiationis modò propositi, absque vlla pœnarum, quæ inibi contra hæreticos pertinaces decernuntur, mentione; ne si fortè Abassini nossent, esse homines Romæ vicinos, Romanæ sedis Imperium detrectantes, aliquam inde caperent offensionem. Posthæc Imperator Iudaicæ memor calumniæ, in tale genus hominum grauiter infensus, legem tulit, quæ hodiéque strictè

ctè seruatur: ea cautum, ne cui Lusitano ingredi deinceps Æthiopiam fas esset, nisi ab Olisiponensibus, & Goanis fidei quæsitoribus facultatem haberet illuc eundi. Atque hæc vna ac præcipua causa fuit cur per Europæ regiones cum tanto Abassinorum dedecore disseminatum sit, à recta eos fide, quam semper summa cum laude tenuere, atque à Romani Pontificis obedientia & legibus desciuisse. Præter hanc duplex alia malè de Abassinis sentiendi extitit occasio. Vnam locorum ignoratio, alteram falsi vulgi rumores pepe-rere. Audierant quidam in ea Æthiopia, quæ sub Ægypto est, aliquas esse gentes inanium idolorum addictas cultui; alias Mahumetana infectas turpitudine; nonnullas, quæ ita Christum profiterentur, vt & Mosaicæ legis cæremonias, Græcorúmque ritus simul obseruarent: has gentes cùm ex Abassinorum genere esse crederent, eò adducti sunt, vt scriberent Abassiam multis variarum sectarum erroribus esse contaminatam, & quod erat consequens à veritate Romanæ fidei quamlongissimè abesse. Hæc locorum ignoratio est. Nam si geographicæ inquit spectentur dimensiones, sic aliquandò latè capitur Æthiopia, vt omnem illam complectatur Africæ partem, quæ intra tropicos iacet, qua in parte ingentia regna sunt, & permultæ prouinciæ innumeris pæne populis refertæ. Sic aliquandò strictè, vt idem prorsus, quod Abassia sit, nec vltra in partem aliam protendatur. Hac verò ratione constricta, neque Ethnicos habet incolas, neque Mahumetanos, sed tantùm Christianæ Romanæque religionis egregios cultores, ab omni hæresis errore remotissimos. Cùm igitur probi auctores, quibus fallendi animus non erat, simpliciter scripsere, esse in Abassia gentes, quæ adorent Idola, quæ Mahu-

meto obſequantur, quæ cum Latinis ritibus, & Chriſtianis ſacris Græcas & Iudaicas miſceant ſuperſtitiones inter Abaſſiam & Æthiopiam latiſſimè acceptam nullum agnoſcentes diſcrimen id Abaſſiæ tribuere, quod eſt magnæ illius Æthiopiæ proprium; eóſque, quibus ignota eſt Geographiæ ratio, in errorem ſine dolo induxere. Altera deceptionis occaſio ex falſo vulgi rumore deſumpta eſt. Hæc patet latiùs, nec Abaſſinos tantùm, ſed alios etiam permultos attingit populos, in quibus ſunt Armenij, Iacobitæ, Maronitæ, Neſtoriani, & ſimiles alij, qui tamen Catholicis legibus ſanctè obediunt. Inde autem rude ac mendax vulgus gentes iſtas albo adſcribit hæreticorum, quòd eas non videat ad Romanum tribunal Religionis cauſas deferre; quod quidem, nec niſi difficillimè poſſunt, nec verò opus eſt, cùm ſuos habeāt in ſacris iudices, ac magiſtros, quorum decreta ſententiáſque ſequantur. At dubitari non debet, quod docti homines ſcribunt, per Abaſſiam, Perſidem, Mediam, Indiam ad vaſtiſſimas vſque Sinarum regiones eſſe prope infinitos Chriſtianorum populos, qui etſi vulgo inter ſchiſmaticos recenſentur, Romanam tamen Eccleſiam & colunt vt matrem, & vt fidei magiſtram reuerentur, & caput eſſe prædicant omnium Eccleſiarum. Ignota eruditis eſſe non poſſunt, quæ de re propoſita ſubiiciam. Tres Aſſyriorum Patriarchæ annis ſuperioribus Romani Pontificis Imperium agnoſcentes debitam ei præſtitere obedientiam; Emericus Innocentio III. ſub annum milleſimum ducenteſimum; Simon Sulaca Iulio III. ad annos mille & quingentos; Abdiſu Pio IV. anno quingenteſimo ſexageſimo ſecũdo poſt milleſimum. Deinde: Memini Antiochenus Patriarcha anno milleſimo quin

quingentesimo septuagesimo quinto, Gregorio XIII. subiecit sese, & inferiorem confessus est. Tale Clementi VIII. obsequium detulit Gabriel Patriarcha Alexandrinus anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto. Praeterea quadraginta ferè antè annos, multis ad Iulium III. literis missis, supremum illum esse Christianorum principem ac pastorem testati sunt Nestoriani. In Concilio Florentino sub Eugenio IV. Romanae sedis primatum agnouere Iacobitae. Idem saepissimè fecere Armenij, & Georgiani. Rutheni quoque ac Moscouitae coram Clemente VIII. ad annum millesimum quingentesimum nonagesimum quintum, abiuratis Graecorum erroribus, Romanam fidem sunt amplexi. Infinitum esset per omnes ire nationes, quae nec vulgo cognitae, nec pro catholicis habitae, Romanam tamen, hoc est, veram & immaculatam tenent Christi religionem. Quod igitur populis istis, idem Abassinis contigit. Non alia de causa Schismatici atque haeretici ab imperitis creduntur, nisi quia longo locorum interuallo disiuncti ad hunc orbem nostrum atque ad Romanam vrbem rarissimè accedunt. Cur etiam per hasce oras tanta infamia laborarint, causa Graeci fuere. Hi enim schismaticos haereticósque aestimant, & appellant; qui Romanae sedis iure reguntur. Dum igitur eam ob causam probrosis illis nominibus Abassinos diffamarent, occasionem ignorantibus dedere existimandi ab Romana eos fide dissentire. Haec Gilberti Genebrardi hac de re sunt verba. Illo, inquit, artificio Graeci saepius vsi sunt in Christianos orientales, vt quos cernerent in sedem Apostolicam propensos, haereseos infamia traducerent. Hinc eos suspectos habeo, quotiescumque de Syris, Maronitis, Aethiopi-

bus, Perſis, Indis, Georgianis, Ægyptiis ſcribunt. Nam qui verſus eos peregrinantur, catholicos offendunt, nec niſi quibuſdam ritibus & cæremoniis à nobis differentes vident. Sic ille apud nouum auctorem, qui & his argumentis ſæpiſſimè inculcatis, & pluribus aliis, in quibus roboris nihil eſt, vehementer contendit, ſartam tectam in Abaſſinis tueri Chriſtianæ fidei ſinceritatem, & ſingularem quamdam erga Romanam ſedem obedientiam, quam & ſemper conſeruarint, & hoc tempore impenſiùs conſeruent. Quę vtinam vèra eſſent. Quod enim à recta Abaſſinorum fide, ſi eam colerent, nobis incommodum, vt vel innocentes traducere, quod grauiſſimum ſcelus eſt, vel occultam vellemus eſſe veritatem, quam multo vtilius ſit per Europam Aſiámque vulgari, quàm inutili preſſam ſilentio in Africæ angulo deliteſcere? Sed quoniam hæc illorum defenſio, vt ſuprà dixi, Pontificum, Regum religioſarum familiarum, atque excellentium virorum auctoritatem & exiſtimationem nõ parum lædit, magni intereſt, vt quantum diſtet à vero, dilucidè oſtendatur.

Abaſsinos à recta fide defeciſſe.

CAPVT XXVII.

AVctores ij, qui ſuperioribus annis, nondum rebus planè cognitis ab ipſis decepti Abaſſinis omnia ſua venditantibus aliter ſcripſerunt atque res eſt, digni ſunt, quibus ignoſcatur: neque enim abſque vlla coniectura ſuſpicari poterant, imponi ſibi, ab iis præſertim, quos ob ingenij tarditatem credere poſſent

ſent à dolis abeſſe:ſed vaſra calliditas nuſquam fidentius;quàm in rudi pectore ſibi ſedem ſtatuit. Nouus auctor videtur iuſta carere deceptionis ſuæ excuſatione:poſſet enim ſic noſſe omnia,vt niſi conſultò affectaret ignorantiam, quo ſcriberet licentiùs, nulla in parte à recto aberraret. Adeò in tota Æthiopia nihil nunc eſt,quod noſtris hominibus patefactum non ſit,& planè compertum. Et verò ne quid de Abaſſinorum in Romanam ſedem obſeruantia, & debita Pontifici maximo obedientia auctor iſte ſtatueret, grauiſſima inprimis Pontificum, & Regum auctoritate deterreri debuit. Qua enim ratione temeritatis notam effugere poteſt, qui prudentiſſimos principes in re tanti momenti quidquam temere credidiſſe, & in reuocandis ad fidem Abaſſinis tanta ſolicitudine non modò ſine cauſa,ſed leuiter etiam atque inconſideratè laboraſſe,tam liberè definit? Alterum certè neceſſe eſt, auctor iſte nobis concedat, aut Pontifices, Regéſque credendo, & agendo temerarios fuiſſe,aut nimis eſſe temerarium,qui vel tacitè hanc illis ignominiæ notam audet impingere. Deinde ecqua illi eſſe poteſt ſiue calumniæ ſiue temeritatis iuſta excuſatio, dum teſtes tam multos,támque locupletes,ex quibus plerique inſigni ſunt prudentia & ſanctimonia illuſtres,palàm apertéque mendacij redarguit?Non vnus quidem fuit, vel alter à quo Romani Pontifices & Luſitani Reges accepere, Abaſſinos à recta fide & Apoſtolica ſede eſſe auerſos. Non ſemel tantùm & iterum,ſed quamſæpiſſime,& temporibus diuerſis.& in vario eius imperij ſtatu ea de re facti ſunt certiores. Valde quidem mirandum,ſi veram religionem ſemper Abaſſini coluere,tanto hominum ex numero,qui apud eos tamdiu, támque longo decurſu temporum

habitarunt, neminem fuiſſe repertum, qui rem, vt erat, Romanis Pontificibus & Luſitanis regibus exponeret gentémque innoxiam ab infamia liberaret. At Abaſsinus ille, à quo nouus auctor inſtructus eſt, rerum Chriſtianarum non mediocriter intelligens, atque in Æthiopia natus, & educatus, numquam Abaſsinos ſuos à vera fide cecidiſſe, conſtanter affirmauit. Bene habet. Magis ergo vni credendum, ſuſpectæ homini fidei, quàm iis, quibus intererat, omni ope niti, vt in re tanta omnia nota perſpectáque haberent, ne quid ſuo nomine ſine maturo conſilio ageretur. Fuiſſet quidem longè tutius opinari, hominem vnum ſua venditantem deflexiſſe à vero, quàm tot támque præclara, prudentiæ & conſtantiæ lumina, tam ſingulares, inquam, Pontifices, támque eximios Reges ad res tantas temere fuiſſe abreptos, ſuáque & conſilia, & opera præcipitaſſe. Iam verò quàm eſt indignum, quæ vitia idem auctor in aliis falsò reprehendit, in ea ipſum ſponte incurrere, & credere licere ſibi, quæ negat aliis licere? Si enim eos vocat temerarios, atque in dicendo præcipites, qui res Æthiopum clariſsimis firmatas teſtimoniis, crebríſque eorum, qui eas per ſe ipſi experti ſunt, teſtatas literis, & ab iis tandem, ad quos pertinent, cum cura acceptas, fideliter referunt: ecquam oportet ſibi inurat notam, cùm teſtibus anteferat grauiſsimis illius fidem, qui & malè cohærentia, atque apertè falſa narrauit, & in mendaciis deprehenſus, ſe mentitum, non difficile confeſſus eſt? Eiuſmodi certè erant, quæ ab illo narrata ſunt, vt nemo tam craſſo eſſet iudicio, qui non ea aut ſtatim ficta iudicaret; aut ſaltem ab iis credendis aſſenſum cohiberet. Alia erat Ribadaneræ, Maffei, Guſmani, Gabutij, quàm eius Abaſsini auctoritas, vt ſi is aduersùs illos

illos quidquam diceret, vel ea tantùm de causa suspectus esset habendus. Nec erat existimandum, tam graues, támque pios homines, quibus nihil magis, quàm veritas cordi, res similes fuisse scripturos, nisi de illis, quantum humana ferunt, essent certissimi. Quare vt nemo sanæ mentis ambigere iure queat à Romana fide Abassinos esse alienos, satis illi esse debet, Pontifices maximos, summósque reges, qui grauia negotia non solent absque magna consideratione & consultatione agere, tam multa præstitisse, vt illos ad veterem, quam deseruerant, veritatis viam reuocarent. Quemadmodum enim verè possent leuitatis reprehendi si inanibus permoti rumoribus res tam graues essent aggressi; ita planè, qui illos dicat fuisse deceptos, leues eosdem fuisse iudicet, necesse est. Videat igitur nouus auctor, an tutum fuerit viros tales ac tantos leuitatis coarguere; adeóque eorum imminuere auctoritatem, vt minus ipsis, quàm Abassino vni, qui se, quòd sæpe dixi, mentitum esse confessus est, credendum putarit. Quòd autem alios optimæ fidei scriptores ita respuerit, vt nullam eorum habendam duxerit rationem, etsi est valde indignum, eo tamen æquiùs ferendum, quòd qui summorum Pontificum, & regum contemnit auctoritatem, ab eo reliquos contemni, haud magnum est. Sed quæro, vnde acceperit Ioannem Petrum Maffeium, quæ legerat, quæve audierat, absque vllo veri falsíque discrimine tradidisse, nec tã curasse, vt vera scriberet, quàm vt elegantem se Latinæ linguæ scriptorem mundo venditaret; indéque factum, vt qui postea de Abassinis scripsere, ipsúm vt antesignanum secuti, in eosdem collapsi sint errores? Si ipse non quidem tantam, quãtam Maffeius, sed multo minorem adhibuisset in scri-

bendo diligentiam, non eò deueniſſet, vt cùm ſcripſerit plurima, longè quidem ſint pauciora, quæ cum veritate conſentiunt, quàm quæ ab eodem apertiſsimè diſcordant. Maffeius ne qua in re, quoad fieri poſſet, ne minimum quidem aberraret, non ſatis habuit id facere, quod ſolent diligentiſsimi ſcriptores, & qui maximè amant veritatem; ſed Italia relicta anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono in Luſitaniam ſe conferens Oliſiponem adiit, regiam vrbem; in qua & cùm iis qui res illas, quas erat ſcripturus, vel magna ex parte geſſerant, vel interfuerant gerendis, coràm colloqueretur; & quæ ab illis erant temporibus remotiora, ex ipſis erueret monumentis, rerúmque geſtarum annalibus in regni archiuo reſeruatis. Id præſtitit viuente adhuc Henrico rege, & ampliſſimam ad id poteſtatem concedente. At enim Petrus Ribadanera, Ludouicus Guſmanus, Ioannes Antonius Gabutius, & qui deinceps, ſiue ex Societate, ſiue extra illam de Abaſſinis ſcripſere, præter illa, quæ iam vulgo multorum erant literis, nemine contradicente, celebrata, nihil tradidere, niſi quod à religioſis Societatis, qui ab annis prope ſexaginta Æthiopiam incolunt, accepere. Ab eo enim tempore, quo Andreas Ouiedus ea in loca cum ſociis penetrauit, ad hunc vſque diem, numquam ferè illic ex Societate defuere, qui frequenter de ſtatu rerum & Goanos & Europæos Societatis religioſos, ipsúmque inprimis Præpoſitum generalem per literas monerent. Anno, vt dixi, milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo Abaſſiam Ouiedus cum ſociis ingreſſus eſt. Inde vſque ad annum tertium huius ſæculi, etſi eſt valde laboratum, vt illuc alij ex Societate ingrederentur, haud vllus tamen fuit, qui perueniret. Statim enim

enim ab Ouiedi ingreſſu omnes Erythræi maris portus, qui in Æthiopia ſunt, priúſque ſub Preteiannis erant ditione, ita Turcæ occuparunt, vt quadraginta ſex annorum ſpatio nullus Luſitanus adire eas Abaſſiæ partes tentarit, qui non fuerit à Turcis vel occiſus, vel captus. Anno enim ſuperioris ſeculi ſexageſimo Fulgentius Frerius ex Societate Ieſu illuc ex India miſſus, vt quid ageret Ouiedus, quid reliqui ſocij, agnoſceret, & renuntiaret, in ipſo Arabico ſinu à Turcis eſt captus, vulneratus, & Cairum ductus. Idem triginta pòſt annos Antonio Monſerrato, & Petro Paëz eiuſdem Societatis ſacerdotibus contigit. Cùm enim in Æthiopiam ſe conferrent, vt eos, qui tunc ibi erant eiuſdem inſtituti homines, in illo agro colendo adiuuarent, iíſque decedentibus ſuccederent, à Saracenis capti, ſeptem in captiuitate annos duriſſimè traduxere. Felicior Abrahamus de Georgiis Societatis quoque ſacerdos, Maronita genere, qui cùm anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto in eaſdem oras eodem propoſito contenderet, in Inſula Mazua à Mahumetanis incolis cognitus, & comprehenſus, & quia renuntiare Chriſto noluit, crudeliſſimè trucidatus, ad cœlum abiit maturus. Cùm ergo Pattres, qui in India erant, hoc Æthiopicum iter tantis viderent præpeditum difficultatibus, conſiderare ſedulò cœpere, quonam modo effici poſſet, vt aliqui ex ſociis in Abaſsiam introirent. Viſum tandem poſt multa, nihil eſſe ad hanc rem aptius, quàm ſi Dio, quam ad vrbem multæ quotannis ex variis locis negotiandi cauſa naues appellunt, aliquod haberent domicilium, in quo degerent, vt inde in Æthiopiam breuiùs & minori cum periculo traiicerent. Acriter huic conſilio per ſuos obſtitit humanæ ſalutis hoſtis;

L 5 ſed

sed causa cecidit. Cùm enim Arias Saldagna vir clarissimus, & præter cæteras animi virtutes singulari excellens pietate, Indiam gubernare esset aggressus, apud se reputans, quanta in hac vna re & adeundæ, & ad veritatem reuocandæ Æthiopiæ esset spes, tantâ in eam diligentia incubuit, vt dicta in vrbe ad hos, atque alios similes vsus valde commodam Societati domum à fundamentis erexerit. Ex ea nunc in iisdem infidelium nauibus exiguo cum periculo proficiscuntur nostri; & in ipsa tandem exponuntur Æthiopia. Ita variis annis varij profecti, sine damno peruenere. Petrus Paëz anno millesimo sexcentesimo tertio; duobus post annis Antonius Fernandus, & Franciscus Antonius de Angelis; anno tandem millesimo sexcẽtesimo sexto Ludouicus Azeuedus, & Laurentius Mangonius, Romanus cognominatus. Qui omnes, vt iam suprà dixi, summo cum labore, sed fructu pari, & conseruandis catholicis, & hæreticis reducendis operam impendunt.

In quibus priùs erroribus Abassini fuere, in iisdem adhuc persistere.

Capvt XXVIII.

Abassinos non tantùm ex Hebræis damnatas accepisse cæremonias; sed etiam ex Græcis aliisque hæreticis praua dogmata & multiplices hausisse errores, atque in iis hoc maximè tempore, quando nonus auctor eorum religionem mirificè commendat pertinaciter hærere, demonstrandum in præsentia est. Vtrumque eadem opera & breuiter præstabo,

bo, productis in medium erroribus, & auctoritate eorum, qui ea de re ex Abassia scripserunt, confirmatis. Ex Iudæis Circūcisionem habent, & Purificationem. Colunt sabbata. Non nisi ad vesperum sumunt cibum, cùm ieiunant. Abstinent à carnibus porcina, leporina, & suffocatæ animantis, à sanguine, & à piscibus, qui squamis carent. Plures simul habent vxores, & eas, cùm lubet, repudiant. Purgatorium negant. Aiunt Spiritum sanctum à solo Patre procedere. Humanam Christi naturam æqualem asserunt diuinitati. Vnam in eodem Christo voluntatem, & vnam dumtaxat agnoscunt operationem. Repetunt Baptisma. Animas iustorum ab omni labe & pœnæ delicto exolutas nolunt in cœlum recipi ad conspectum Dei, ante Mundi finem. Non seruant Christi de viatico præceptum. Neque peccatorum numerum, neque species confitentur, neque id putant necessarium. Humanos animos è materia educi volunt, non creari. Multi ex ipsis impudenter iactant, eos, qui Romanam sectantur doctrinam, non hæreticos tantùm esse, sed Mahumetanis peiores. Reprobant Chalcedonense Concilium, quod Dioscorum cōdemnarit: solos Ethnicos & Mahumetanos credunt æterno igni addicendos. Hos ex literis eorum, tam qui superioribus annis in Abassia fuere, quàm qui modò sunt, errores collegi. Alios iisdem in eadem gente esse generatim affirmant. Sed iam aliqua in medio testimonia pono. Primum sit Gonzali Roderici Societatis sacerdotis, qui ad explorandam Preteiannis de excipiendo Patriarcha voluntatem, cum Iacobo Dias legato Goa in Abassiam profectus est. Is in quadam epistola, quam postea transcribam, ait, habuisse se cum docto quodam monacho de Christianis rebus sermonem, multósque

tóſque in eo errores deprehendiſſe. Inter eos Sabbati obſeruantiam; abſtinentiam à porcina & leporina carne; Spiritus ſancti à ſolo Patre proceſſionem; illud ſanctarum animarum à cœleſti regno veluti exilium vſque ad mundi finem; hæreſim demum illam, quæ tradit ſolos infideles æternùm cruciandos. Similia ſcribit Alfonſus de Francia nobilis Luſitanus Æthiopicæ linguæ cumprimis peritus, & in Preteiannis aula diu verſatus. Similia Emanuel Fernandius, & alij Societatis religioſi, qui ſunt Ouiedum in Abaſſiam comitati; quorum literas loco poſtea commodiori legendas proponam. Anno ſexcenteſimo quarto poſt milleſimum, nono Calẽdas Auguſti ita in Indiam ad Goanos ſocios ſcripſit Petrus Paëz patria Caſtellanus, qui cæteris hodie ſociis in Æthiopia præeſt. Abaſſini, inquit, in ea ſunt opinione, vt credant, quatuor nos in diuinis aſſerere perſonas, quia duas in Chriſto naturas, duas confitemur voluntates, in quo illi naturam tantùm vnam, & vnam tantùm dicunt eſſe voluntatem. Aſſerunt à ſolo Patre Spiritum ſanctum procedere. Purgatorium negant. Baptiſmum repetunt quotannis. Circumciſione vtuntur. Cuſtodiunt Sabbata, & plures alias habent Iudæorum cæremonias. Idem Petrus ait, ſæpius ſe cum præcipuis eorum literatis priuatim domi, bis coram Auguſta, ſemel magna cum celebritate coram Imperatore hiſce de rebus diſputaſſe; redactos in anguſtias errata ſua fuiſſe confeſſos; dixiſſe tamen, non audere ſe Romanæ Eccleſiæ primatum palàm confiteri. Addit præterea, duos ſe ad veritatem fidei reuocaſſe, quorum quilibet tres ſimul habebat vxores. Cùm id illis abſque diuinæ legis iniuria fieri non poſſe, oſtenderet, reſpondiſſe, ea ſe de re ſuum rogaſſe Abunam, & ab

eo

eo accepisse, nulla esse prohibitum lege, plures vnum vxores habere; ne qua tamen per ignorantiam religione tenerentur, liberam se ipsis ad illas habendas facere potestatem Ludouicus Azeuedius in quadam epistola, quam anno septimo huius seculi, vndecimo Calendas Augusti ad socios scripsit, inter alia aliò spectantia, hæc de Abassinis adiungit. Plures ducunt vxores. Non confitentur numerum, neque species peccatorum, sed generatim dicunt: Peccaui, peccaui. Non roborantur Chrismatis sacramento; neque vicini morti sacro inunguntur oleo; neque demum è vita discessuri vitæ pane stabiliuntur. Antonius Fernandius ex Dambeæ regno, vrbe Gorgorra, anno sexto post millesimum & sexcentesimum, vltimo die Iulij hunc in modum scribit. Hîc vbi sum, aliqui Romanam fidem recipiunt. Alij agnitæ veritati nolunt adhærere. Imperator hoc ipso anno ad summum Pontificem literas mittit; in iis petit, vt aliquem sacrorum antistitem seu Patriarcham in has oras destinet. Ad Catholicum etiam regem scribit, à quo petit, aliquod ad se mittat Lusitanorum militum præsidium, vt quod in votis habet, reducere Imperium suum ad fidem possit; rem à principibus pendere; eos, si aliter consentire nequeant, vi & armis esse adigendos: sed valde vereor, vt inania Imperatoris vota reddantur; admodum enim mobili ingenio Abassini sunt, nec multum curant, quantum oporteat seruare in promissis fidem. Non pauci eorum suos se testantur agnoscere errores; vt eos tamen relinquant id ipsis difficillimum. Clementissimus Deus claram illis affulgeat lucem, ne miseri absque fidei cereo claudant in morte oculos, & ita moriantur, vt viuunt. De Imperio pæne actum est (hos hæresis fructus parit) ex partibus

vigin

viginti ademptæ iam Imperatori sunt ferè septemdecim. Hæc omnia Antonius. Anno rursus insequente, quarto Calendas Iulij sic idem scripsit. Sumus in Æthiopia sacerdotes ex Societate quinque. Aliqui imperatoriis commitamur castris, simul vt catholicos nostros conseruemus, simul vt eorum numerum, fauente Numine, augeamus. Multi ex iis, qui à nobis fide dissident, res nostras, nostrámque doctrinam miris efferunt laudibus; ne eam recipiant partim deterrentur metu, partim animi duritie & obstinatione reuocantur. Multa habent Iudæorum propria, eáque Iudaico obseruant ritu. Circumcisione vtuntur; diem Sabbati festum agunt; ab iis abstinent carnibus quæ ab Iudæis habebantur immundæ; ab iis item piscibus, quibus squama non est. Adeò verò his legalibus cæremoniis adhærent, vt cùm euidenter agnoscant diuina lege esse damnatas, ídque etiam fateantur, abduci tamen ab iis nolint. Idem anno eodem, vigesimo die Iulij scripsit, quæ sequuntur. Imperatorem sequens magnæ huius Æthiopiæ continentém perlustro. Plurimis Abassini irretiuntur erroribus, maiòrem eorum partem ex veteri hauserunt Iudæorum lege; præterea Baptisma iterant; humanam Christi naturam affirmant esse diuinitati æqualem, & hominum animas, sicuti animantium cæterarum ex parentum semine generari. De his, atque aliis ipsorum erroribus cum potissimis, quos habent, literatis sæpe conflixi; facilè reliqua concessere; postrema duo de humana Christi natura, déque hominum animis obstinatissimè negarunt. Iterum in illa epistola, quam sæpius retuli, de Æthiopicis rebus Romam missa, ita scribit. Huius Abassinæ gentis errores plurimi sunt. Inprimis in Leonem Magnum, sanctissimum Pontificem, quòd Dioscorum,

ſcorum, quem beatum prædicant, cum Concilio damnarit, multa conferunt maledicta; grauiáque ei circa Christi naturas & operationes imponunt mendacia. Deinde præter conſeruationem rerum, & miracula, ſi qua fiunt, nihil aiunt efficere Deum; atque inde colligunt non creari, ſed educi è materia formas hominum actione parentum. Multas præterea Moſaicæ ſectæ ſeruant cæremonias: abſtinent enim ab eſu eorum animalium, quæ olim erant Iudæis prohibita. Purificationis legem & Sabbata cuſtodiunt: circumcidunt maſculos, & peculiari ritu etiam fœminas. Item annis ſingulis ipſo Epiphaniæ die Baptiſmatis renouant lauacrum. Religionis quoque Chriſtianæ deſertores, qui ad Moſem aut Mahumetum transfugere, ſi redeunt, aqua rurſum luſtrali intingunt. Idem iis faciunt qui vel enorme ſuſcepere facinus, vel matrimonium conſummarunt, vel alicui religioſæ familiæ ſe addicunt. At contrà adeò pertinaci conſuetudine certum baptizandis infantibus tempus deſignatum eſt, vt ne morientes quidem ante illud expiant Baptiſmo. Nulla præmiſſa aut confeſſione, aut contritione ad Euchariſticam menſam accedunt etiam illi, qui ſceleratiſſimi eſſe noſcuntur. Non putant eſſe opus, cùm peccata confitentur, neque eorum numerum, neque ſpecies patefacere. Diſſoluunt pro libito coniugia. Negant Purgatorium, & Spiritus ſancti à Filio proceſſionem. Aſſerunt ante diem Iudicij neque iuſtorum animas beatitudine cœleſti donari, neque animas impiorũ ad Inferos detrudi, & æternis cruciatibus mancipari. Errores iſti, & huiuſmodi alij cõmunes omnibus ſunt. Nõ paucos reperio quorũdã peculiares: vt enim quiſque liberè credit, quod vult, ita nouæ quotidie pullulant hęreſes, atque impunè vagãtur.

Quæ

Quæ argumenta pro tuenda Abaßinæ gentis religione proposita sunt, nullam vim habere.

CAPVT XXIX.

EX iis, quæ ad Abassinorum defensionem à nouo auctore adducta sunt, quædam extra rem esse, nõ pauca inania, & commentitia, satis, vt opinor, cuique cõstabit. Ea tamen, ne quid, quod è re erit, prætermissum videatur, percurrã breuiter. Tale primũ eius erat argumẽtũ. Quæ ad vtramque Christi naturã pertinẽt, quęque Apostolico continentur Symbolo, ea Abassinos rite credere, & disertè confiteri. At certũ est, nihil hoc argumentum efficere, cùm sit ostensum, & grauissimis probatum testimoniis, ipsos de origine Spiritus sancti, quem nolunt à filio procedere, de humana Christi natura, quam diuinitati exæquant, de eiusdem Christi operationibus, quas esse plures negãt, de supplicio Christianorum malè vitam finientium, de animarum nostrarum productione, quam parentibus attribuunt, déque huiusmodi aliis longè aliter, quàm Romana & Catholica fides docet, sentire, & credere. Secundum erat; Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi Conciliis, vti quatuor Euangeliis, semper Abassinos honorem habuisse; nec vnquã aliquid reiecisse eorum, quæ in iis fuere statuta. Seruare præterea Tridentina decreta, quæ à Pio V. Pontifice maximo per legatos suos petiit, & obtinuit Mena Imperator. Tribus primis Cõciliis aliquem Abassinos honorem deferre, facile admitto: Chalcedonense, adeò

exe

execrantur, vt nihil magis aut peius. Patebit etiam postea ex literis Gonzali Roderici ad Goanos socios ex Æthiopia missis. Quod de Tridentino additur à Mena petito, & obtento ponendum est inter nugas. Nec eius nomen apud Abassinos notum, Et verò quí poterat Mena, cum Romanam Ecclesiam, vt iam ostensum, & magis postea cùm de Ouiedo agetur, ostẽdendum est, valde auersaretur, Tridentinas ab ea leges petere, aut vltro oblatas recipere? Interfuisse Abassinos Cõciliis Romani Pontificis auctoritate congregatis, aliud sinceræ eorum fidei argumentum fuit, à nouo auctore propositum. Quid valeat, facile est videre. De Græcis ita licebit argumentari: Conciliis interfuere Romana auctoritate celebratis; ergo schismatici non sunt. Quis non videat non esse aptam consecutionem? Demus Æthiopes interfuisse primis illis generalibus Ecclesię Conciliis quę numerata sunt. At quo pacto in Chalcedonense fuerunt affecti? Quo illud hodie loco habent, cùm & errasse sentiant, & multa decreuisse veræ fidei contraria, ac Leonem magnum, quem sanctissimum Romana prædicat Ecclesia, inter nequissimos homines reponant? Ad Clementem V. Auenionem in Gallia, ad Florentinum Concilium sub Eugenio IV. celebratum, ad Clementem VII. Bononiã in Italia, ex Æthiopia Abassinos venisse, certum est. Nihil inde aliud habetur, nisi quosdam eorum Imperatores cognitis erroribus, quibus ea gens erat implicita, missis legatis curasse, vt aliqua ipsi veritatis lux ab Romana sede affulgeret. Id neque ex communi omnium consensu, neque ab iisdem Imperatoribus constanter tentatum esse, euentus docuit. His quoque, proximis temporibus Imperatores fuere, qui de Abassia ad veram fidem reducenda

ad summos Pontifices misere literas, quas ego ipse Romæ vidi. Non asserebant catholicos esse Abassinos, debitámque Romanæ sedi præstare obedientiã: imò à supremo eos capite esse diuisos, & varias cum re Christiana miscere superstitiones; atque inde fieri, vt immensis iactati miseriarum fluctibus in exitium ruerent. Idem octo, aut nouem ante annos præstitit Sacinos, verę religionis amans Imperator, vnam ad summum Pontificem, alteram ad Catholicum Regem hac ipsa de re scribens epistolam; qui legatos etiam ad eosdem principes misisset, quod & tunc valde optabat, & iam antè facere decreuerat, nisi iter mille esset impeditum difficultatibus. Legatio autem illa hominum vigintiquatuor, quæ ab Alexandro III. Imperatore ad Gregorium XIII. missa dicitur, tàm fuit vera, quàm is ipse, qui eam misisse fingitur Alexander III. quem numquam fuisse demonstratum est. Illo quoque vsus est nouus auctor argumento, quòd Romani Pontifices nec carissimos filios solent appellare, nisi eos principes, qui Romanæ obediunt Ecclesiæ; nec nisi iisdem vel Apostolicam impertiunt benedictionem, vel Imperij precantur felicitatem. Constat autem Pium V. in iis literis, quas ad Menam Æthiopicum Imperatorem dedit, post naualem illam de Turca victoriam à Christiana classe repoitatam, non aliter ipsum, quàm vnum ex catholicis regibus tractasse, cùm & carissimum filium nuncuparit, & Apostolicam ei impertierit benedictioné, & Imperij felicitatem atque incrementum precatus sit. Id porrò argumentum quantum valeat inde perspici potest, quòd Paulus V. Pontifex maximus, qui Abassinos hæreticos esse, & à Romano capite præcisos certò scit, nec vllo modo ea de re dubitat, per hos

dies

dies ad eorum rescribens Imperatorem, sic eum salutat, vt catholicos reges solet. Id verò optima ratione fieri, haud dubium est. Neque enim Abaſſini tanta pertinacia, quanta Europæi hæretici, à Romana diſſident Eccleſia; & hoſce Imperatores, atque vniuerſum eorum Imperium ad ſanam doctrinam reuocandi magna ſpes eſt; vt propterea blandis titulis, amorémque ſignificantibus alliciendi potius ad fidei concordiam ſint, quàm ab ea aſperis verbis auertendi. Quòd Pontifex felicitatem, & Imperij amplificationem Abaſſino precatur, vt intemerata Christi religio illis in regionibus augeatur, non ſignificat Abaſſinos catholicos eſſe, ſed optat, vt ſint, quo ſacra Chriſti religio purè ac ſincerè ab ipſis culta magnum indies accipiat incrementum. Aliud eſt noui auctoris argumentum; Abaſſiam habere peculiarem Romæ protectorem, quem nulla habet orbis terrarum regio, quæ Romanum Pontificem non fatetur Chriſti Vicarium, & ſummum inter Chriſtianos ſacrorum Antiſtitem. Detecta à nobis ſuprà eſt huius argumenti falſitas. Nullum enim Abaſſia peculiarem Romę habet protectorem, ſi quem tamen haberet, haud inferri inde aptè poſſet, Abaſſinam gentem eſſe catholicam, & Romanæ Eccleſiæ obedientem. Nam & Græci, & Angli protectores habent peculiares, ex quo non ſequitur Græciam & Angliam cum Romana ſede conſentire. Illud etiam hic auctor affert, Abaſſinos ſacerdotes, apud nos, atque in ipſa primaria religionis ſede, hoc eſt, Romæ, non conſentientibus tantùm, & approbãtibus, verumetiam præſentibus ſummis Pontificibus, more ſuo rem diuinam facere; inde optimè ſequi, eorum gentem eſſe catholicam, & à Romana ſede nequaquam diſiunctam. Probare eadem ratione poſſet,

veram esse in Græcia fidem, cùm Græci sacerdotes, qui Romæ sunt, Græco ritu sacrificent. Non ideo cum hæreticis Abassini numerantur, quòd diuersos à nobis habeant ritus, diuersásque cæremonias, quæ nihil obsunt Religioni; sed quòd à fide aberrent, neque Romani Patris agnoscant imperium. Si qui erunt, qui recentis Ecclesiæ suæ ritibus errores deponant, & summo Pontifici submissè obtemperent, ij, si ritè sint initiati, cur à sacris remoueantur, causa nulla erit. Quod ait, summos Pontifices Abassinis litantibus sæpe interfuisse, dictum hominis est, vt notaui, pontificias consuetudines ignorantis, & à Romana vrbe longè remoti. Alia deinde à miraculis, à gentis sanctitate, à cura tuendæ fidei, à sacris familiis, à religiosorum hominum numero, ab Imperij firmitate accumulat idem auctor argumenta. Ait multa in Abassia patrari miracula; id vbi vera religio non est, haud posse fieri. Sed quæro ab eo, quænam ista miracula sint, quorúmve probentur testimoniis? à quibus item, & cuius rei causa fiant, aut facta sint? Numquam profectò ostendet, si qua in Abassia edita sunt miracula, fuisse ea patrata vel ab aliquo Abassinæ religionis professore, vel ad ipsam Abassinorum religionem testandam, ab eo tēpore, quo cum Alexandrino Patriarcha Romanam obedientiam deseruere. Quæ in Abassinis monachis, qui præ cæteris sancti apud ipsos habentur, vitæ sanctimonia sit, certis pòstea testimoniis ostendam. Vt enim vera apud Abassinos fides non est, ita neque verám esse sanctitatem, certissimum. Si qui ex iis rectè viuunt; illi sunt, qui ad Catholica castra transiere. In reliquis, vt aliqua sit vmbra sanctitatis, vera sanctitas non ést. Neque verò quidquam efficit, quod eorum nonnulli etiam nunc ieiuniis, vigiliis, aliísque corpo-

ris

ris castigationibus affligunt sese, ac macerant: hæc enim externa signa, vt Epiphanius notauit, & Euangelium innuit, in Pharisæis quoque apparebant olim, & in Indicis hodie obseruantur Ioghibus; neque in his tamen nunc est, neque in illis fuit tunc vera animi sanctitas, & quæ Deo gratum hominem efficit, Iustitia. Pharisæi quidem, quod ipsis Christus exprobrauit, inanem vulgi captabant gloriam; Ioghes verò & magna ex parte idem sibi proponunt, & ab iniquissimo animorum deluduntur hoste, prauas superstitiones hisce fallaciis commendante. Quod additur, vix vllum apud Abassinam gentem hucusque fuisse Imperatorem, qui ardore fidei non fuerit insignis, & eximia non præbuerit virtutum exempla, apertissimè falsum est. Et certè qui ita sentit, haud satis percipit, quantam, quod sæpe dixi, Apostolicæ sedi, quantam Lusitanis regibus, quantam Lusitano regno, quantam Ouiedo Patriarchæ, quantam mille aliis hominibus singulari fide, prudentia, virtute præstãtibus iniuriam faciat. Longè aliud enim horum iudicium fuit, & testificatio. Nullos esse in Abassia fidei quæsitores paulo pòst apertum fiet. Ex eo autem quòd aliquæ inibi sint religiosorum familiæ, quàm bene colligatur, veram quoque fidem esse, & Romani Pontificis obedientiam, ex Græcia discat nouus auctor, & paulisper consideret, an rectè inferri queat, catholicam fidem Græcos sectari, quoniam apud ipsos multi sunt, qui religiosam sectantur disciplinam? Vltimi argumenti, quod ab Imperij firmitate, tranquillitate, pace, felicíque vniuscuiusque Imperatoris decessu deducebatur, ex iis capiatur responsio, quę suprà de successione Imperatorum à me dicta sunt. Addi & ista possunt ex literis Antonij Fernandij anno sexcentesi-

mo nono poſt milleſimum ad ſocios datis. In hoc, inquit, Æthiopico Imperio non aliter viuitur, quàm ſub armis, & cuiuſque ferè hominis vita poſita in bello eſt; nec magis quietam, quàm reliqui, Imperator degit. Is enim annis ſingulis vix hyeme exacta, mox per ſe ac præfectos ſuos partim aduersùs coniuratos ac rebelles, partim aduersùs vicinos hoſtes renouat bella. Omiſſis præteritis tumultibus, dici vix poteſt quãtopere hiſce duobus proximis annis omnia turbata ſint. Vbi hic, qui nunc eſt, Imperator Imperij habenas ſuſcepit, tres ſtatim vel quatuor ex primoribus, regio nomine vſurpato, contra ipſum inſurrexere; ſed prælio victi, & profligati ſunt. Hoc ipſo anno, qui eius Imperij ſecundus eſt, totidem alij idem auſi facinus, in campum prodierunt. Nec à multis vſque ſeculis res in Æthiopia quietiores fuere. Cogimur & nos iiſdem fluctuare bellorum æſtibus, atque in varias partes perpetuò diuertere. Fugimus enim aliquando ad montes; in abditas interdum terræ ſpecus abdimur; nonnumquam inacceſſas ingredimur ſyluas, & loca inuia penetramus, ne belli turbine abrepti ad ſcopulos allidamur. Infinita prope ſunt, quæ in his regionibus patimur, mala; poſſumus non immeritò eaſdem illas, quas olim Apoſtolus Paulus, Litanias decantare. Et viderentur iſta quidem perpeſſu facilia, eáque æquis ferremus animis, ſi aliquem poſſemus fructum colligere, quem ex noſtris laboribus offerremus Deo. Hoc eodem anno cùm Imperator hinc eſſet profectus, vt cum vno duce ſuo, qui rebellãti cuidam principi bellum inferebat, copias coniungeret, repentè ad caſtra delatum eſt, prope eſſe Galas, Cafrum gentem immaniſſimam, quam vulgo ferunt ab dæmoniis genitam. Centum pæne anni ſunt, cùm hi ab agris ſyl-

uiſque egreſſi (paſtoritiam enim agebant vitam) excuſſo Æthiopum, quibus ſuberant, iugo eam armis acquiſiuere potentiam, vt modò non ſolùm terrori omnibus ſint, verumetiam partem Æthiopiæ ferè duodecimam occupent. Fama eſt, à Patriarcha Bermudio haſce Galarum ſtrages fuiſſe prædictas, dum ſæpius inter ſacrificandum ex improuiſo diceret, videre ſe miſeram Æthiopiam, ob ingentia gẽtis ipſius peccata à nigris canibus crudeliter dilaniari. His ergo venientibus cum exercitu obuiam prodiit Imperator, ſed fuſus ab ipſis fugatúſque eſt; nec multum abfuit, quin totum Imperium penitus rueret. Hominem conueniebant, vt aliquod, ſi poſſem, afflicto animo afferrem leuamentum; ſed ipſe collectis raptim nouis militibus in victores derepente irruit, iíſque profligatis perdita recuperauit. Aliquot poſt hanc victoriam dies ipſum adij, ſúmque ab ipſo honorificè & beneuolè exceptus. Erga rem Romanam egregiè ſe affectum præbet. Deus illum cœleſti perfundat luce. Hæc omnia Antonius. Huius generis ex aliorum Patrum literis afferre poſſem multa, quæ conſultò prætereo.

Neque Abaßinorum errores aptè excuſari, neque eorum fidem auctorum teſtimoniis rectè probari.

Caput XXX.

Eos tantùm errores conatus eſt nouus auctor excuſare, quos Abaſſini è turbidis Hebræorum fon-

tibus hausere. Negauit reliquos,quoniam quo pacto excusari possent,non inuenit;ac proinde asseruit, ritè ipsos ac recte credere,& confiteri omnia quæ tum explicate,tum inuolute Apostolico docentur in Symbolo. Ego ostendi,quod iterum repeto, eos de augustissimo diuinæ Triadis mysterio, de Christo, de sacramentis,de sempiternæ felicitatis præmio,de æternis malorum hominum supplicijs, de purgatorio,de natura animi humani, déque aliis de decretis pessimè sentire:cùm asserant, non produci à Filio Spiritum sanctum;vnam tantùm in Christo esse naturam,eámque diuinitati æqualem,vnam tantùm operationem; nósque vocent hæreticos, quasi duas in eo asseramus personas,quia duas confitemur naturas,duas agnoscimus operationes; cùm ab hac vita in alteram transeuntes cœlesti pabulo non roborentur; cùm neque peccatorum numerum,neque species explicent confessori;cùm plures quisque ducat vxores, eásque pro libito repudiet; cùm post hanc vitam nullam esse dicant animarum purgationem; cùm negent malos Christianos apud inferos æternum puniendos; cùm beatitudinis ingressu ad extremi vsque iudicij diem animas arceant hominum sanctorum, quæ prorsus mundæ sunt, nec vllius pœnæ debito obnoxiæ; cùm putent animas nostras posse natura sua corrumpi dũ eas, sicut animalium cæterorum, parentum opera educi dicant è materia. His Abassinos hoc tempore erroribus inuolui,quantum satis est,palàm feci. Quod ad Iudaicas attinet superstitiones, nouus auctor ait, Abassinos à Romano Pontifice monitos,ne illas vsurparent,illicò abiecisse,nec iterasse amplius;quod falsum esse probatum est,nec repeto probationes. Adhuc enim in iisdem perseuerant, cùm non solùm sæ-

pe

pe audierint ab Apoſtolo dictum, *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*; ſed rectè ſciant Moſaicas cæremonias fuiſſe à Chriſto abrogatas. Itaque licèt aliquando, ſiue ex ignorantia, ſiue quo alio fine legalia iſta ſic obſeruarint, vt habere aliquam facti ſui excuſationem poſſent; multis tamen abhinc annis optimè norunt, Romanæ Eccleſiæ eſſe contrarias, & diuino Chriſti præcepto prohiberi. Quàm rectè idem auctor affirmet Chriſtianum hominem, vt Chriſtum imitetur, qui circũciſionis dolorem ac notam noſtra cauſa ſubiit, poſſe nunc abſque ſcelere circumciſione vti; poſſe item fœminas, quæ pepererẽ, ob honorem Virginis Deiparæ vti purificatione; poſſe quoque à Chriſti cultoribus ob conditi orbis beneficium licitè ſeruari Sabbatum, quo die ab eiuſdem orbis conditione dicitur Deus requieuiſſe; poſſe denique alias Moſaicæ legis vſurpari cæremonias, dummodo animus abſit, vt dicitur, legalis, diſcutiant alij; ego hîc ſcholaſticas diſputationes non ediſſero. Scire tamen ab eo velim, quodnam hoc imitationis genus ſit, vt quis alieno vulnere & dolore ſimilem ſe patienti Chriſto præbeat? Si Abaſſini Chriſtum multa propter nos mala paſſum cupiant imitari, à feriendis filiis manus abſtineant; illa præſtent (prope enim infinita ſunt) quæ nullum religioni incommodum, nullam veris Chriſtianis parere queant offenſionem: illa demum abiiciant, quæ à Iudaicis vel Mahumetanis fontibus videntur deriuata. Nec opus eſt de his plura dicere. Nihil etiam efficiunt teſtimonia ſcriptorum, qui pro Abaſſinorum defenſione adducti ſunt. Quidam enim ex iis ſolùm aſſerũt, Abaſſinos eſſe Chriſtianos, quod nos inficias non imus: ſiquidem ſacra vnda perfuſi

 ſunt,

sunt,& Christi religionem profitentur. Quamquam ea ratione vel semiiudæi possunt dici, vel semichristiani,quòd Mosaicos ritus cum Christianis sacris ita misceant,vt dubitari iure queat, magis ne antiquam Mosis,an nouam Christi sequantur legem. Auctores alij,quod initio dixi,ab iisdem Abassinis decepti sunt. Alij cùm scirent eorum aliquos Clementi V. Auenione,Eugenio I V. in Florentino Concilio,Clementi V I I. Bononiæ obsequium & obedientiam præstitisse,nec aliud per ea tempora de ipsis audierint,facile existimare potuerunt perseuerasse in proposito, & quam tunc per eos legatos professi sunt Romanam fidem,deinceps retinuisse. Hac verò tempestate, rebus planè perspectis, aliter sentire necesse est. Idem quod scriptores illi de Abassinis possent quoque post Florentinum Concilium de Græcis existimare, nisi loci propinquitas, & frequens eius gentis ad hæc loca concursus palàm fecisset, fregisse eos fidem in dicto Concilio Romanæ Ecclesiæ datam, & ad mores pristinos rediisse. Alij demum auctores, quæ de Abassinis reperere ab antiquioribus scripta, nullo veritatis facto examine, in suos ea libros transtulere, in quibus ob hanc causam in omni rerum genere errores magni sunt, quos quiuis hoc tempore in hisce gẽtium historiis mediocriter versatus, facile deprehendet. Qui tamen disertè pronuntiarint, numquam Abassinos rectam fidem,& Romanæ sedis Imperium reliquisse,paucissimi sunt, nec multum referret,si plures essent,cùm notissimum sit, fuisse deceptos. Illud etiam debet obseruari,quosdam Abassinorum Imperatores optimè potuisse verè Christianos & catholicos appellari,quòd & nouerint, confesśique sint Romanæ Ecclesiæ principatum, & valde laborarint,

rint, vt Iudaicis superstitionibus, cæterísque erroribus ex imperio depulsis ad sinceram Christi fidem populos suos reducerent. Talis ille fuit, qui ad Clementem V. & is, qui ad Florentinum Concilium diuersis temporibus legatos misere. Talis Dauid Claudij pater annis superioribus. Talis his proximis Sacinos, qui de recipienda Romana fide cum suis sæpe consultauit, literásque eadem de re ad summum Pontificem misit, ac de legato mittendo solicitè cogitabat. Quàm verò absurdum sit, ex his inferre, Abassinos in Ecclesiæ Romanæ fide & obedientia viuere, nemo non videt. Nam ex iis Constantinopolitanis Patriarchis, qui nobis tempore fuere proximi, de rebus fidei, & Romana sede aliqui putantur rectè sensisse, non proinde quisquam Græcos esse catholicos, & Romano Pontifici obedientes, nisi perperam colliget. Præterea qui nunc est Babylonicus Patriarcha Romanum agnoscit principatum; nec ita pridem legatum misit in Vrbem, nomine Adamum, sancti Pachomij per illas regiones Abbatem generalem, qui de Babyloniis Romanæ sedi subiiciendis ageret cum Pontifice. Egit diu, nunc de rebus fidei aptè instructus remittitur ad suos: adiunctíque ipsi à Pontifice sunt Ioannes Antonius Marietius, & Petrus Metoscita Societatis Iesu presbyteri, prudentes viri, & docti, vt in Babylonica Ecclesia reducenda omnes animi & corporis vires intendant. Speramus fore, vt ex sententia expeditio succedat. Quis verò hinc scitè arguat, Babylonicam gentem esse catholicam? Damus ergo aliquos Abassinorum Imperatores, agnita fidei veritate, conatos esse gentem suam Romanæ Ecclesiæ subdere: dicimus non nisi inscitè inde colligi, Abassinos nobiscum in fide consentire, numquámque ab eadem desciuisse. Constanter

stanter etiam negamus, vllo firmo alicuius scriptoris testimonio eorum religionē probari. Quod de Abassinorum collegiis, Romano, & Olisponensi nouus auctor adiungit, satis ostendit, quàm sint inania cætera, quæ dicit, & indigna fide. Nihil enim Abassini Romæ habent, quod vel collegium sit, vel eo nomine censeri queat; nisi more loquamur Iurisperitorum, dum aiunt sufficere tres, vt collegium faciant. Exigua illis, & ignota in Vaticano colle ædicula est. Ibi hoc tempore tres quatuórve degunt, atque ita sunt, ac si non essent. Cùm Iouius viuebat, per occasionem legationis ad Clementem VII. ex Abassia missæ, plures eò conuenere; & animus forte Pontificibus erat, aliquot ex ea gente Romę alere, fideíque doctrina instituere, vt ad suos postea reuersi, esse possent Religioni vtiles; quemadmodum propriis in collegiis Scoti, Angli, Græci, aliíque aluntur. At multis iam abhinc annis sic abolita est in Vrbe Abassinorum memoria, vt paucos reperias, qui sciant, an vlli Romæ Abassini sint. Ego homines multos in ea natos & educatos de Abassinorum collegio dedita opera rogaui, rem ab se nouam quæri confessi sunt. Ecce celeberrimum illud Abassinorum in Vrbe collegium, quod à sancto Stephano Indorum habere nomē dicitur. Tale illud aliud est, quod esse fingitur Olisipone, vbi Æthiopes isti ne ædiculam quidem propriam habent Romanæ similem. Iam verò quod nouus auctor ait, habere Abassinos Vaticanæ bibliothecæ clauim vnā, esséque, vt vocat, Linguarum Chaldaicæ, Arabicæ, Syriacæ, Ægyptiæ bibliothecarios, multósque ad eorum collegium Cardinales, alióſque illustres viros ire solitos, varias vt linguas ab iis discant, & quædam talia, quæ scribit, adeò non modò falsa, verumetiam ridicu

ridicula sunt, vt nihil magis. Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, qui solus ex iis, quos auctor nominat, superstes est, hac de re quæsitus, nullam se vnquam ab istis Æthiopibus linguam didicisse, nec discere voluisse affirmauit. Idem absque dubio affirmassent alij, si viuerent & essent rogati. Nec scio, quænam ista sit linguarum peritia, quæ tanta ab hoc auctore in Abassinis esse dicitur: ne ipsi quidem eam se habere sciunt.

Commentitias esse causas, ex quibus orta fingitur desertæ Religionis in Abassinos infamia.

CAPVT XXXI.

VT ab hæresis nota Abassini liberarentur, nihil afferri poterat vel absurdius, vel ineptius, quàm quòd hunc in finem nouus auctor excogitauit, aut ab alio fictum credidit, & approbauit. Quæ assumuntur, vt faciant fidem, & si reipsa falsa sint, probabilia tamen, aut probabilibus proxima videri debent: quod enim simile vero non est, ad probandum aptum esse non potest. Ait inprimis anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo homines plusquam trecétos ex Lusitania in Abassiam profectos, eósque ibi pro Lusitanis & Christianis habitos peramanter fuisse ab Æthiopibus exceptos. At cùm non tantùm origine, sed etiam secta Hebræi essent, facile animos suos prauis infectos opinionibus aperuisse. Delatum id ad Patres prædicatores hæreticæ censores prauitatis; eorum iussu statim missos, qui perfidos comprehenderent, & in vincula conijcerent. Cúmque abesset parum, quin id

id fieret, eos recognita, (incertum cuius monitu) mox ex Abaſſia clanculum diſceſſiſſe, & in alias regiones commigraſſe, Bonam eorum partem appuliſſe Goam, ibíque de Abaſſinorum erroribus, déque Patriarchæ Ouiedi laboribus tam falsò, quàm perfidè plurima narraſſe; quæ vulgo credita non per Indiam tantùm, ſed etiam per Europam latè ſparſa, ſummã innocentibus infamiam peperere. Inde factum, vt Luſitanus Rex de auocando Ouiedo cum Pontifice egerit, & Pontifex regis rogatu in Æthiopiam diploma miſerit, quo eumdem Ouiedum ad Sinas, vel Iaponios deſtinauit. Hanc igitur fuiſſe cauſam, cur Abaſſini apud Indos, & Europæos inter hæreticos ac ſchiſmaticos haberi cœperint, cùm neque à fide, neque à Romana obedientia vmquam defecerint. En cauſa præcipua, multa continens, de quibus ſingulatim, ſed breuiter, dicendum. Quæritur ergo ab hoc auctore primùm, quo erant de genere trecenti illi Hebræi, quos è Luſitania in Abaſſiam profectos ſcribit? Eorum ne de numero, qui Moſaicam legem publicè profitentur, cuiuſmodi ſunt, qui Romæ, qui Florentiæ, qui in aliis Chriſtianorum locis viuere permittuntur; an ex iis, qui cùm animo Iudæi ſint, Chriſtum foris ſimulant, cuiuſmodi in Hiſpania non pauci. Priori quidem de genere eſſe non poterant, cùm in Luſitania nulli ſint, vt nemini ignotum. Dicet, ex poſteriori fuiſſe. Iam ergo rurſum quæritur, palámne & apertè, ſcientibúſque & conſentientibus magiſtratibus, an transfugarum more clanculum & occultè è Luſitania fuerint egreſſi. Vtrumque creditu difficile. Primũ quia prorſus eſt improbabile, Chriſtianos & catholicos magiſtratus paſſos fuiſſe, vt qui Religioni Chriſtianæ Baptiſmi iure erant adſtricti, aliò tenderent, vbi cum

summa eiusdem Religionis iniuria liberè viuerent? Alterum, quia non apparet, quo nam modo tanta hominum multitudo posset clanculum è regno fugere, cùm vix vnus hoc de genere inde fugiat, qui non statim capiatur. Quo enim è portu tam occultè soluere poterant, marísque & arcium fallere custodias? Cur deinde in Abassiam, vt inter Æthiopes, atque in ardentissimis regionibus habitarent, non aliò potiùs abiere, vbi mitiore cœli solíque temperie, & politioris gẽtis vterentur consuetudine, quò possent etiam breuiori maris traiectu faciliùs ac tutiùs peruenire? Præterea si cognita ab Æthiopibus eorum perfidia est, ac tantopere curatum, vt caperentur, qui fieri potuit vt ne vno quidem capto tam facile omnes euaderent? Si fugientes ab Lusitania recesserant, cur pars eorum maxima Goam se contulit; vbi nulla ratione occultari poterant, erátque certum, extrema passuros? Quis nõ videat, quàm malè ista cohæreant? Sicut igitur est incredibile, tantam ac talem hominum multitudinem siue scientibus siue insciis magistratibus excedere regno potuisse; ita omnino est verum, numquam excessisse. Tandem cùm nulla Dominicanorum patrum cœnobia in Abassia sint, vt paulo pòst dicam, nulli hæreticæ prauitatis censores, ecquinam illi fuere, apud quos obstupefacta Æthiopia Hebræorum perfidiam incusauit? Sed paulo apertiùs propositam fabulam euoluamus. Ait nouus auctor, suos illos Hebræos anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Abassiam adiisse, atque intra paucos dies cognitos arripuisse fugam; qui Goam petiere, inter cætera falsò sparsisse, Oniedum pessimè in Æthiopia tractari, milléque laboribus atque ærumnis miserè consumi; quæ causa fuerit, vt Sebastianus Rex de illo

inde auocando, & ad Sinas vel Iaponios mittendo cũ Pontifice egerit. En patefacta fabula. Quo anno ficti illi Hebræi Abassiam dicũtur ingressi, & ab ea subitò egressi, nondum ibi Andreas erat, cùm duobus pòst annis illuc ex India peruenerit. Qua igitur ratione poterant illi transfugæ Goanis dicere, malè Andream ab Æthiopibus tractari, quem scirent apud Æthiopes non esse, & vtrùm aliquando esset futurus, prorsus ignorarent? Ab eo autem tempore, quo Abassiam cũ sociis ingressus est Ouiedus, vsque ad hanc diem nullam eò Lusitanorum adiisse multitudinem, compertissimum est. Anno quidem millesimo quingentesimo quadragesimo primo Lusitani quadringẽti Christophoro Gama præfecto ex Goana vrbe ab Indico prætore fuerant in Æthiopiam missi, vt Imperatori Claudio contra Zeilæ regem secta Mahumetanum militanti suppetias ferrent. Ex illis plerique variis in prœliis occubuere pugnando; pauci in Indiam rediere, reliqui ductis in Abassia vxoribus vitam ibi vsque ad obitum traduxere. Relicti ab iis posteri sunt, paternarum rerum, & catholicæ fidei hæredes, quos defuncto Claudio, successor Imperij Adamas crudeliter est persecutus, non quòd Hebræi essent, sed quòd à Romana disciplina à parentibus accepta nollent deficere. Quæ deinde nouus auctor adiungit, de Collegio sancti Stephani, ex quo ab reliquis collegis vnũ, ait, delectum, qui in Abassiam nuntiatum iret Imperatori, ortam apud Europæos suæ gentis infamiam; & de ipso Imperatore Mena grauiter apud summum Pontificem de illata sibi ac suis iniuria per literas querente, & Tridentinum Concilium flagitante; quæ item de magni Senatus consiliariis ad Pontificem, & Cardinales eadem de re scribentibus; de ingressu in

Abas

Abaſſiam Luſitanis prohibito, niſi Oliſiponenſium Goanorúmque ſacræ fidei quæſitorum deferant teſtimonia, & huiuſmodi alia, quæ cum illo de Hebræis commento miſcet, non habeo neceſſe ſeriò refellere; ſatis conſtat, fabulas eſſe, multóque poſtea conſtabit apertiùs. Interim ſcitum volo, Menam illum, qui, vt antea dictum, Adamas dictus eſt, fuiſſe acerrimum Romanæ Eccleſiæ hoſtem, nullúmque cum Apoſtolica ſede habuiſſe, aut habere voluiſſe commercium: quatuor item antè annis ceſſiſſe è vita, quàm pontificium diploma, quo ad loca alia Ouiedus deſtinabatur, fuiſſet in Abaſsia receptũ. Obiit enim anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio; diploma verò quatuor pòſt annis ad Æthiopiam peruenit. Denique rectè monent ſapientes, qui multa facile & ſine conſilio dicit, pollere memoria debere, ne loquatur pugnantia. Aſſeruerat auctor iſte, Alexandrum III. quem vult fuiſſe in Imperio Menæ ſucceſſorem, Ouiedi ſuaſu Latinum inſtituiſſe Senatum; at Mena, vt idem auctor ait, ad Pontificem de Ouiedo ſcribens, non ſolùm negat malè in Abaſsia Ouiedum tractari, ſed affirmat optimo apud ſe haberi loco, cùm Latino Senatui præfectus ſit. Itaque iam Latinus ille Senatus erat, eíque præerat Ouiedus, antequam eſſet inſtitutus. Hæc ſunt auctoris huius miracula, efficit vt ſint, quæ non ſunt, & facta iam ſint, quę nondum ſunt inchoata. Atque hæc de prima ac potiſsima cauſa, ex qua circa res fidei orta fingitur in Abaſsinos infamia. De altera, quam peperiſſe dicitur locorum ignoratio, nihil eſt, quod dicam. Haud dubitari poteſt, quin ſcriptores ij, qui Æthiopes ſchiſmaticos eſſe dicunt, non alios Æthiopum populos, quàm Abaſsinos deſignent. Quæ de geographicis dimen-

ſionibus,déque variis Æthiopiæ acceptionibus nouus auctor tradit, iure potuiſſet omittere,cùm in iſto mathematico puluere parum videatur exercitatus. De tertia cauſa, quæ dicitur in falſo vulgi rumore conſiſtere, nonnihil dicendum eſt. Ait nouus auctor contigiſſe Abaſſinis,quod Armeniis, Iacobitis, Maronitis, Neſtorianis, & gentibus aliis Chriſti fidem profitentibus, quæ quòd ab Vrbe longè abſint, nec ſuas ad eam cauſas deferant, vulgi opinione à Romana Eccleſia creduntur diuiſæ,cùm re ipſa non ſint. Deinde varios earumdem gentium Patriarchas diuerſis temporibus Pontifici Romano, vt ſuperiori, ſuum detuliſſe obſequium. Præterea,eoſdem,quos recenſui, populos legatis,literis,modíſque aliis Romanæ ſedis auctoritatem ſæpe fuiſſe confeſſos. Ruthenos demum, & Moſcouitas non ita pridem, abiuratis coram Clemente VIII. Græcorum erroribus, ad ſinceram maiorum ſuorũ fidem rediiſſe. Quod de Patriarchis quibuſdam aſſerit, libenter admitto. Verum quoque eſt Clementis VIII. tempore aliquot ex Ruthenis & Moſcouitis Romam veniſſe, vt de illis populis ad rectam fidem reducendis cum Pontifice agerent. Imò de eadem re eiuſdem Pontificis iuſſu coacta in Lituania eſt Breſtenſis ſynodus,in qua quid actum ſit,apud Thomã à Ieſu copiosè leges. Hoc certum,adhuc Ruthenos & Moſcouitas à Romana Eccleſia diſsidere; atque inde volo colligatur, quod dixeram ſuprà, non propterea credendum eſſe, Abaſsinos Romanam ſuſcepiſſe religionem, quòd aliqui eorum Imperatores eam profeſsi ſint, ſuóſque ad eam pertrahere curauerint. Etſi enim aliqui ex his Chriſtianis, qui à nouo auctore catholici, & Apoſtolico imperio obedientes prædicantur, priuatim tales ſint, gentem tamen vniuerſam

uerſam à Romana ſede eſſe communiter alienam, non eſt in dubiis ponendum. Armeniorum pars magna recta fide caret. Iacobitæ, Neſtoriani, Georgiani, eiuſdem generis alij vniuerſim ſchiſmatici ſunt, & variis inuoluti erroribus, quamquam inter iſtos aliqui reperiantur, qui veritatem agnoſcant, & priuatim teneant. Ex quo tam abſurdè infertur, gentem vniuerſam colere Romanam fidem, quàm ſi ex eo, quòd inter Anglos & Græcos non pauci ſunt egregiè catholici, inferre quis vellet, Angliam & Græciam ſub Romani Pontificis obedientia veram Chriſti religionem ſectari. Quod tandem de Græcis Genebrardus ſcribit, ſolere ipſos hæreſis notam catholicis per calumniam inurere, verum ne, an falſum ſit, non curo. Abaſſinos eſſeq́ hæreticos, & à Romano capite præciſos, etſi nihil ea de re Græci dicant, certiſſimum eſt. Sed iam ad reliqua.

Sintne vlli in Abaſſia ſacrorum Antiſtites.

Caput XXXII.

TRadiderunt aliqui, centum viginti ſeptem in Abaſſia eſſe Archiepiſcopos; vnicuique eorum viginti ſubiici Epiſcopos, Suffraganeos appellãt. Hoc falſum eſt, veriſſimum eſt, & ſtatim conſtabit. Nouus ille auctor affirmat, Preteiannem data ſibi ab Eugenio I V. & à ſequentibus Pontificibus facultate, creare poſſe Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quos ſui ſupremi Senatus conſiliarios conſtituat. Hos & patriarchalibus & pontificiis ornari titulis, vt præter nudos titulos nihil aliud in conſecratione accipe-

re:neque enim aut vllus diœcesis appellationem, aut vllam habere curam animarum. Solitos primùm fuisse quibusdam indui vestimentis malè compositis, & ad pontificiam dignitatem parum aptis; sed Gregorium XIII. constitutione sanxisse, vt habitu vterentur, quali Romæ & in Latina Ecclesia vti Episcopi consuescunt; Ioannem Balthasarem Abassinum diploma Gregorianum in Abassiam portasse. Hæc ille, quæ ficta esse, perspicuum est. Vbi vmquam auditum, vllum Patriarcham aut Episcopum esse, qui nullius loci Patriarcha, aut Episcopus sit? Quos titulares vocant, non quòd loco, sed quòd administratione careāt, tales dicuntur, vt nemini ignotum. At Patriarchæ isti & Episcopi quemadmodum ficti sunt, ita nullius loci pastores sunt. Ait deinde idem auctor in vniuerso Imperio duodecim esse Archiepiscopos, septuaginta duos Episcopos, atque hunc vtrorumque numerum ab ipso Christianę Religionis exordio firmum hucusque & constantem perstitisse, neque Abassinos vmquam passos, vt vel plures essent, vel pauciores, semper vt Apostolorum ac discipulorum Christi memoria eo numero retento apud ipsos vigeret. In quolibet cathedrali, vt vocant, Ecclesia duodecim tantùm esse canonicos, Abassino idiomate Debeteras appellatos; eum esse ab Episcopo secundum, quem lingua sua nominant Nobretem, quasi dicas Decanum. Hos habere statuta, & more viuere regularium, simul cum Episcopo, vel Archiepiscopo in eodem communi triclinio & communi mensa cibum sumere. Ætatis pręrogatiua ab dignitatem euehi. Cùm enim aliquis ex canonicis diem obit, in eius locum suffici sacerdotē, qui in ea vrbe, penes quam tunc eligendi ius est, cæteris antiquitate pręit: canonicorum enim electionem

ad

ad vrbes diœcesis viciſſim pertinere, ac modò vnam, modò aliã decedenti canonico ſubrogare ſolitam quę tũc habet ſacerdotem cæteris anteriorem. Epiſcoporũ electiones ita fieri Archiepiſcopo mortuo ex iis Epiſcopis, qui illi ſubdebantur, antiquiorem ſuccedere: mortuo Epiſcopo ex eius canonicis eum ſimiliter ſubſtitui, qui reliquos ſuperat antiquitate: qui autem inter Archiepiſcopos tempore eſt prior, eum Clemẽtis VII. & Pauli III. auctoritate eſſe in Æthiopia nuntium Apoſtolicum, & ſummi Pontificis gerere vices. Ad hunc ſpectare Epiſcoporum & canonicorum electiones habere ratas; patentéſque electis dare confirmationis literas. Hos antiſtites ſemel tantùm annis ſenis diœceſes ſuas luſtrare. Archiepiſcopos ex metropolitanis vrbibus, quas incolunt, numquam egredi, cùm nullas alibi habeant oues: ſingulos verò Epiſcopos varias peragrare ciuitates, cùm ſinguli multis ſint præfecti. Talem ait hac in re ſeruari modum. Cùm ad diœceſim luſtrandam Epiſcopus proficiſcitur, prætor ipſius familiares ac domeſticos, à collegio Canonicorum duo Canonici, ab vrbe metropoli viginti nobiles, à militari Abbate ſancti Antonij, qui ea eſt in vrbe, ex qua diſcedit Epiſcopus, viginti equites ad comitatum ipſi aſſignantur. Hac ſtipatus hominum caterua in viam ſe dat. Vbi propinquat loco, quem it inuiſum, quotquot ibi Eccleſiaſtici, & patritij ordinis ſunt cum famulis & ingenti alia hominum multitudine obuiam exeunt venienti. Epiſcopus cùm ſuis cæteriſque, quos in comitatu habet, erectis ante vrbem recipitur tentoriis, quanto opus eſt tempore, vt oues recognoſcat. Interim ipſi & comitibus quæ ad victum pertinent, abundantiſſimè ſuppeditantur. Eccleſiaſtici vrbis illius, ad quam deuẽtum, expenſis ſuis

Episcopo & canonicis comitantibus, atque horum & illius familiaribus ministrant necessaria. Vrbis eiusdem nobiles idem præstant nobilibus Episcopi sociis. Cœnobium denique S. Antonij, quod eadem in vrbe est, ordinis sui equites cum Episcopo venientes suis alunt sumptibus. Ingreditur quidem Episcopus in vrbem, dum & templa inuisit, & inquirit in incolas: cùm tamen aut sumendus cibus, aut quiescendum est, ad papilionem reuerti. Archiepiscopos ait bis annis singulis, primò ad ferias Pentecostes, iterum sexto Idus Octobris prouincialium Episcoporum ac parochorum conuocare Concilia, vt quæ videbuntur ad rectam Ecclesiæ administrationem conducere, in commune constituant. Hæc omnia & huiusmodi plura nouus auctor, quæ ficta haud dubiè sunt, & inania. Vnum habent Abassini, qui aliquo modo sacris præest; Abuna dicitur, id est, Pater; nomine alio Macus appellatur. Penes Alexandrinum Patriarcham eius electio & creatio est. Monachis & clericis confert ordines; vix præstat aliud, in quo vllam in ipsos videatur habere potestatem. Præter societatis religiosos in Æthiopia degentes, qui hoc sæpius scripsere, testis est Ioannes à Sanctis Dominicani professor instituti, quē suprà laudaui. Is in octauo capite libri quarti operis sui ista scribit. Qui Sacrorum est in his locis pręses, ab Alexandrino mittitur Patriarcha. Præter hunc nemo alius munera exercet Pontificalia. Abuna ab incolis vocatur; monachis & clericis confert ordines. Cùm defungitur vita, ab eodem Patriarcha deposcitur alius, qui defuncto succedat. Hæc ille. Testes etiam rei eiusdem sunt Abassini, qui Romæ, qui Olisipone, quíque alibi apud nos reperiuntur, veritatis amatores. Omnes firmissimè asseuerant non esse in Abassia, qui

dicœceses

diœceſes luſtret, qui in aliorum mores Eccleſiaſtica poteſtate inquirat, aut eorum peccata puniat, qui quo quiſque modo viuat, quidquam ad ſe pertinere arbitretur. Falſum quoque eſt, & ab ipſis Æthiopibus reprobatum, quod nouus auctor ait, Abunam Hieroſolymis eligi à religioſis Abaſſinis ibi cõmorantibus;electionem deinde ad Alexandrinum Patriarcham mitti, vt eam priùs examinatam auctoritate ſua confirmet.Integra enim,vt dixi, penes Patriarcham electio eſt:is quem vult, mittit; nec is, quem mittit, vmquam reiicitur. Falſum item, quod aſſerit, Abunam,idem quodammodo eſſe,ac viſitatorem;officio enim & ſignificationi Abunæ ea interpretatio repugnat,quod Abaſſini, atque externi, qui linguam callent,apertè teſtantur.

Sintne vllæ apud Abaſsinos religioſorum familiæ.

CAPVT XXXIII.

VT in templis ædificandis, ita in religioſis familiis erigendis atque inſtituendis Abaſſinorum principum celebratur pietas. Multa dicuntur ſacris hominum cœtibus fundaſſe cœnobia,iiſque copioſos ex ſuis facultatibus aſſignaſſe redditus, quibus lautè & liberaliter,quantum ordinis ferret conditio,alerentur. Aiunt cœnobia ferè omnia, vel in altiſſimis rupibus,vel in profundiſſimis eſſe cõſtructa vallibus,ipſóque ſitu indicare, quantum à ſecularium hominum conſortio remoti eſſe religioſi debeant, quorum munus ſit,&cœleſtia velnti propinquiora reſpicere,& æternas Inferorum miſerias aſſidua cõtẽplatione per-

ſcrutari;vt hinc ſuppliciis deterriti, illinc allecti præmiis rectum ſemper teneant virtutis iter. Nouus auctor ſcribit in Anconæ prouincia vnum eſſe cœnobium, vbi ſeparatis in locis,ac prorſus diſcretis monachi ſimul & moniales degant; quod ait,conſuetum olim fuiſſe tota in Græcia,in qua ſancti Baſilij monaſteria vna ex parte viros,ex altera continebant fœminas; hodiéque in ſanctę Brigittæ cœnobiis idem obſeruari. Hanc verò Anconitanam vtriuſque ſexus domum Æthiopica lingua nomen habere Iconoamecalem,hoc eſt,Deus prouidet.Totam ſimul ædem cum templo,quod eſt peramplum,& in modum crucis cõformatum,eúmque cæteris, quæ ad fabricam pertinent, in ſola vna eſſe exciſam rupe, ſupra quam ingenti aquarum copia decurrit amnis. Hoc commune virorum & fœminarum cœnobium, ſi quod eſt, ſuſpicor haud eſſe ab eo diuerſum, de quo ex literis Gõzali Roderici altero libro dicam. In eo vt Gonzalus ſcribit, licèt in parte vna monachi, in altera eſſent moniales,locis diſtinctis; non erat tamen tanta inter ipſos diuiſio,quin ex tali vicinitate noua ſoboles pullularet. Quænam hæc ſit Anconitana prouincia, atque hoc monaſterium, ſi ab illo eſt diuerſum,mihì ignotum eſt:auctor enim iſte, quemadmodum alia, ſic &, prouincias & regna pro ſuo fingit arbitratu. Sed primùm ab eo quæramus, vbi legerit, per totam olim Græciam in iiſdem ſancti Baſilij monaſteriis viros ſimul & fœminas fuiſſe, eo modo quo nunc ait eſſe in illo ſuo Anconitano cœnobio? Riſere quidam Græci veterum & recentiorum Græciæ morum peritiſſimi,cùm hac de re eſſent rogati. Monialium quidem monaſteria, quæ ſub monachorum adminiſtratione ſunt,aliquos habere eiuſdem profeſſionis viros,

ſepara

ſeparatis domiciliis,qui ſint à confeſſionibus, qui mini ſtrent ſacra,qui res monaſteriorum curent; id non fuit olim ſancti Baſilij monaſteriis peculiare; ſed & olim,& nunc in omnibus Chriſtianorum prouinciis frequentiſſimum. Nec aptè inde inferas, monaſteria in Hiſpania eſſe,ſeparatis quamquam domiciliis, viris & fœminis communia. Quæramus deinde, vbi nam gentium ſint illa,quæ memorat,ſanctæ Brigittæ cœnobia? Quæſita à nobis per totam Europam diligenter,nuſquam tamen reperta;non in Italia, non in Gallia,non in Hiſpania,non in Germania, non in Polonia,eiúſque prouinciis,non in Britania, non etiam, vbi maximè poſſent eſſe,in Suetia,in Gothia, in Dania,non in alia orbis parte. Et verò quamuis aliquando abſque incommodo id fieri potuerit, quod auctor iſte non ſolùm defendere, ſed etiam laudare videtur; non dubium, quin hoc tempore in Eccleſia neque vſitatum ſit,neque probatum.Quid Antonius hac de re ſcripſerit,paulo pòſt referam.Pleroſque religioſorũ cœtus ſub magni Antonij nomine in Abaſſia viuere haud eſt ambiguum. Dubitatum ſcio, an ordines alij ſint. Apud aliquos legi, canonicos eſſe, quorum ſub cura & adminiſtratione ſunt templa maxima: eos certis ſub ſtatutis viuere, vt apud nos, qui Regulares Canonici nuncupantur. Nihil auſim de his aſſerere, quia nihil mihi certum. An canonici huiuſmodi aliquando in Abaſſia fuerint,dubitari poteſt;modò non eſſe,magis credo, quia nulla de his in literis noſtrorum mentio. Scribit idem auctor,multos illic eſſe religioſorum ordines modo viuendi & profeſſione diuerſos. Eſſe Anachoretas,quorum inſtitutor quidam extiterit Æthiops,vir ſanctus,Moſes nomine, ex nequiſsimo nebulone in ſanctiſsimum virum commu-

tatus:alios,qui Paulum primum Eremitam; alios,qui Hilarionem; alios, qui Macarium;alios , qui Onuphrium sui instituti sequantur ducem. Ex vnoquoque anachoretarum genere in desertis illis Æthiopiæ saltibus innumeros esse greges, partim per agros sub aperto vagantes cœlo,partim abditos specus & latebras sub terra habitantes,partim syluestribus tuguriis à temporum iniuriis corpora tuentes, partim denique cœnobitarum more in communi quadam vitæ societate, nullis tamen obstrictos votorum laqueis, degentes. Nullum hisce eremitis peculiare esse indumenti genus;liberum cuique, quibus velit, vti vestibus. Plerosque pellibus aut coriis, paucos gossipinis tegi amiculis crocei coloris. Nonnullos inter eos esse sacerdotij exornatos dignitate,qui sacra cæteris ministrant. Reperiri aliquos sub Augustini vexillo militantes,sed hos,& paucos esse,& egenos, & Eremitarum more deserta loca incolere. Eorum apud Abassinos originem idem auctor ita ferè narrat. Superioribus inquit,annis ex Thebaide,Ægypti regione,quæ est Æthiopiæ contermina,magna hominum vis exiit, vitam ab omni humano consortio separatam sub Augustini nomine ducentium. Hi multarum hæresum corrupti erant erroribus, quippe qui dicerent, neque Spiritum sanctum procedere à Filio;neque vllum esse in mundo purgatorij locum; neque vllam crucem præter illam ipsam, cui affixus Christus fuit, esse adorâdam;neque defunctorum animas ab omni peccati labe puras nullique obnoxias pœnæ ante extremi Iudicij diem videre Deum; neque Romanam Ecclesiam reliquarum esse Ecclesiarum matrem, & magistram; multáque alia impiè crederent à vera religione diffidentia,eáque Abassinis inculcarent. Cùm

id ad Imperatorem Claudium esset delatum, confestim in carceres, & vincula nefarios proditores iniici iussit, & à fidei censoribus eorum hæreses examinari; quos pertinaces reperit, partim leonibus exponi, partim viuos in terram defodi imperauit: qui contrà faciles veritati præbuerunt aures, statuit, vt certum reciperentur in locum, ibíque catholicis præceptionibus instruerentur. Interim nuntium Romam misit, qui à Tadæo Perusino Eremitarum sancti Augustini per id tempus moderatori generali, Augustiniani ordinis constitutiones peteret, vt ipsas anachoretæ illi ad fidem conuersi profiteri & seruare possent. Missum statim ab Generali omne Augustinianum ius, & in Æthiopicum idioma ex Latino traductum. Tum Claudius Imperator decreuit, vt qui ex illis dare Augustino nomen vellent, & eius legibus viuere, coram iisdem illis fidei iudicibus religionis vota nuncuparent, simúlque Romano Pontifici, tamquam communi Christianorum pastori, & vniuersalis Ecclesiæ capiti, iureiurando obedientiam promitterent: qui religiosam profiteri vitam nolent, tota quamprimum Æthiopia abscederent. Hæc nouus auctor, copiosiùs, vt solet; sed ficta omnia, & illud magis, quod de sancti Augustini eremitis scriptum proximè. Huiusmodi enim religiosi in Abassia nulli sunt, nulli etiam fidei iudices ad quos religionis causæ deferantur. Claudius prætereà hæresum fuit non oppugnator, sed propugnator, & Romanæ Ecclesiæ insignis hostis, vt sæpe dictum, & sæpius dicendum. Qui sub Antonij Abbatis nomine religiosam in Æthiopia vitam degant, etiam nunc multos esse; & ante hæresis ingressum varia eorum per totam Abassiam fuisse cœnobia, omnibus pietatis & virtutum operibus florentia, pro com-

perto

perto traditur. Huius ibi ordinis instituendi talem nouus auctor rationem proponit. Mortuo, inquit, Antonio Archimandrita, anno Christi quinquagesimo septimo supra trecentesimum, cùm Magni Constantini filius Constantius orbis haberet Imperium, multi Antonij discipuli, inter quos Macarius, Hilarion, & alij erant, religionis & sanctimoniæ fama notissimi, ex Thebaide in Æthiopiam se conferentes, abditas speluncas, & loca deserta cœpere separatim incolere; tamdiúque eum vitæ modum tenuere, donec Basilius Cæsareæ Episcopus, diuino actus instinctu, dispersos ac dissipatos per syluas & solitudines homines in societatem vitæ conuocauit, & domiciliis legúmque communione coniunxit. Tum primùm multa in Æthiopia erecta cœnobia sunt, quę sub eiusdem Antonij nomine viuendi formam & instituta à magno Basilio accepere. Addit idem auctor, per id tempus Ioãnem Abassiæ Imperatorem, vulgo Sanctum nominatum, aduersùs Arianam hæresim, quæ tunc auctis mirum in modum viribus Æthiopiam inuadebat, induxisse in animum militarem Equitum ordinem instituere, & suum hac de re cum Basilio consilium communicasse; eo autem approbato peculiares condidisse leges, & nigram vestem, cum cærulei coloris Cruce in modum, T, Græca litera, efformata, equitibus assignasse. Hoc insigne discipulis suis dedisse Antonium, vt tamquam Israelis primogeniti, hac salutis nota à reliquis discriminarentur. Addit præterea, eumdem Imperatorem stabili decreto firmasse, vt quicumque tres haberet filios, ni medicus esset, vt iam dictum suprà, vnum ex iis huic adscriberet militiæ, id decretum adeò strictè seruari, vt ne Reges quidem ab eo absoluantur. In vnaquaque vrbe vnam esse horum equi-

tum

tum domum, in qua separatis distinctísque locis duo eorum sint genera; quosdam militaribus incumbere exercitationibus, & ad bellicos vsus, quoties est opus, paratos esse; alios donatos rude, quos diu multúmque in militia exercitos plenior annis ætas grauat, habitu viuere, & ritu monachorum, sacerdotio initiatos; nec posse hoc de numero plures esse, quàm viginti; quorum, qui natu est grandior, cæteris emeritis præest, spiritualis Abbas nominatur. Alterius generis equites nullo certo arctari numero; ad quingentos, ad mille, ad duo millia, & vlterius procedere. Istos militari subiici Abbati, ab seipsis inter se suffragiis creato. Tunc autem in equitum ordinem cooptari, & in eorum collegium recipi, cumprimum decimum sextum, decimúmve octauum attingunt ætatis annum. Móxque vbi recepti sunt, ad bellum mitti, & nouem integros annos dare militiæ, sub nomine tyrocinij; ea diuisos ratione, vt primos tres ad Erythræum mare transigant, & maritimam Æthiopiæ oram defendant ab Arabicis prædonibus. Tres alios in insula Meroë, vt esse præstò queant, si quid Turca ab Ægypto moliatur. Tres vltimos in locis Borno finitimis, ne eius regni tyrannus, genere Saracenus, opibúsque & copiis potens, qui perpetuas cum Abassino gerit inimicitias, quidquam mali ab ea parte valeat inferre. Hæc & mille alia, quæ à nouo auctore de his commentitiis equitibus scribuntur, eo magis absunt à vero, quo sunt speciosiùs composita. Militarem enim ordinem in Abassia nullum esse, & ipsi fatentur Abassini, quibus, vt dixi, haud leue est quidquam fateri, quod sibi putent minus honorificum; & idem ipse huius falsi ordinis fabricator apertissimè fassus est, fabulam esse, quod ea de re tradidit in libello à me antea memorato.

to. Cætera quoq; quæ partim falsa, partim suspecta; sed nihil opus, ea singulatim refellere. Qualis nūc Æthiopum monachorum viuendi ratio sit, ad finem sequentis capitis ex Antonio referam.

An præter religiosum Magni Antonij ordinem aliquis alius in Abassia sit.

CAPVT XXXIV.

NOuus auctor, & quidam alius eo anterior literarum monumentis tradiderunt, multa esse Dominicani ordinis per totam Abassiam cœnobia. Illa duo maximè celebrant, quæ de Plurimanis & Alleluia vocant. In primo nouem religiosorum millia, in secundo millia septem aiunt viuere. Addunt Monialium eiusdem instituti tertium, Bedenagli dictū, quod quinque complectitur millia fœminarum. Huius religiosæ familiæ in Abassia fundandæ causam nouus auctor proponit. Ait ab his Europæ locis ex prædicatorum ordine sæpius aliquos in Æthiopiam iisse, ibíque diuinum verbum disseminasse; anno tamen salutis millesimo trecentesimo decimo sexto, & à condita sancti Dominici religione centesimo, sub finem Aprilis, cùm post obitum Clementis V. vacaret Romana sedes, & Berengarius de Longorra esset generalis magister ordinis Prædicatorij, profectos Roma religiosos octo, quorum vnus Pantaleo dicebatur, reliquorum ignorantur nomina: & in eorum comitatu vnam ex iis, quæ de tertio dicuntur esse Pœnitentiæ ordine, probatam ætate, virtute, & religione fœminam. Hos primùm Hierosolymam accessisse, ibi aliquot

quot consumptis diebus cùm essent dubij, quò vlterius se ferrent, piis precationibus consuluisse Numen; & eam ab ipso iniectam omnibus mentem vt ad Æthiopes tenderent, ídque magna fecisse animorum concordia. Dein Æthiopiam ingressos, gentis linguã breuissimè didicisse, & palàm ac publicè de rebus diuinis cœpisse disserere; ad amorem pietatis omne genus hominum exhortari, doctrinæ suæ veritatem signis stabilire. Continuò commotos rei fama Æthiopes oppidis & domibus relictis, ad nouos homines de facie noscendos, audiendósque vndique confluxisse. Ipsum quoque Imperatorem, cùm id, quod erat, agnosset, pro tam singulari beneficio actis Deo gratiis, nuntium ad eos misisse de aduentu gratulatum, & potestatem fecisse, non liberè tantùm ac sine impedimento, vbicumque vellent, prædicandi, sed monasteria quoque ædésque per vniuersos Imperij terras erigendi, in quibus & censorum fidei exercerent munus, & omnibus iis vterentur facultatibus, quibus in Latina Ecclesia solerent vti. Hac illos principis beneuolentia vehementer lætos, & animatos perrexisse vlterius, subiectas Æquatori plagas, & Cafatis lacum, hoc est, ipsos Nili fontes, tanta olim à natura occultatos industria, tantáque plurimorum regum ac dynastarum quæsitos diligentia, tandem penetrasse. Multa in regnis Goyamæ, Cafatis, & Sabæ cœnobia ædificasse, & immensam hominum multitudinem sancti Dominici signis adiunxisse. Nec illam interim mulierem, quæ pios comitabatur prædicatores, desidia aut otio languisse; verùm pro parte sua laborasse strenuè, & clarissimam inprimis sub eadem sancti Dominici viuendi forma extruxisse fœminis ædem, tunc de Bedenagli, à sanctæ Claræ nomine postea

nuncu

nuncupatam, quinque, vt dictum est, & plura complectentem millia monialium. Mulieres deinde plurimas vitæ exemplo & sanctimonia notas, quibus ardens erat ad perfectionem tendendi desiderium, ad tertium Pœnitentiæ ordinem adsciuisse. Ex fabricatis tunc cœnobiis quædam non mediocri hucusque habitantium frequentia integra perseuerare, alia partim infidelium armis esse destructa, partim ob aëris inclementiam, & causas similes ab ipsis religiosis vltro deserta. Illos egregios prædicatores, Pantaleone excepto, qui solus erat notus ex nomine, ab ipsis Æthiopibus Argai, Grima, Luanos, Sama, Aleph, Agaloa, Assen fuisse appellatos. Argai apud Abassinos ait senem significare; Grima concionatorem terribilem; Luanos de Deo placidè loquentem; Sama eum, apud quem deponitur seruanda pecunia; Aleph, qui panem ministrat; Agaloa cui victus & vestitus aliis suppeditandi cura incumbit; Assen superiorem, vel dominum. Impositum quoque fœminæ nomen Imata, quòd siue Dei mulierem, siue Dei seruam designat. Addit, in peristyliis celeberrimi illius cœnobij de Plurimanis totam ferè hanc prædicatorum patrum historiam multis cum miraculis, quæ patrarunt, per ipsos parietes etiam nunc depictam conspici. Hæc nouus ille auctor. Quæ de cœnobiorum fabrica, ædificiorum magnitudine, forma, dispositione, déque vniuersa gubernandi ratione adiungit, haud lubet referre. Ex his autem, quæ retuli, multa vt à veritate, sic ab humana fide sunt aliena, & tenebris magis, quàm luce digna. Optandum quidem esset, vt in aliqua Christiani orbis parte, nedum in asperrimis illis Æthiopiæ dumetis, tam celebres, ac tam copiosæ modò reperirentur religiosæ vitæ veræque pietatis scholæ.

At nullos in Abassia esse siue virorum, siue fœminarum cœtus, qui sancti Dominici legibus regantur, omnino certum est. Credatur illi ipsi Abassino, cuius fidem nouus auctor in cœlum effert, quíque has forsitan fabulas, ab alio primùm fictas, auctoritate sua firmauit. Is nobis asseruit, dubitare se, an vllum vmquam in Abassia viderit Dominicanæ familiæ religiosum; cœnobium quidem eius ordinis esse nullum. Idem Abassini ij, qui Romam veniunt, cum quibus sumus collocuti, idem qui Olisiponem appellunt, absque hæsitatione affirmant. Multis id quoque nostrorum literis sæpe inculcatum; cùm enim scribant, illos, qui in Abassia sunt, religiosos, paucis exceptis, quibus Romanæ veritatis lux fulsit, plurimis inuolui erroribus, & Catholicæ fidei præ cæteris obsistere, atque omnium pessimè viuere; statim monent, eos neque Dominicani ordinis esse, neque Franciscani. Tales verò illi monachi sunt, qui in illis de Plurimanis siue Bilibanis (sic etiam appellant) & de Alleluia cœnobiis habitant (quod non solùm ex Francisco Aluaro antiquiore teste, sed etiam ex Gonzalo Roderico, qui anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto in Abassia fuit, atque ex iis, qui modò ibidem degunt, agnoscimus) vt iudicare facilè sit, indignissimos esse, qui tam sanctæ piæque familiæ credantur alumni. Et quidem illud eiusdem rei magno esse argumento debet, quod Societatis religiosi, qui annis iam propè sexaginta Æthiopicas incolunt regiones, nihil vspiã reperere, vnde colligere possent, aut nominata cœnobia, aut alia, quæ apud Abassinos sunt, Dominicanis legibus gubernari, vel ad Dominicanam familiam quidquam pertinere; quod & ipsa quoque indicat ædificiorum vetustas, cùm sint omnia multo anti-

quiora, quàm vt cum sancti Dominici ordine incœperint. Est quidem in Regno Tigri monasterium, Abbaguarima appellatum;in eo sepultum esse virum sanctitate insignem cum aliis octo sociis illuc Roma profectum,fama fert. Haud est improbabile,hunc,& socios ex sancti Dominici ordine fuisse; quamquam id apud Abassinos non dicitur. Certè qui illud nunc habent monasterium, institutis viuunt à Dominicanis longè diuersis. Quare cùm nulla in Abassia Dominicanæ militiæ castra sint,perspicuè colligitur eius ordinis religiosos, neque fidei censorum officio ibi fungi;neque Imperatoribus esse à confessionibus, neque alia habere,quę nouus auctor tam solicitè actam sæpe,quasi magni interesit,ipsis attribuit. Haberi pro certo volumus,quicumque apud Abassinos sunt, qui religiosam profiteantur vitam, eos Magni Antonij, Macarij, Basilij, non aliorum Patrum ætate posteriorum,leges & instituta profiteri. De Religiosis Societatis ex Europa aut India profectis nihil attinet hoc loco dicere. De Abassinis dumtaxat, déque propriis eorum cœnobiis sermo nobis in præsentia est.Si quis tamen aliquid obiter de nostris scire velit, quinque esse sciat, qui hoc tempore illis degunt in locis. Hi sunt Petrus Paëz Castellanus, cæteris præpositus; Franciscus Antonius de Angelis, & Laurentius Romanus,Itali;Antonius Fernandius, & Ludouicus Azeuedius,Lusitani. Duo tenent loca. Partim in regno Tigri sunt;ibi pagum incolunt,cui Fremona nomen;partim Imperatoris castra sequuntur, & oppidum communiter habitant,quod vocāt Gorgorram. Alia de his nunc dicere,ad rem præsentem nihil. Dicam,quæ suprà pollicitus sum de Abassinis monachis ex Antonio Fernandio me dicturum. Monachorum, inquit,

inquit, cœnobia patentia sunt, & nullis prorsus obsepta claustris. Suam quisque ad habitandum speluncam magis, quàm ædem habet; quæ sibi opus, quærit per se, nulla donandi vel accipiendi prohibitus lege. Multis locis simul cum monialibus monachi habitant. A quibus iam virorum cœnobiis arcentur fœminæ, sed prope domos habent, ad quas monachi pro libito ventitant, Mundi loca vocant ipsi. Multi secum ancillas habent, quibus cum coniugatorum more viuunt. Sunt etiam inter ipsos, qui palàm ac publicè vxores ducāt; tanta in miseris hominibus mentis caligo est. Ne ipsū quidem obedientiæ nomen inter eos notum.. Vadunt quò volunt siue interdiu, siue noctu; nullum illis discrimen temporis. Per oppida vagantur, nundinas frequentant, & institorum more negotia exercent. Indumenta ipsis ad libitum. Qui vitam profitentur asperiorem duris præcincti zonis corpora tegunt corio, & prolixam demittunt ad humeros comam. Non pauci solo victitant legumine, & summam in ieiunio putant esse sanctitatem. Quæ tamen frequenter in ipsis deprehenduntur scelera satis demonstrant, hæc eos facere non amore virtutis, sed inanis gloriæ cupiditate. Hæc vna non paucos eorum in solitudinem abripit, vt sanctimoniæ fama noti, & in pretio habiti vocentur in aulam, vbi ad summum deueniunt nequitiæ fastigium. Omnes cucullum portant, nec alio indicio religiosi esse noscuntur, ac si tota religiosæ vitæ ratio in solo cucullo posita sit. Eadem, quæ in monachis, in monialibus est viuendi licentia. Hic est modus, quo se vtrique religiosæ adscribunt disciplinæ. Ad cœnobia accedunt; ibi primùm baptizantur; deinde certæ supra ipsos recitantur preces; postremò imponitur illis cucullus. His peractis Religiosi euadunt;

neque apud Abaſſinos valet, quod apud nos prouerbio teritur, Monachum non cucullus, ſed viuendi ratio facit.

Quæ ſacramenta, qualíſque eorum vſus apud Abaßinos ſit.

CAPVT XXXV.

INter argumenta, quibus nouus auctor ſuadere nititur, numquam Abaſſinos à vera fide, & Romani Pontificis obedientia receſſiſſe, illud vnum eſt, quod Religionis Chriſtianæ ſacramenta non ſecus atque Romana Eccleſia, purè ſinceréque vſurpent, ſempérque vſurparint. A Baptiſmate rem inchoat, cætera deinde myſteria ſingulatim percurrens, quid in vnoquoque nobiſcum commune, quid peculiare habeāt, ac proprium, multo pluribus, quàm ego referam verbis, lingua ſua exponit. Quod igitur attinet ad cœleſte lauacrum, ait credere Abaſſinos, quemlibet hominem, quo primùm puncto temporis, efformato intra maternam aluum corpuſculo animus à Deo infunditur, originali, vt Theologi loquūtur, cōmaculari labe; hanc verò aquæ deleri Baptiſmo, qui more apud ipſos peruetuſto, die ab ortu quadrageſimo maſculis, octogeſimo fœminis miniſtratur, niſi quid interueniát, quod anteire cogat præſcriptos dies. Hoc vltimum falſum eſſe, iam ſuprà ex Antonij literis conſtitit; ex iis dixi, ne mortis quidem periculo interueniēte anteuerti deſignatum Baptiſmi tempus, moríque illotos infantes, quibus ante illud accidit mors. Ait deinde nouus auctor illum adhuc vigere morem, ſi qua de

causa ante constitutum diem sacra vnda tingatur infans, non porrigi ipsi à matre mammam, donec præfixus ille dierum numerus adueniat; matrem enim nondum purificatione expurgatam, non reputari dignam, quæ loto iam puello, & ab omni purgato peccati macula lac suum sugendum dedat. Nam quæ masculum peperit, ante diem quadragesimum; quæ verò fœminam, ante octogesimum censeri immundam. Olim baptizatis infantibus, Græcorum more dari solitam Eucharistiam, nunc ab hoc ritu cessatum, summorum Pontificum iussu. Quotannis ipso sacro Epiphaniæ die in memoriam ac reuerentiam baptizati Christi corpora in lacubus, aut fluminibus solere abluere, mystis pręsentibus, & preces quasdam recitātibus. Inde ait occasionem aliquos accepisse falsò existimandi, solere Abassinos Baptisma iterare. Hæc ille. Sed iam suprà ostensum est, Abassinos Baptismum modis pluribus repetere, & hunc cum aliis tenere errorem. Apud antiquiores historicos reperio, ex veterum Imperatorum instituto esse apud hanc gentem positum in more, baptizati pueruli in fronte quædam inurere stigmata; id verò adeò strictè obseruari, vt si quis absque huiusmodi signo deprehendatur, in pœnam violatæ consuetudinis libertatem amittat, fiátque Imperatoris mancipium. Quid ea indicarit frontis nota apud eius auctores in ambiguo est. Tria potissimum dicuntur. Quidam affirmant, Æthiopes istos, eo signo, quod igne fit, credere, illud se Baptisma suscipere, quod à Christo conferendum eius Præcursor videtur significasse, cùm apud Mathæum dixit, *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne*. Alij, voluisse primos illos Æthiopiæ Imperatores, qui fidem Christi sequebātur, vt aliquod externum signum in Christianis esset, quo

ij à reliquis infidelibus, inter quos viuebant, primo ſtatim intuitu diſcernerentur Alij denique, decreuiſſe Imperatorem Ioannem,dictum Sanctum, vt baptizatis infantibus tria ſtatim in fronte puncta ignito ferro imprimerentur, quo miſerrimis illis Arianorum temporibus auguſtiſſimę Trinitatis fidem literati ipſorum vultus palàm ac publicè confiterentur. Quænam ex iſtis illius ſigni vera cauſa fuerit, nequeo certò definire. Primam vel ſecundam màgis probo; ſuſpecti auctoris tertia eſt. Qui illam,quam diximus parientium purificationem ex Hebraicis negant deſumptam cæremoniis,valde pij ſunt;ſed veritatem pietas non reſpuit,nec tollit errores excuſatio. Oſtendi, Abaſſinorum gentem à Romana fide defeciſſe, & multos hodiéque ſeruare ritus Iudæorum,multáſque eorum cæremonias cum Chriſtianis ſacris miſcere, nec paucis Græcorum erroribus implicari. Non me latet Zagazabum illum,de quo ſæpius memini, multos Abaſſinorum ſuorum excuſaſſe errores; cúmque negare rem ipſam,vtpote noſtris notiſſimam,non poſſet legalem animum negaſſe. Sed iam monui ab illo Damianum Goëz,&alios per idem tempus hiſtoricos fuiſſe deceptos, multáque ex eius narratione mandaſſe literis,quæ falſa fuiſſe, deprehenſum poſtea eſt. Scio etiam Teclam Mariam, Abaſſinum monachum, de quo dicam infià, in recenſendis ſuorum erroribus ſic à Zagazabo diſcrepaſſe,adeóque in hac re malè inter ſe conuenire Abaſſinos, qui apud nos ſunt, vt Thomas à Ieſu in theſauro ſuo de Abaſſinis agens, eorúmque ex variis auctoribus ritus referens, meritò dicat difficile eſſe hiſce de rebus certum aliquid definire.Idem ego iure poſſem dicere, niſi quæ hîc propono,ex ipſis Patrum noſtrorum, qui in Abaſſia degunt, omnia

omniáque perſpecta habent, agnouiſſem literis. Sed pergo ad alia. Scribit idem nouus auctor eſſe nunc apud Abaſſinos Confirmationis,& Extremæ vnctionis myſteria. An olim fuerint, ſtatuere nequeo. His temporibus non eſſe,ſine dubitatione aſſero; & fidem habeo Ludouico Azeuedio Societatis Ieſu ſacerdoti, viro prudenti,ac pio,qui ex Æthiopia, quam vineam, vt ſuprà dixi,cum aliis ſolicitè colit,anno 1607.vndecimo Calendas Auguſti ad Europæos Patres ſcribens disertè ait,ignota Abaſſinis eſſe prædicta ſacramenta. Quod ad Confeſſionem attinet, haud dubium, quin aliquis eius vſus apud Abaſſinos ſit. Nouus auctor ait,ſolere ipſos ſpecies,& numerum,& circumſtantias peccatorúmque aggrauantes dicuntur, perfectè atque integrè confiteri, ſicut apud catholicos ex Romanæ Eccleſiæ præſcripto fit. Prætereà eos, qui animi ſui rationem habent,diebus ſingulis, qui verò negligentiùs ſe gerunt, bis ſingulis hebdomadis ad hoc ſacramentum accedere:neminem inter ipſos reperiri, qualiſcumque is ſit, qui non ſtatim, ſi fortè alicuius lethalis ſceleris venenum hauſerit, ad hoc ſalutare medicamentum confugiat. Pœnitentē ait,antequam peccata prodat,hos ex Pſalmo ſexageſimo octauo dicere verſiculos, *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi; & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ. Defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.* His finitis illam ipſam ferè recitare confitendi formam, qua Romana vtitur Eccleſia. Item annis ſuperioribus ſolitum confitentem ſtare, & ſtanti ſacerdoti ad aurem peccata dicere: nunc ſacerdotem more iudicis ſedere; confi-

tétem ad illius pedes flexis inniti genibus. Haud fuisse cuiquam licitum vel apud illum confiteri,qui eius confeſſionem aliquando excepiſſet; vel quem ſemel habuit confeſſorem,pro ſuo arbitratu relinquere, & apud alium fateri:nunc tamen remiſſas eſſe iſtiuſmodi conſuetudines. Sic ille. Verùm aliter rem habere iam dictum ſuprà,& ex iiſdem conſtat Azeuedij literis,in quibus ſcriptum eſt, Abaſſinos neque ſpecies, neque numerum peccatorum in confeſſione exprimere,ſed tantùm generatim dicere,*Habeſſen*, *Habeſſen*,hoc eſt,peccaui,peccaui. Atque etiam hoc modò raro admodum confiteri, cùm & ſæpius ad communionem,& frequentiſſimè ad mortem,nulla præmiſſa confeſſione miſeri homines accedant. Idem patres alij,qui iamdiu in Abaſſia ſunt, epiſtolis ſuis teſtantur. Circa diuiniſſimum Euchariſtiæ myſterium non pauca legi à variis tradita. Aiunt bis tantùm in hebdomada,Sabbato nimirum, & Dominico die ſacrificium apud Abaſſinos fieri; in vnoquoque templo vnum dumtaxat;omnes verò tam qui ſacris ſunt initiati,quàm qui non ſunt,ſuis diſpoſitos locis,ſempérque ſtantes intereſſe;& cantantes ſub vtraque ſpecie Euchariſtiam ſumere. Nouus auctor ſcribit cùm ſolemniter fit,varias præmitti cæremonias, & ob eam cauſam multum temporis conſumi;cùm fit priuatim, breuiter abſolui. Res creditu facilis. Addit ieiunij diebus,hora poſt meridiem tertia fieri ſacrificium;reliquo tempore ante meridiem. Qui apud nos Abaſſini ſunt,& in his & in ſimilibus parum ſunt conſtantes,propterea eorum auctoritate haud libenter vtor. Dicam paulo pòſt,quid de hiſce rebus ſcripſerit Antonius. Adiicit tandem nouus auctor, etſi veſtes ſacrificantis erant olim à noſtris longè diuerſæ, nunc

illis

illis esse persimiles, eodémque apparatu, atque iisdem propè cæremoniis, intermixto etiam musicorum instrumentorum concentu, sacra celebrari. Ego inprimis dubito, num apud Abassinos verum fiat Missæ sacrificium, dubitationis causam paulo pòst subiiciã. Deinde ex Azeuedio suprà laudato, atque ex aliorum Patrum literis compertum habeo, etiamnunc apud ipsos longè aliter, quàm apud nos, rem diuinam peragi; alia esse sacrificantis vestimenta, dissimiles ritus, diuersas cæremonias. Ioannes de Sanctis Dominicanus ita scribit, Sacrum pallium (planetam dicimus) quo Abassini sacerdotes sacra faciunt, oblongæ subuculæ est persimile: stola foramen habet in medio, quo immissa capiti partim à pectore, partim à tergo pendet. Neque amictu, neque manipulo, neque cingulo vtuntur. Operta cucullis sunt capita monachorum, dum sacrificant. Sacerdotes in ara conficiunt sacramentum; non ostendunt hostiam populo, qui interest, cùm eam in sublime tollunt. Nullus potest sacro interesse, qui eo finito non sumat Eucharistiam. Ita Ioannes de sanctis rem per se expertus. Constat etiam diuinum de viatico præceptum nec illic obseruari, nec agnosci, quod Azeuedius & Patres alij non semel scripsere. Sed quæ de sacris & ieiuniis scripsit Antonius, ista sunt. Illi, inquit, solùm ingrediuntur templum, qui facienti ministrant; cæteri, neque ipsum sacerdotem vident. Calix & patena ex ære sunt, ex gossipio corporalia & purificatoria, parum omnia tanto mysterio consentanea. Si quam calix rimam agit, ne diffluat infusus liquor, cera obstruitur. Quinque minimum ministri adesse solent litanti; hi plerumque ob inopiam seminudi sunt, & characteres legere communiter nesciũt;

reſpondent memoriter,nec reſponſa intelligunt. Fermentato in ſacris pane vtuntur eodem confecto die. Ex vuis paſſis aqua infuſa ſuccum exprimunt, quod loco vini eſt. Periciores pàrum miſcent aquæ; alij communiter tantùm,vt expreſſus liquor à natura vini recedat. Sub vtraque ſpecie omnes Euchariſtiam ſumunt. Ex calice,cui ſimilis capaci pateræ figura eſt, cochleari hauritur ſanguis,& communicantibus porrigitur. In feſtis ſolemnioribus partim plaudunt manibus Dauidico moniti verſu, *Omnes gentes plaudite manibus*, partim ſiſtris & tympanis concrepant,more bacchantium; adeóque his tinnitibus delectantur, nulla vt ipſis videatur eſſe muſica ſuauior.De ieiuniis ſic Antonius.In Sanctorum peruigiliis nullum Eccleſiaſtica lege impoſitum ieiunium eſt. Quadrageſimalibus feriis,omnibúſque Mercurij & Veneris diebus toto anno ieiunant; præterquam eo tempore, quod inter Reſurrectionis Dominicæ Paſcha & Pentecoſten interiectum eſt:tunc enim & carne veſci, & ſæpius in die comedere,lex nulla prohibet. In Quadrageſima,donec occidat Sol,nihil prorſus deguſtant. Paulò ante occaſum rem diuinam faciunt ſacerdotes, non priùs quia credunt ipſo Euchariſtico cibo ac potu ieiunium frangi. Diebus Mercurij tunc putant licitum edere, cùm Sol occidens quinque efficit vmbrarum pedes; diebus Veneris, cùm efficit ſeptem. Hæc eorum ſunt eulogia. Non pauci vbi ſemel ſumpſere cibum,quamuis ſæpius eodem die edant, ſatiſfactum credunt ieiunij legi. Adeò ſuperſtitiosè ſua hęc ieiunia obſeruāt,vt nec decrepitos ſenes,nec iter pedibus per ſūmos æſtus conficiētes,nec morti proximos ſine ſummo ſcelere quidquam edere aut bibere poſſe credant,calicē ſcilicet excolātes,& camelū glutiētes.

Qualia

Qualia apud Abaßinos Ordinis, & Matrimonij sacramenta.

CAPVT XXXVI.

DE sacramēto ordinis multa scribit nouus auctor, quorum aliqua summatim proponam. Asserit esse apud Abassinos omnium ordinum, quos maiores, quósque minores dicimus, perfectam distinctionem, à sancto Matthæo expresse traditam; nec deesse primam tonsuram. Diu ab ipsis creditum, solùm Abunam habuisse potestatem ordinis conferendi; atque hoc vnum proprium illius fuisse munus, quod nemo alius posset vsurpare. Bis in anno solitos conferre; primùm quidem omnes simul, sacerdotio excepto; ipsum deinde per se sacerdotium. Nullam à prioribus suscipiendis exceptam fuisse ætatem. Non eos dumtaxat, qui ratione vti, & ingredi per se possent, verùmetiam ipsos infantes, omnium ignaros rerum, vlnis virorum delatos initiari consuesse. Quatuor minores patuisse omnibus, quocumque essent vitio deformati, lippis, strabis, cæcis, balbis, blæsis, mutis, surdis, flaccis, mancis, mutilis, claudis, & id genus reliquis. Hunc autem, inquit, in modum solebant conferri. Tendebatur patente in campo tabernaculum, templi instar. Intus Abuna sedens ex pontificali libro legebat paululum: qui erant initiandi, apto inter se ordine dispositi ad illum accedentes, capita ipsi submittebant, suasis capillorum portionem cuique incidebat. Hac peracta cæremonia, recedebant omnes, & Abuna libro resumpto paululum iterum legebat. Illi interim eodem reuertentes ordine, quasdam manibus tangebant claues;

ues;indéque ad templi oſtia conferentes ſeſe, ea & reſerabant,& claudebant.Mox linteis quibuſdam capita operientes redibant ad Abunam,& fictile tangebant vaſculum; cúmque pauliſper procedebant, ad eumdem reuertebantur; qui manus capiti cuiuſque priùs imponens, rem diuinam peragebat; atque ad extremum Euchariſtico pane omnes cibabat; quem cùm puelli demittere in ſtomachum aliter non poſſent, frequentibus aquæ hauſtibus deglutiebant. Ad hos ordines ſuſcipiendos ex vniuerſa Æthiopia pluſquam decem millia confluebant.Cùm miniſtrandum erat ſacerdotium, ſimile figebatur in campo tentoriũ. Conueniebant illuc initiandi, qui ad ſex aut ſeptem millia erant. Inter eos Abuna ſedens, graui primùm ſermone myſterij commendabat dignitatem; terribili deinde anathemate, qui aliquo eſſent publico ſcelere maculati, à ſacris arcebat. Poſthæc ad oſtium templi progrediens,parata inibi ſedebat ſella;tres ante ipſum pariter ſedentes, tres alij ſtantes, rerum ſacrarum libros manu tenebant. Qui erant ſacerdotio inaugurandi, tribus diſtincti ordinibus, longo agmine ſedebant humi; déque rebus ad eum gradum neceſſariis ſingulatim rogabantur.Qui probè eſſent inſtructi, ſigillo quodam ſignati medium in campum recedebãt; qui ſecus,repellebantur. Tunc Abuna tabernaculum ingrediebatur. Qui probati ſignatíque fuerant, vna ingreſſi porta alij poſt alios ordine procedentes, ad ipſum in ſella ſedentem accedebant; quibus vbi certa cum precatione imponebat manus,porta alia rurſum exibant.Poſthæc certo ex libro legebat quædam,quibus lectis,cruce,quam manu tenebat,ſalutare ſignum efficiens, bene omnibus precabatur. Tum Preſbyter vnus ad oſtium tabernaculi pergens,Euangelium ibi

bi

bi & epiſtolam decantabat; Abuna verò mira celeritate rem diuinam peragebat;tandémque cœleſti cibo inauguratos recreabat. Ita nouus auctor. Addit, ſublatum nunc quidquid hac in re minus rectè fiebat, nec iam ad hoc ſacramentum cæcos, claudos, & ſimiles admitti, tamdémque omnia ad Eccleſiæ Romanæ vſum ritúmque aptè eſſe compoſita; quæque ſunt hiſce de rebus apud nos pontificia auctoritate conſtituta, hac tempeſtate in Abaſſia perfectiſſimè ſeruari. Scribit deinde vnaquaque in ciuitate quatuor eſſe parochias, ſuum cuique templum, cum vicinis ædibus ad cœnobij formam conſtructis; in qualibet parochia ſub iiſdem ædibus, ſed diſtinctis domiciliis, tredecim viuere ſacerdotes cælibem vitam agentes, qui numquam fuerint matrimonio ligati; ex his vnum auctoritate & imperio reliquis duodecim præeſſe. Duo enim ſacerdotum eſſe genera, vnum eorum, qui ab omni ſemper coniugio abſtinent, de quibus proximè dictum, & ſtatim dicendum; alterum eorum, qui matrimonium contrahunt. Illos virgines, hos coniugatos appellari. Vt quis ad priorum, quorum ſumma eſt auctoritas, numerum adiungatur, multa requiri. Primum vt nobilitate generis commendetur. Deinde vt quinquageſimum confecerit ætatis annum. Tum vt egregium dederit virtutis ſpecimen. Demum vt ab omni mentis perturbatione, motúque animi effrænato ſit prorſus liber. Ad hæc quo eius probetur virtus, opus eſſe, vt in cœnobio, famulantis more, tres annos tranſigat; quo peracto tempore ſi videatur ſacerdotum albo adſcribendus, bono propinquorum amicorúmque ſtipatus cœtu ſacerdotum, ac parochianorum., à quibus eſt approbatus deferés ſuffragia, coram Epiſcopo ſe ſiſtit, eique literas tradit, quas defert probitatis ſuæ,

&

& rerum aliarum testes. Vbi constat, legitimè probatum; sacris initiatur ordinibus (à spirituali enim vrbis suę Abbate minores priùs acceperat) die Mercurij ad subdiaconatum, ad diaconatum die Veneris, ad presbyteratum Sabbato prouehitur. Prouectus confestim eodem cum comitatu reuertitur ad suos, cum quibus vnum lætè & hilarè mensem agit. Eo pertransito confert se ad parochiam; cuius sacerdotes de eius aduentu certiores, iisdem, quibus litare solent, amicti vestibus, obuiam exeunt venienti; eúmque ducunt ad Parochiæ præfectum. Sella is sublimi sedens socium excipit, & librum Euãgeliorum porrigit apertum, vt antequam sacrum illum in ordinem cooptetur ea præstet, quæ veteri ritu præstari solent. Ille ad genua accidens, libro imponit manum, & obediturum se Romanæ Ecclesiæ, atque antiquæ illius Antiochenæ sedis instituta seruaturum iureiurando promittit. Mox detracto pallio, vestes induit sacrificantis, quibus indutas solemni cum pompa ducitur ad sacrarium. Ibi reliqui sacerdotes ordine sedent. Ipse autem ante positam crucem curuans poplites, intimo ex corde ter illa repetit ex Psalmo verba, *Peccaui Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccaui tibi.* Quibus pronuntiatis surgũt omnes, tendúntque psallentes ad altare; ad quod nouus sacerdos subdiacono, diacono, & alio assistente sacerdote comitatus accedens, rem diuinam peragit. Vbi absoluit, paratæ sellæ insidet. Tum sacerdotes primùm, cæterùm dein vulgus manus ei deosculatum accedunt. Posthæc sacris vestibus exuitur, album dumtaxat retinens ex lino amictum (pontificium id ornamentum est) quo vt sacerdotes virgines vti possent, Gregorij XIII. Pontificis maximi beneficio est concessum. Hæc de

vigi

virginibus ſacerdotibus nouus auctor, & plura alia, quæ non memoro. De ſecundo genere ſic ait. Coniugati ſacerdotes initium habuere à Ioanne illo, cui Sācto fuit cognomen. Hic Imperator cùm virginum ſacerdotum auctoritatem, quam ſcite nimia aliorũm familiaritate imminui, conſeruatam percuperet; quo illi profano conſortio ſublato, honorem ſuum poſſent illęſum tueri; concepit animo genus aliud ſacerdotum notæ inferiores, qui & matrimonium contraherent, & virginum ſacerdotum eſſent veluti famuli, & in rebus ad ſecularia pertinentibus operam ſuis parochiis nauarent. Rem ad quoddam detulit Concilium, quod per id tēpus Antiochię celebrabatur. Probata à Patribus eſt, quibus placuit talis vt ordo inſtitueretur. Hæ tamen adhibitę conditiones. Primò vt admitti nō poſſit ad hunc gradum, niſi qui vnam dumtaxat, eámque non viduam vxorem habeat. Secundò vt antequam ſacris initietur, coniugio copuletur, & coniugalis caſtitatis (vt appellant) votum emittat. Tertiò vt defuncta vxore ad ſecundum matrimoniũ tranſire nequeat. Inſtitutus ergo nouus ſacerdotum ordo, & vnicuique Imperij ciuitati duo & triginta aſſignati, ſedecim ex ciuibus, totidem ex plebe. Octoni dati ſingulis parochiis, ciues quatuor, totidem plebei. Priores intra domeſticos parietes neceſſaria curant: poſterioribus ea commendantur, quæ ad victum, & cultum, quæque foris agenda. Vtrique ad vxores exeunt, quas priuatis habent in ædibus, cùm ſunt ab aliis negotiis liberi. Sacrum facturi ſex vel ſeptem ante dies à maritali cōſortio quoddam ad ſacellum recipiunt ſe; ibi multis precationibus ac meditationibus exercent animum. Si quis ex his adulterium commiſiſſe ab Epiſcopo deprehenditur, grauiſſimas luit pœnas. Ordinis enim
vſu,

vsu,ac munere,& Ecclesiasticis beneficiis, ac cæteris priuilegiis spoliatur; habitu exuitur clericali; nequit manu gestare crucem,vt Abassinis sacerdotibus mos est:templi ingressu prohibetur: seculari subiicitur potestati:denique ad laicorum ordinem ita redigitur, vt spes nulla sit ad pristinum statum, à quo adulterij culpa cecidit, amplius redeundi. Hæc de coniugatis sacerdotibus auctor ille. Addit insuper Gregorium XIII.missis in Æthiopiam apostolicis literis statuisse,vt sacerdotes virgines abrasa, aut detonsa orbiculatim superiori capitis parte, quadrato vterentur pileo,demissa ad talos tunica,albo desuper indusio, oblongo pallio, habitu denique eodem, atque eodem vestitus genere, quo Romani vti sacerdotes consueuere.Cauisse quoque,ne coniugati aut vestitu incederent virginibus simili, aut vmquā ad vllam siue Episcopi, siue canonici dignitatem assumi possent; sed eumdem simplicis sacerdotij gradum perpetuò retinerent.Quanta in his sint à vero dissita,nemo non videt. Quod ait Episcopos nunc conferre ordines, & in iis conferendis Romanas cæremonias seruari, falsum esse ex dictis constat. Cùm præter Abunam Episcopi apud Abassinos nulli sint; neque ipsi veteres Alexandrinæ Ecclesiæ ritus cum Romanis vmquam commutarint. Adeò verò hac in parte à Romano vsu,ritúque abhorrent, vt Ouiedus Patriarcha quamdiu in Æthiopia vixit,valde semper,& magna de causa dubitarit, esséntne Abassini sacerdotes ritè ac legitimè initiati,quòd eæ sacrandi formæ, quibus Abuna vtitur,adeò essent incertæ,vt corruptę viderentur.Ob hanc causam in iis,quæ sunt ordinum propria, & verum in ministro exigunt characterem, numquam inducere in animum potuit,vt eorum vteretur opera,ne

fortè

fortè irrita fierent sacramenta. Vnde etiam factum, vt cum Teclamaria, cuius suprà mentionem feci (erat hic ex ordine sancti Antonij monachus & apud suos sacerdos) ad tractanda quædam Christianæ religionis negotia anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo tertio, ex Æthiopia Romam venisset, in domestico sacello illustrissimi Cardinalis sanctæ Seuerinæ, ab Episcopo Sydoniæ more Romano, omnibus iterum ordinibus fuerit initiatus, eo quòd summus Pontifex, cui Patriarchæ dubitatio exposita fuerat, re priùs cum Cardinalibus & viris doctissimis consultata, ita faciendum iudicauit. Testes sunt præter alios, duo ex Societate Iesu integerrimæ viri fidei, qui nunc Lusitaniam incolunt, tunc Romæ degebant, Ioannes Aluarus, & Sebastianus Rodericus. Prior Generali præposito pro Lusitanicis prouinciis assistebat. Posterior eidem Generali pro iisdem prouinciis erat à secretis. Thomas à Iesu, quem suprà laudaui, rem eamdem illo, quo dixi, loco, legendam exhibet. Commentitia quoque est illa de Virginibus, & coniugatis sacerdotibus distinctio, vt constat ex literis nostrorum, qui in Abassia sunt. Præterea, qui apud nos Abassini viuunt, discrimen tale non agnoscunt. Quid hac de re scripserit Antonius Fernandius, paulo pòst referam. Quare tota illa, ac tam appositè ficta coniugatorum, ac Virginum sacerdotum per parochias distributio, & quæ ex his pendent, inania planè sunt, sicut & reliqua nuper à me commemorata. Matrimonium restat. Non referam modum, quo nouus ille auctor scribit, hoc sacramentum apud Abassinos celebrari; vt enim parum est modestus, ita probabile à veritate abhorrere. De reliquis sic ait. Incusant aliqui Æthiopes, quòd plures simul ducant vxores. Res est & falsitatis

& calumniæ plena. Nulla enim gens ſeueriùs punit adulteria;neque ipſis regibus parcitur. Si princeps in pellicatu eſſe cognoſcatur,actutum graui ab Eccleſia ligatur anathemate;nec prius ſoluitur,quàm vere reſipiſcat. Vnum ab antiquis temporibus ignorantia magis,quàm pertinacia habuerunt errorem. Is talis fuit,vt alteruter coniugum repudiato eo, quem haberet,liberè,ſi luberet,ad alterum tranſiret. Solis id coniugatis ſacerdotibus vetitum. Adeò error inualuerat,vt matrimonia paſſim diſſoluerentur;quòd ne facile fieret in contrahendis connubiis pœna illi apponebatur, qui primus coniugem repudiaret. Creditur error à Græcis & Armeniis habuiſſe originem, & contagione quadam, vt fit, ad ipſos deflexiſſe. Non ideo tamen cum hæreticis numerandi, cùm defecerit pertinacia,ſine qua hæreſis non eſt.Ipſi ſe erraſſe, ingenuè fatentur;nec eos tantùm peruerſæ conſuetudinis pænitet,ſed etiam pudet;& cumprimum à Romana Eccleſia moniti ſunt , dicto citius eam deſeruere; nec iam vlla ferè , ne minima quidem , extat rei memoria. Hæc nouus auctor. Locis aliis ſcribit , quod iam tetigi, morem eſſe apud Abaſſinos peruetuſtum, vt regum filij ab Imperatore , nobiles à ſuis regibus, ciues à nobilibus , plebei à ciuibus poteſtatem obtineant matrimonij contrahendi ; aliter vetitum ipſis contrahere.Cæterùm ex his,quæ retuli,nihil ferè non falſum eſt. Conſtat pro ſuo quemque arbitrio,abſque vlla ſiue Imperatoris,ſiue alterius cuiuſquam facultate coniugia inire ; & ſingulos etiamnunc quot lubet, vxores ducere,eáſque vel leuibus de cauſis repudiare. Teſtes ſunt Societatis religioſi in iis,quas ad nos miſere,literis,vt ſæpe à me traditum eſt.Verùm quæ de ſacerdotibus ſcribit Antonius , iſta ſunt. Qui ſacris

ſunt

ſunt initiati ordinibus, vxores habent. Siquis primam amittit, ſuſpenſionis pœna vetatur accipere ſecundam, propter bigamiam. Cæterùm quoniam ſumma eſt in omnibus vitæ licentia, neque vllo ſupplicij deterrentur metu, alia ſe in loca conferunt, ibíque ordinum officia non ſecus exercent, quàm ſi nulla eſſent lege prohibiti. Ex eadem oritur viuendi libertate, vt multi Laici ſacerdotium ſimulantes in locis, vbi cogniti non ſunt, ſacrorum ordinum fungantur miniſteriis. Monachos à clericis cucullus, hos à cætero populo diſtinguit crux, quam quiſque ex ligno vel metallica materia manu portat. Qui volunt ſacris initiari, multos ante per dies ad Abunæ domum ſe cōferunt, vbi ſtantes ad oſtium voce contenta & lugubri identidem clamant, *Domine miſerere noſtri.* Vbi id ſæpius fecerunt, admittuntur ad ordines, quibus ſuſceptis vnam ſinguli ſalis petram reddunt conferenti: ea laboris pretium eſt, & in his locis pecunia. Hæc Antotonius, ex quibus apertiſſimè conſtat, abeſſe à vero quæ nouus auctor ſcripſit. Sed de his hactenus. Nunc ad Patriarchas.

Libri primi finis.



DE IOANNE NONIO BARRETO PATRIARCHA

LIBER SECVNDVS.

Vbi & quibus parentibus natus Ioannes, quomodo à pueritia institutus.

CAPVT I.

DIXI, quæ de Abassinorum rebus dicere in præsentia habui. Duos nũc eorum Patriarchas, Ioannem & Andream, duo clarissima orbis decora, vna, vt aiunt, manu ex abditis obliuionis recessibus foras promam, & veluti è tenebris erutos ponam in propatulo. Quos enim idem vitæ institutum, eadem dignitatis ratio, summa morum similitudo, singularis quædam in iucundissima non exigui temporis consuetudine animorum voluntatúmque consensio, plurimæque aliæ studiorum simul & officiorum necessitudines arctè in terris deuinxere; quósque insuper gloriosa facinora, & merita, quantum mortali coniectare fas est, apud Deum

Deum pæne paria, pérque eosdem rerum turbines & varietates quæsita inseruerunt cœlo; eos historia disiungere, atque vno quasi ex corpore discerpere, piaculum duco. Iungam igitur vtrumque; & de illo dicam priùs, qui & auctoritate muneris, & felici ad superos abitione antecessit. Hic est Ioannes Nonius Barretus, patria Lusitanus, domo Portuensis. Est autem Portus vrbs apprimè nobilis, ad veteris Lusitaniæ terminos, Septẽtrionem versùs, sensim accliui ac peramœno constituta loco. Durio imminet, quà hic amnis non modico auctus numero fluminum minorum, ingentem aquarum copiam à Pelendonibus per Areuacos & Vacceos, pérque alios complures Hispaniæ populos, longo terrarum tractu collectam, patente non procul ostio in Oceanum infert. Dulci fruitur cœli solíque temperie: institoribus & populo frequẽs; ciuiúmque elegantia & comitate inter Lusitaniæ primas. Ea quoque ratione non incelebris, quòd nascenti regno nomen fecerit. Ab hac vrbe Portugaliam dici, indubitatum est. Constat etiam, sic eamdem aliquando vocatam; siue quòd iactatos olim tempestate Gallos, aut deductas eorum in Lusitaniam colonias tuto portu exceperit; siue ob quædam talia sparsa in vulgus, quæ fictis magis speciosa fabulis, quàm verè traduntur: siue quia, sicut periti narrant, & propius vero est, ad communem portus appellationem vicini pagi, qui Cale dictus, vocabulum sibi addidit, causa discriminis; primúmque portus Cale, immutatis dein paululum literis Portugaliam euasit. Hoc tamen ipsa nomen surgenti quondam regno, cuius tunc erat caput, fertur libens reliquisse, sola Portus nuncupatione contenta. In hac igitur vrbe (nonnihil momenti habet, quo quis loco primam accipiat lucis vsuram) na-

talis dies & incunabula Ioannis fuere. Parentes habuit locupletes,& familiæ nobilitate per Lusitaniam claros. Primam pueritiæ ætatem quo pacto domi egerit,non accepi. Honestissimis vt opinor imbutum moribus facile mihi suadent parentum inprimis pietas hisce adhuc temporibus grata recordatione apud Portuenses commendata; ipsius deinde Nonij adolescentia inter inquietos ac turbidos Salmanticensis Academiæ tumultus tam pura à labe, tam grauiter piéque instituta,vt cum summa omnium,quibus erat notus, beneuolentia & admiratione sanctus vulgo prædicaretur. Illud tandem me valde mouet, quòd cùm octo essent germani fratres,quatuor mares,totidem fœminæ,vno excepto,cui conseruandæ familiæ relicta cura,cæteri,quòd parētum industria,vt promptum est credere,egregiè essent educati, & ad pietatem exculti, Deo vocanti dociles aures præbuere, eiúsque afflatu incertis caducæ vitæ rebus remittentes nuntium,religiosis cœtibus se aggregarunt. Tales esse fructus solent,quos à bene culta pueritia colligit posterior ætas;nec nisi rarò fit, vt insignes ad virtutem accessus derepente contingant. Ipsos tres mares vna complexa est Societas Iesu;iisque,vt splendidissimis ornata gemmis,natiuitatis suæ primordia mirificè decorauit.

Melchior Nonius Barretus in Societatem à Deo præmittitur, vt Ioanni fratri viam aperiat.

CAPVT II.

PRior ad Societatem venit Melchior Nonius Barretus,anno à partu Virginis 1543.vt locum Ioanni

ni pararet. Coluerat Melchior ab ineunte ætate in Conimbricensi Academia studia literarum;nec minori fructu,quàm labore eò iam peruenerat, vt præter externa Doctoratus ornaméta,nihil ipsi in eo genere superesset. Cùm verò supremus hic literarum gradus tum propter diuturnas grauésque molestias,quas ferre illos oportet,qui in ea Academia ad ipsum aspirãt; siquidem multos primùm annos impendunt studio, & repetito sæpius scientiæ periculo durè asperéque probantur;tum quia necessum est non modicum fieri sumptum,quem non cuiusque facultas ferre potest; tum propter alias causas partim communes omnibus,partim cuique peculiares,nec facile,nec à multis obtineatur,ideoque magno apud Lusitanos in pretio & existimatione sit:Melchior diuino iam actus impulsu,& ad sublimiora intendens animum, cœpit hosce apud se honores despicere,ac subinde statuit Doctoratus laurea supersedere. Ergo in collegium Societatis,cuius ad institutum per insignia sociorum exempla, pérque intimas animi motiones à Deo vocabatur,confert sese,&cum Simone Roderico vno ex primis Ignatij Loiolæ sociis,penes quem prouinciæ administratio tunc erat,negotium seriò pertractat.Tantum Simon virum non libenter modò & hilarè excipit; sed facilè ostendit, velle se quamprimum voti ipsum compotem efficere. Rogat tamen,vt ante ingressum vel inuitus patiatur, ad illud efferri se spretum iam,&prius fastiditum,quàm obtentum Doctoratus fastigium,cui erat proximus: id enim è Societatis re esse. Paret dicto Melchior; atque vt Conimbricæ fit,tanta celebritate,tantóque apparatu, quanto nullibi exhiberi solet in re simili maior, non iam sua,sed Societatis causa in illum conspicuum Docto-

rum ordinem cooptatur. His peractis eodem ipso die,grauissimo septus Academicorum comitatu redit ad collegium. Dúmque ibi paululum subsistit, ecce tibi simul vt leues deprimantur fumi, siqui ex collato honore in hominis caput ascenderant; simul vt eius constantia & suscepti consilij firmitas tentetur, ex obedientiæ præscripto decernitur, vt exutus pallio, vilíque ac detrito amictus indumento, mediam per vrbem,sublatum humeris veruecem dono ferat Marco Romęo,Theologico professori,literis & fama valde commẽdato,cuius,opinor,patrocinio,in ipso Doctoratus actu,vt fieri mos est,fuerat vsus. Tam duro Melchior imperio nihil absterritus, promptè obtemperat. Animal dorso imponit; eo oneratus baiuli in morem domo egreditur;spectante ac stupente populo pergit ad Romæi, ipsíque importatum munus offert. Marcus ad hanc nouæ rei formam attonito similis, demittere præ verecundia oculos; irrisum se potius,quàm munere affectum credere;ne verbum quidem mutire; tantum apud se,quænam ista sit inusitati spectaculi species, cogitabundus quærere. Tum Melchior turbatæ menti & rei nouitate confusæ hisce verbis pacem, lucémque restituit. Qui nobilioribus,inquit,in Academiis mos est,clarissime Doctor, vt Theologici Doctoratus laurea decorandi amarulentis primùm vexentur scommatis, & veris quasi conuitiis proscindantur,vt quanto magis alieno à fastu & ambitione animo, tanto ad eum honorem digniùs accedant; eumdem ista, cui me modò addixi, Societas vsurpat,vt ad alium euehat gradum dignitatis longè sublimiorem; ad eósque præparet honores, qui vbi vera ac solida animi submissio, suíque contemptio non est,esse ipsi non possunt. Optimè nosti,

vir

vir ſapientiſſime, quàm ſit ab iſtis veſtris gymnaſiis ſchola Chriſti diſſimilis, quas in ea diſci literas, quos ambiri gradus oporteat. Nec te etiam latet, quod in maiorum ſcriptis ſæpe legiſti, illud ante omnia conſtitutum eſſe debere religioſo homini, vt cùm ſe ſemel Deo dediderit, nihil ſibi prorſus retineat ſui; ſed ab eorum nutu totus pendeat, quos diuinæ ſibi elegerit nuntios & interpretes voluntatis. Hæc eſt illa (ita morum magiſtri vocant) Abnegatio ſui, quam religioſæ vitæ, quamdiu vita ſupereſt, ducem ſimul & comitem eſſe, neceſſe eſt. Ab hac igitur iſtum curſum, quem nunc auctore Numine, decurrere incipio, mea me Societas inchoare iubet. Quare ſiquid actum ſecus, ac placitum tibi, ignoſcas, vir prudentiſſime, & boni conſulas. Non enim tua hîc tentata eſt auctoritas, ſed animi mei explorata conſtantia, & ſtudium excitatum. Mirum quantam ex hoc vno facinore Marcus de Melchiore opinionem concepit; quãtámque iam tunc in ſpem venit, fore vt ex eius laboribus & rebus geſtis, vbicumque terrarum viueret, ingens poſtea incrementum atque eximios fructus Res Chriſtiana eſſet perceptura. Nec euentus fefellit. Primùm enim in Luſitania, deinde in India, in Iaponia, in aliis orbis regionibus per ſummas rerum difficultates, & innumera vitæ pericula, longè maiorem, quàm vt breuiter dici queat, Chriſti Reipublicæ operam nauauit. Sed hæc de Melchiore, Ioannis gratia, ſatis mihi ſit, breuiter attigiſſe: cætera, quæ geſſit, ſcriptores alij copioſiùs perſequuntur.

P 5 Alfon

Alfonsus Barretus fratrum motus exemplo Societatem amplectitur, & egregiis facinoribus tyrocinium illustrat.

Capvt III.

Alter fuit Ioannis frater Alfonsus Barretus, cæteris natu minor, cuius, & in Ioannis gratiam, oportet breuiter meminisse; eo quòd eius excitatus exemplo eamdem sit amplexus viuendi rationem. Quintumdecimum is agebat ætatis annum,& viduæ matris, cui erat in deliciis, solitudinem atque orbitatem domi solabatur. Cùm fratrum Ioannis & Melchioris,quos ambos iam Societas habebat, sæpe ipsi in mẽtem veniret, eorúmque percuperet vestigia insequi; cogitare cœpit apud se,quî fieri posset,vt quos ipsi natura fratres dederat, eosdem sibi redderet viuendi ratione socios, doctrina magistros, religione parentes. Certò sciebat,haud vmquam futurum, vt mater, cæteroquin pia & diuina reuerens mulier, quantiscumque esset fatigata precibus,facultatem sibi concederet ad fratres eundi,vt idem,quod illi, sequeretur institutum. Nouerat enim tenerrimi illius affectus,quo,veluti vnicus vitæ oculus, ab ea diligebatur, vim esse intractabilem & flecti nesciam. Nec sperabat,ea negotij conscia, quàmquam omnino inuita ac repugnante,satisfacere votis suis se posse. Ratus ergo opportunum esse in fuga remedium, fugere demũm statuit. Nulli mortalium animum suum aperit. Parat ipse per se clanculum,quæ ad iter necessaria. Rebus tandem compositis domo & vrbe exiens,

quan

quanta poteſt celeritate Conimbricam contendit. Eò vbi peruentum, collegium adit Societatis; aduentus cauſam & deſiderium ſuũ moderatori exponit. Haud opus fuit, tam compertam, tantóque teſtatam facinore cogniti adoleſcentis voluntatem diutius explorare. Mora nulla, Societate donatur, & albo tyronum adſcribitur. Vix eſt, vt bene accenſa diuini amoris flamma, in receſſu pectoris delitens, inibi contineri queat, quin foras erumpat, & occaſione captata inſigne aliquid atque excelſum moliatur. Paucos admodum egerat Alfonſus cum ſodalibus dies, cùm illa eorum conſpicatus opera, quæ quiſque ſubmittendo ſeſe ac deſpiciendo (vt tunc feruentia erant nouę familiæ initia) admiratione fortè magis, quàm æmulatione digna patrabat. Simili & ipſe ſpiritus ardore corripitur, miráque animi ſimplicitate rem aggreditur memorandam. Conſuetas deponit veſtes; aſſumit lugubres, & aptas dolori; detrahit de pedibus calceos; ad Conimbricenſe forum eo habitu procedit. Inibi primùm, vt alicuius atrociſſimi reum criminis, ad marmoream pilam, publicum ſupplicij inſtrumentum, alligari ſe facit; ſummo dein ardore animi, nec impari vultus ac totius corporis commotione, & voce, quantum vires ac latera patiuntur, contenta hunc in modum precatur. Domine Ieſu Chriſte, veri & æterni Dei vere & æterne fili, qui ob infanda humani generis flagitia in atrio Præſidis Pilati corpus tuum ſanctiſſimum columnæ alligari paſſus eſt, huius, obſecro, populi benignus miſerere, ab eóque auerte ſupplicia, quæ pro innumeris ſceleribus, quibus ſe polluit, tuámque læſit maieſtatem, iuſtiſſimè meretur. Intuere miſeros, Pater clementiſſime, non vt punias, ſed vt parcas. Hæc eadem iterum & ſæpius eadem contentione repetita ingeu

ingentem vndique consciuere turbam ad horribile spectaculum trepidè confluentem. Varia hìc, vt solet, de Alfonso vulgi iudicia. Iactitare quidam, exisse illum de mente & furere: alij suspicari puerum minimè malum ab aliquo deceptum, & turbandi populi illuc impulsum: plerique spiritu sublimiori correptum credere, vt quanto simpliciùs, tanto fructuosiùs ex publico loco in publica vrbis scelera detonaret: in alias alij sententias & dicta diuisi. Nullus tamen erat ex tanta turba, qui non suspiceret præclaram adolescentis indolem liberali oris probitate expressam, quíque perfusos ingenuo pudore, animíque neque maligni, neque fallacis indices oculos non miraretur. Cæterùm ille hoc submissionis & pietatis officio probè perfunctus, foro relicto domum repetit. Non multo pòst mittitur Olisiponē, vt vastissima in vrbe, in qua nec facile agnosci, nec obseruari facile possit, quamdam pæne immensam abiiciendi sese, & alios iuuandi, quam breui contraxerat, sitim, veluti in patentissimo flumine restinguat. Præter alia, quæ illic edidit admiranda, duo reperio, quæ nō debeo præterire. Ex variis Lusitaniæ partibus, illis præsertim extremis, quibus Galleciæ regno contermina est, frequenter exeūt copiosi infimæ sortis hominum greges; quos rei familiaris apud suos tenuitas patriis eiicit sedibus, suáque industria victum quærere, & aliquod pecuniæ subsidium, quod domum referant, apud alienos parare cogit. Paucis hoc ex numero per alia loca dissipatis, longè pars maxima Olisiponem confluit, vrbem populo & negotiis plenissimam. Varia in his ætatis conditio, viri, iuuenes, adolescentes, pueri. Idem omnibus onera portandi munus. Qui natu grandes, & pollentes viribus, grauiora baiulant;

quibus

quibus nondum firma per ætatem membra, leuioribus succumbunt. Maximæ plerumque his in communi victu & vestitu sordes; summa in moribus cultúque barbaries; nulla tunc virtutis, nulla salutis cura, sed rerum cœlestium, eorúmque, quæ ad vitam futuram pertinent, ignorantia tanta, quanta potest maxima cogitari. Instituuntur hodie, vt res ferunt, accuratè, summo quidem catechistarum labore ob tarditatem gentis, sed non modico emolumento. Vbi Alfonsus Olisiponem veniens istum tam incultum tantísque obrutum vitiorum sentibus conspexit agrum, eò statim adiecit animum, vt quidquid facto opus esset, id Deo duce & adiutore faceret, quo illum acciperet excolendum. Ab Deo immortali inchoat, à quo quæ non ducuntur rerum primordia, fausta esse nequeunt. Fusus in preces anxiè orat, vt si eam sibi mentem dedit, quam habet miseræ illius gentis iuuandæ, si tanti sibi consilij auctor est, rei gerendæ quoque modum aperiat, & postulata sua ne repellantur, Præpositi sui flectat volũtatem. Se quidem neque agere quidquam, nec tentare velle, nisi quod ipsi credat esse gratissimum. Ab hac precatione ingens illicò & sine nube ac nebula adolescentis animo affulsit lux; ostensúmque monstrante Deo, qualem sequi deberet in negotio modum. Agnoscit igitur, si non dubios cupiat laboris sui fructus colligere, opus sibi esse, toto corporis habitu, atque ipso externo viuendi genere sic ad eos gerulos sese efformare, vt ex suo grege vnum esse hauddubie credant. Quare vestibus aliis depositis, necessum esse tunicam sibi induere, qualem ipsi induunt, sordidam, breuem, vix ad genua pertinentem, ex crassissima lana inscitè textam, & malè consutam; rusticum pileum, aut rudem petasum vsúque tritum imponere

ponere capiti; duros pedibus circũdare perones; adiiciendam quoque humeris ſportulam, quam ferè ex hoc ordine, qui natu minores ſunt, geſtare ſemper ſolent. Non ſatis quoque ſemel quotidie, aut bis in die ad eos itare; oportere cum illis eſſe, inter illos viuere, in menſa, in colloquiis, in labore, in quiete, in rebus cæteris ſe illis ſodalem præbere. Hæc ſua ad ſuperiorem defert Alfonſus cogitata; ſummíſque inſuper cõtendit precibus, vti illo, quo dictum eſt, modo aliquot ſibi dies apud eam hominum fæcem agere permittat. Mirum dictu, quod homini annoſo, diúque in religione & virtutum palæſtra exercito difficile cõmitti poſſet; id recentiſſimo tyroni, víxque altero die ab ephebis egreſſo tã facile cõceditur, vt qui in hoc facto præpotentẽ Numinis manum non videat, cæcus ſanè ſit. Flexit hauddubie ſupremus ille Rector, cui parent omnia, moderatoris animũ, vt noui militis annueret poſtulatis, quo potiſſimum duæ illæ eximiæ eius animi gemmæ, Deſpicientia ſui, & aduersùs omne genus hominum Caritas tam ſingulari exemplo proderentur. Alia tamen ex parte adeò ſe illuſtrem fecerat Alfonſi virtus, tantíſque erat domi ac foris in operibus perſpecta, ſuo vt quodammodo iure vendicaret, vt in hoc genere nihil tam arduum, ac tam difficile haberetur, quod ipſi nequiret tutiſſimè commendari. Impetrata igitur eundi facultate, auolat Alfonſus à Præpoſiti ſui cõnſpectu lætus & alacer, illáque ſibi infimæ vilitatis & inopiæ parat indumẽta, quibus paulo pòſt ſpecioſior, quàm ſi pictis acu, & intertextis auro veſtibus eſſet ornatus, Præpoſito iterum ſe ſiſtit, & ab illo etiam atque etiam diſcedens petit, ſuis vt precibus & cœleſte ſibi lumen, quo diuinam agnoſcat voluntatem, & vires, quibus ab ea cognita nihilum diſcedat,
&

& faustos suscepto negotio exitus obtineat. Se quidem ad eam prouinciam proficisci libentius ac lætius, quàm soleant proreges, cùm ad Indicam ex Lusitania proficiscuntur. Vade Alfonse, quò vocaris, cœlo duce & auspice, inquit Præpositus. Ad tuos illos, quos tantopere diligis, confer te gerulos. Numen, quod vocat, semper tibi, ne dubita, præsens erit, ac propitium. Eosdem ego tibi, Christi inprimis, meis deinde verbis maximopere commendo. Discant ex te, alium esse victum, quem diligentiùs quærere, alia lucra, quæ debeant facere auidiùs. Te docente ac præeunte ingrediantur viam salutis; oderint vitia; sectentur virtutes. Esto omnibus solatio & exemplo. Vbi opus erit, ex doctrina Pauli, argue, obsecra, increpa; inflamma ad iustitiam, ad castitatem, ad omne genus pietatis. Caue nequid pretermittas, quod ad eorum cultum videatur conferre. Ne tamen simus ignari eorum, quæ per te Deus aget, quóque sis loco, quíve habeas; simul etiã vt isti tuæ procurationi, cùm videbitur, statuamus finem; curabis ad nos identidem ventitare, & rerum facere certiores. His dictis discedit Alfonsus, & ad publicum vrbis forum, vbi greges illi communiter vagantur, extemplo se confert. Curat primùm eorum se cœtibus & colloquiis miscere, vnúmque præbere ipsorum de numero. Deinde publicè omnium, & priuatim singulorum inire familiaritatem, & amicitiam captare. Tum quęsita opportunitate inserere de rebus salutaribus sermones; Christianam catechesim exponere; vitiorum fœditatem ostendere; virtutum vires & pretium extollere; frequentem sacramentorum vsum commendare; præpotentis Dei aduersùs impios iram, aduersùs probos benignitatem efferre. Ad hæc insignia heroum facta, miserósque diuinas leges præuarican

ricantium exitus recenſere: ſiquid bene ab vllo fieret, collaudare;ſicut ſecus reprehendere. His artibus tantam ſibi apud illos auctoritatem breui conciliauit, vt, eorum voluntates quocumque vellet, nullo negotio perduceret. Vim excellentem barbara quoque ingenia ſentiunt.Facile ſuis ſe factis apud rudes illos ſtipites Alfonſi ſanctimonia probauit,animóſque agreſtes inuaſit,ac tenuit.Suum ergo cuncti mirantur ſocium, ſuſpiciunt, amant, ſiue doceat, ſiue reprehendat, auſcultant libenter:reputant portento ſimile in tali vitæ conditione ac tam parua ætate tantam eſſe morum probitatem,talem ſcientiam diuinorum Quęrunt denique inter ſe, quis & cuias ſit,atque ad illas ſordes vnde delapſus. Ille interim rebus aptè compoſitis, euocante præpoſito domum remeat. Atque hoc vnũ eſt ex duobus,quę non duxi prætereunda.En alterum, quod ſequitur.Dum gerulum Alfonſus agit inter gerulos,ſæpiúſque ad eumdem vrbis vicum onera forte importat,agnoſcit ſacerdotem inibi eſſe vita ſolutum & moribus,fœdáque turpitudinis infamia laborãtem. Huic mederi cupiens,poſtquam reuerſus domum eſt, rem defert ad præpoſitum, ſuámque illi iuuandi hominis voluntatem & conſilium aperit. Ait peroptare ſe aliquot dies in illius ſacerdotis eſſe famulatu, vt domeſticæ teſtis nequitiæ,fidentiùs eũ monere queat, & à turpi conſuetudine,iuuante Deo,amouere. Facta facultate, eodem habitu domo egreditur; hominem conuenit; ei ſe famulum offert. Is adoleſcentuli ſpecie & ſimplicitate captus oblatum ſeruitium confeſtim admittit, eo libentiùs, quòd nihil ſibi ab illo per ætatem timendum putat. Vbi Alfonſus tum miniſtrandi diligentia, tum animi modeſtia & comitate ſuo ſe hero carum fecit,cœpit illum paulatim officij admone-
re:

re:dein monita irridentem aſperiùs obiurgare:tum de infelici ac periculoſo impiorum ſtatu ardentiùs diſſerere: poſtremò vltima illa, in quibus ad auertendos à ſcelere animos vis magna eſt, Mortem, Iudicium, Æternos cruciatus in memoriam idemtidem reuocare. Hæc miſer ſacerdos partim riſu illudere, partim per contemptum deſpicere, partim per iracundiam declinare; verba inſuper addere probroſa & contumeliarum plena. Abi, inquit, in malam crucem, furcifer, hominum nequiſſime. Tu mihi monitorem agis? Vnde iſta tibi concionandi poteſtas? Quin ego tibi os iſtud audax & arrogans pugnis contundo? Vade, tui ſimiles quære, quibus viam monſtres. Cohortationes mihi tuæ nulli omnino rei. Vrget Alfonſus nihilo ſecius, nihil remittit; iacula potiùs contorquet acutiora. Moneo, inquit, prædico, denuntio, & immortales cœlites, hominéſque mortales teſtor, recta te in interitum ferri ſempiternum. Contine greſſum, miſer Chriſtiane, miſerrime ſacerdos. Veniat tibi tantiſper in mentem tui, & aliquam animo concipe cogitationem recipiendi te ad frugem meliorem. His ille auditis tanto repętè corripitur furore, vt vix à cæde manus abſtineat. Fidelem ſeruum domo eiicit, omnia ſæua minitans, ſi audeat vmquam coram ſe cōparere. Recedit ab eo re infecta ſubtriſtis adoleſcēs, ad ſingulos gradus eamdē, quam priùs, tundens incudem, donec eſt ad publicam egreſſus viam. Dum ſuos repetit, ad conſortem flagitij fœminam ex itinere diuertit, vt nihil relinquat intentatum. Non hic eamdem, quam in miſero ſacerdote, reperit mentis duritiem. Præbet aures mulier, & fidem habet adhortanti: móxque ex recordatione ſceleris in lacrymas effuſa veniam à Deo ſubmiſſè precatur. Exinde vitæ prioris acta diligenter diſcuti-

ens, quæcumque flagitia ad id vſque tempus ſe ſuſcepiſſe reperit, ad confeſſionem defert ſalutari ſacramento abluenda; quibus demum elutis pulcherrimus cœleſtis gratiæ nitor renouato animo reſtituitur. Hic huius facti exitus. Fuit in Alfonſo pars vitæ poſterior priori par. Tres in ipſo obſeruatæ potiſſimum virtutes, quæ reliquis antiſtarēt, excellens animi modeſtia, ſingularis in Deum & homines caritas, ad omne ſanctimoniæ opûs alacritas eximia. Poſtquam & Oliſipone docuit literas humaniores, & rectorem egit Eboræ, & alia Societatis munia tum in his, tum in aliis locis magna cum laude & fructu exercuit, in ipſo tandem Oliſiponenſi collegio, in quo pæne cœperat Societatis iure viuere, corporis ergaſtulo liberatus ad ſuperos conceſſit.

Ioannes impoſito ſtudiis fine religioſæ vitæ deſiderio pulſatur.

CAPVT IV.

PRimos ætatis annos, vt à nobis tactum ſuprà partim domi inter ſuos, partim in ſtudio minorum literarum cum æqualibus egit Ioannes. Grandior effectus à Gaſpare Nonio Barreto, fratre natu maiore, cui relictam diximus conſeruandæ familiæ curam, Freirenſis Abbas eligitur. Abbatia ſub nomine Deiparæ Virginis, Freirenſis à loco dictæ, in ea eſt Interamnenſi regione, quæ Minio Darióque fluuiis concluditur. Patronatus, vt vocant, ius ad Gaſparem pertinebat. Non multo pôſt Ioannes, quia nondum maioribus ſtudiis impoſuerat finem, ad ea inſequenda

Salman

Salmanticam petiit. Qualem ibi vitam vixerit,non habeo necesse longo verborum ambitu describere: inde cuique satis erit notum, quod inter duo multo maxima malorum incitamenta, iuuentutis, inquam, ardorem,& opum abundantiam,atque in tanta, quãta in hisce Academiis esse solet, vitæ morúmque licentia,sic ille Scholasticum egit,& Ecclesiasticum,vt sicuti iam antè memini,non alio, quàm Abatis sancti nomine & agnosceretur vulgo, & appellaretur. Frequentissimis in locis,in quibus vitia ex æquo virtutésque versantur,latere solent mediocria.Quæ verò in hominum oculos animósque incurrunt,quęque vel amorem sui,vel odium excitant in multitudine,ea porrò summa esse necesse est. Hinc promptum conijcere,quid iure de Ioãne censendum,cùm in tanta ac tam varia vndique confluentium iuuenum frequentia tam præclarum & illustre sanctitatis nomen sibi pararit,ipsúmque vulgus,non satis æquum virtutum ac meritorum arbitrum,excellenti tamen rectè factorum specie deuinctum in maximam sui existimationem pertraxerit. Finitis studiis literarum ad suam se Ecclesiam recepit, vt commissum sibi gregem ipse per se exemplo, doctrina, sacrorum administratione pasceret. Id autem ita præstitit, vt per totum illum tractum, qui erat Abbatiæ vicinus, sancti Abbatis nomen ac famam,sicuti Salmantiçæ euenerat, breui compararit. Sic erat propenso in res diuinas animo, vt iis perscrutandis non solùm sex quotidie totas atque integras horas priuatim impenderet; sed reliquo etiam diei tempore assiduam earum memoriam agẽdis negotiis intermisceret; ne vmquam ab Dei præsentia,quantum homini fas, mente exularet. Immaculatam VirginemMariam ex intimo sensu diligebat;

&c absque dubio creditur eius ope singularia sæpe à Deo accepisse dona, multáque nouisse ad animi salutem cumprimis conducentia. Ardentissimo item Euãgelicæ assequendæ perfectionis agitabatur æstu. Atque illa potissimum cogitatio eius animum dies noctésque versabat, num fortè gratum Deo faceret, si patria, propinquis, rebúsque cæteris relictis, notas atque ignotas regiones peragrando, vt olim Apostoli, dispersis per orbem gentibus Christi nomen lucémque inferret. Non posse quidem Rectori maximo perfectè subdi se, quamdiu terrenas opes possideret, suóque viueret arbitrio, id quodammodo persuasum habebat. Dubitabat deinde, an satis sibi esset, turbas hominum declinare, illæsum ab omni turpitudinis labe corpus animúmque seruare, & in rerum cœlestiũ contemplationem enixè incumbere; nisi illud etiam adderet, vt Christi causa suam alteri voluntatem regendam committeret, & ab eius nutu ita penderet totus, vt ne minima quidem in re sui esset iuris, vt vile prorsus mancipium, aut quolibet etiam vilissimo mancipio conditione inferior. Altera tamen ex parte, cùm in animum induceret, pacatam illam dulcémque mentis tranquillitatem, quæ ex assidua Dei contemplatione existit, eamdémque rursum fouet ac tuetur, vix cum ipsa obediẽdi ratione, aut ne vix quidem posse cohærere, siquidem qui alieno subest imperio, eum sua sæpe emolumenta postponere, & suauem animi pacem obedientiæ causa interturbare, necesse est; vir egregius, qui & ob insignem in Deum caritatem obedientiæ vinculis adstringi cuperet, & ab illa iucundissima animi quiete nullo pacto vellet dimoueri, ancipiti contentione distractus vehementer fluctuabat.

Melchior vt Ioannem ad Societatem pertrahat, illum conuenit, irrito successu.

CAPVT V.

PEr id tempus Melchior Nonius, qui, vt dictum est, priùs Societati nomen dederat, sua sorte non modò contentus, sed etiam lætus, Abbatem Ioannem in ea sibi sociare ardenter cupiebat. Multis ab illo distabat passuum millibus, nec aliter, quàm per literas agere cum ipso poterat. At cùm rectè sciret, frigidas esse epistolarum voces, nec aptas satis ad mouendum; adire ipse per se hominem, & coràm alloqui decreuit. Suum ergo cum Rectore communicat votum & consilium; vtroque approbato sic inter eos conuenit, vt Melchior ad S. Iacobi Compostellani peregrinationem suscipiat, atque ex itinere ad Abbatem diuertens rem cum ipso commodè & maturè pertractet. Ita fit. Conimbrica proficiscitur; intra paucos dies Interamnensem ingressus prouinciam, fratris domum adit; & ab eo peramanter atque officiosè excipitur. Post pauca deinde ad salutandi rationem attinentia, afferre se negotium ait, quod cupiat statim & pluribus proponere, nisi ipsi molestus sit. Imò, inquit Ioannes, audiam te libétissimè; nec tu mihi fastidium, sed voluptatem dicendo paries. Agè rem tuam dic, quàm multis voles. Tum sic exorsus Melchior. Quid agis, inquit, mi Ioannes? Quo progressu ad animi perfectionem tendis? Scio te pietatis studio teneri; nec segniter in ea incumbere, quæ ab animo sunt, vt quod optimum factu sit, non sequaris tantùm, sed etiam assequaris. Agè tamen, nullásne tibi hoc tuum pa-

ſtorale munus exhibet moleſtias? Nihílne impedit virtutis curſum? Creditu mihi difficile. Quietos enim animos & pacis amantes nulla res acerbiùs agitat. Non ignoras, multos eſſe miserè beatos, quibus ſuaue eſt hiſce curis abſumi; & vereor, vt tu ipſe vnus ſis de numero; libénſque attollas pondus planè ponderoſum. Nolim te iſta captum eſſe felicitate. Nō equidem aut munus damno, aut vitæ genus. Abſit. Rectum vtrumque eſt, cùm rectè fit; & fieri Chriſtianæ Reipublicę eſt perneceſſarium. Sed aliud eſt, quod eſſe cuique poteſt, & ad vitæ tranquillitatem aptius, & ad ſalutem animi ſecuriùs. Quid per ambages dictum eo, quod volo apertè intelligatur? Planè dico. Tu mihi natura germanus frater es; vitæ quoque inſtituto vt ſis, ardenter cupio. Longè optabilior iſta propinquitas, & quæ nos tanto conſtringet arctiùs, quanto eſt diuinior. Niſi ego te mihi hoc etiam vinculo copulare & impensè optem, & ſtudiosè curem; vel miſer ſanè ſim, qui quod poſſideo bonum non agnoſcam, neque æſtimem; vel in amicitiam infideliter peccem, qui non dem operam, vt amicus habeat, quod illi reor bonum. At ego & animum tuum, mi frater, tantum diligo, quantum maximè poſſum (ipſis enim mihi oculis multo eſt carior) & vitæ meæ rationem tanto habeo in pretio, vt ex caducis rebus nihil æſtimem pretioſius. Quid igitur velim aliud, niſi vt mutes genus viuendi, & commutes in melius, mecúmque, quem ſequor, ſequaris tramitem ad æternitatem tutiorem, forſitan & breuiorem? Neque enim, niſi valde fallor, terrent te illa religioſæ arcis prima & firmiſſima propugnacula, Paupertas, Caſtitas, Obedientia, quæ ipſa iis, qui ſapiunt, ad hoc genus vitæ illicita ſolent eſſe magis, quàm terricula. Et vero illa

 bonæ

bonę mentis soror, capútque virtutum omnium (sicut Sapientes vocant) voluntaria Paupertas quantum abest, vt ab huius viæ ingressu absterrere te debeat? Quid obsecro? Credis ne eum, qui Christi causa suis se bonis spoliat, ea vel amittere, vel imminuere? Imò conseruat, auget, amplificat. Pauca commutat multis, parua magnis, terrena cœlestibus, perituris æterna; nec iacturam facit diuitiarum, sed cupiditatem. Felix damnum ac fructuosum, quo tanto quis euadit locupletior, quanto se magis habendi exuit voluntate. In mentis enim inopia, non in tenuitate rei possessæ vera paupertas est, vt ex Magno Gregorio didicisti. Et is censeri diues debet, non qui multa possidet, sed qui nec indiget, nec appetit possidere. Atenim illa altera libidinum dominatrix, expultríxque vitiorum, & vt cum maioribus nostris loquar, fœcunda virtutum parens, pudoris vinculum, morum ornamentum, pacis conciliatrix, quæ vitam agit in terris cœlestem, æmula mentium beatarum, quàm te allicit ad sese? Non quidem, vt nunc primùm ipsam amplectaris, cui pridem dedisti manus, & cum sacris simul solemni sacramento te addixisti. Sed optat reponi in loco tutiori, quæ nunc in publico est, exposita prædonibus latere thesaurus debet, ne periclitetur. Inter epulas difficile est esurire, vel ad ignem frigere. Maior esse inter turbas tumultus solet, & frequentior ac sænior exoritur in alto mari tempestas. Eò igitur transfer castimoniæ tuæ thesaurum, vbi meliùs delitescens, certiùs custoditur. Iam verò quid ego tibi verbis multis illam inculcem, quæ Augustino & Gregorio testibus, omnium est mater, custósque virtutum? Obedientiam dico, cuius ea vis est, vt nihil in Religione sit vel ad aggrediendos animi hostes fortius, vel ad expugnan-

dos potentius. An ne putas quidquam esse homini posse obedientia vtilius, quæ ita certa dux vitæ est, nulla vt in re sinat errare, quem dirigit bona fide sequentem? Quid tandem illa alia Religiosi status emolumenta? Multorum inter se vnicè amantium sincerus amor; idémque & concors dissimilium voluntatum, atque in omni re consentiens, vt ita dicam, consensus; cùm ad mala fugienda, tum ad consectanda bona & à rectoribus remedia, & à sapientibus consilia, & ab omni sociorum cœtu precũ subsidia; vera animi pax & tranquillitas; tumultus ac molestiæ, curarúmque inutilium recessus & solitudo; frequentissima piorum operum cum magno gaudio & fructu exercitatio. Quorsum percurro singula, quæ experiendo magis, quàm dicendo cognoscuntur? Agè, mi frater, da operam, vt ea ipse quamprimum experiare. Animosè abrumpe, si qua te ligant, vincula; & me ad meos redeuntem bis frater & socius comitare. Hæc vbi dicta, siluit Melchior, & Abbatem intuitus responsum silentio postulabat. Tunc sic exorsus Ioannes. Quanta me voluptate tua oratione perfuderis, tu ipse, Melchior, meo in ore atque in auribus agnoscere potuisti. Benignum enim, attentum, facilem expertus es auditorem. Quæ autem de religiosæ vitæ ratione coràm disputasti, ea ego ita sublimia atque excellentia esse apud me reputo, vt ieiunè à te, & frigidè (dabis mihi hanc veniam) disputata esse existimem. Cúmque multa exprompseris, quæ ipsa per se magna & auditu dignissima sunt; omisisti tamen plurima, forsitan nihilo minora, quæ ego audissem abs te pari attentione & voluptate. Itaque de religioso statu vt mirificè sentias; tamen vt præ me sentias sublimiùs, numquam tibi dabo. Nec puto quidquam in eo esse,

quod

quod delicato etiam homini nimis formidandum sit. Quidquid enim difficultatis habet, id quidem, sin minus natura, auxilio certè diuino, quod cuique semper præstò adest, non difficile superatur. Sed aliud me tenet, & planè reuocat ab hac viuendi ratione, quæ magna ex parte in obedientiæ vi, hoc est, in solicito quodam ac pleno curarum ministerio posita est. Vt verò hanc vestram Societatem ingenio meo minus aptam putem, illa efficit negotiosa quidem ac permolesta, quam sibi tamquam propriam assumit, iuuandi alios procuratio. Nam & qui obedientiæ legibus subiacent, sic ad omnia, quæ erunt præcepta, debent esse prompti atque expediti, vt vix ab opere discernatur imperium; & qui in aliorum salute procuranda exercent sese, eos oportet oblitos sui in alienam excubare vtilitatem, multúmque laboris atque industriæ adhibere, ne quid prætermittant, quod sui muneris esse iudicarint. At quantum vtrumque quietis animis & contemplationis otio delinitis perpessu durum est? Quantum etiam mihi ac meis moribus dissentaneũ? Quî enim possim ego sine maxima animi mei molestia iucundissimam quietem abrumpere, méque iis, quos ex diuinis rebus meditandis percipio, honestissimæ voluptatis fructibus priuare? Hoc me tenet, Melchior, hoc sic stringit, vt aliud vitæ genus non modò optare mihi, sed neque etiam animo meo consentaneum possim cogitare. Næ tu, Ioannes, interpellat Melchior, duplici, vt video, in errore es; dum & illum viuendi modum, qui in sola rerum diuinarum contemplatione versatur, cùm obedientiæ legibus pugnare credis; & eumdem ipsum sic effers, vt nihil ei in hoc genere non tantùm superius, sed ne par quidem aut æquale esse apertè significes. Quid si

ego facile oſtendó, vtrumque à vero abeſſe, & te fateri cogo errorem tuum? Non agam multis, neque enim opus. Numquid inficiari mihi poteris, multos olim fuiſſe, & eſſe modò tum in vrbibus, tum in deſertis locis religioſorum hominum cœtus obedientiæ vinculis adſtrictos, quibus ea vna cura ſit, vt viuant ſibi, & ab omni alio ſoluti negotio res diuinas & humanas perſcrutentur? Religioſum nullum ſine obedientia viuere certum tibi. Quis verò ignorat, plurimos eſſe, quibus id potiſſimum eſt, vt in penuariam illam Magni regis cellam tripartitò diuiſam introducti, in prima externam hanc mundanæ machinæ faciem, ornatum ordinem, pulchritudinem, varietatem inſpiciant; conuerſi ad ſeſe in altera, nihil relinquant ſui, quod animo & cogitatione non penetrent, & omnino cognitum atque exploratum habeant; in tertia demum, quæ diuina ſunt, & longè à ſenſibus remota meditentur? Hæc illa vita eſt, quam probas, & beatiſſimam prædicas, eo in religioſo homine ſecurior, quo magis abeſt à lapſu, fulgentiſſima obedientiæ face illuſtrata. Potéſtne vlli virtuti virtus illa aduerſari, quæ cæteras animo inſerit, & cuſtodit inſertas? Sed quid do lucem rei perſpicuæ? Accede ad partem alteram, quam tibi quoque breuiter expedio. Si tu mihi, mi Abbas, cum ſola actione contemplationem componis, lis nulla inter nos. Huic poſteriori dandas eſſe primas, ſanctorum Patrum nullus non aſſerit, & Doctorum Doctor nos Chriſtus docet, Mariæ partem præferens ſolicitudini Marthæ. Quis aliter dicat aut ſentiat? Non ego quidem, neque vllus, qui ſana ſit mente. Memineris tamen, neminem ſibi ſoli, aut ſuis tantùm commodis natum eſſe. Hanc omnibus præſcriptam eſſe à natura legem, vt quoad

fas

fas & facultas erit, alienas etiam curent, & tueantur vtilitates. Quid enim si vel calceos sibi dumtaxat sutor, aut sartor vestes conficeret; vel sibi soli terram proscinderet, & sementem faceret; & fruges fructúsque colligeret agricola; nec vllus hominum esset, qui quidquam aliis, sed tantùm sibi labore suo præstaret? Vllâne esset inter homines societas, quæ sine mutuis officiis non conseruatur, nec constat? Cæterùm cùm ista sine Actione esse non possint, quis non videt, quã sit naturæ legibus conueniens illa vitæ ratio, qua res quisque suas sic amat, vt non negligat alienas? Quòd si in iis quoque bonis, quæ mortali vita terminantur, homines iuuare quidpiam excellens ac prope diuinum est; in eam curam incumbere, quæ ad animum refertur, & æterna respicit, quàm erit excellentius ac diuinius? Sentis, vt opinor, Ioannes, quamquam optimum est id genus vitæ, quod in contemplandis diuinis est positum; hoc etiam aliud, quod actionibus cõtinetur, & per se præstans esse, & cum ratione, cúmque ipsa hominis natura maximè congruere. Quid verò hinc efficitur, nisi vt necesse sit, fateare, eam viuendi rationem, quæ est ex vtraque mixta, lõgo interuallo illi esse præferendam, quæ vel in sola actione, vel in sola contemplatione consistit? Hanc & summus rectè viuendi Magister Christus; hanc, quæ fuit totius probitatis norma, Christi mater; hanc illi, quos idem Christus Religionis mysteria per se docuit, & ad docendas gentes per orbem misit, Apostoli tenuere. Hanc & nostra Societas, omnium, quæ Iesum sequuntur ducem, Societatum minima, diuino beneficio cõplectitur. Prima cuiusque nostrûm cura à nobis est; tum aliorum vtilitati quà monitis, quà doctrina, quà sacrorum procuratione, quà modis aliis nos

addici

addicimus. Idque inprimis ex inſtituti noſtri præſcripto conari diligenter debemus, ab Deo eiúſque præſentia ne vmquam animo recedamus; cùm planè compertum ſit, niſi ad Chriſti pedes Maria ſedeat, vitæ verba aure corde percipiens, poſſe quidem Martham ſatagere, nihil tamen ad ſuam aliorúmque ſalutem vtiliter agere. Itaque imitandæ nobis ſunt alites illæ, quæ vel hyeme vel æſtate appetente, dum ex locis quibuſdam ſe transferunt ad alia, mariáque immenſa tranando defatigantur, vt vires tantiſper reficiant, ex alto ad vndas deſcendũt; aláque vna, vt nauigio, ſubter corpus ſubſtrata, alteram erigunt in ſublime, veli inſtar; atque ita pelago feruntur, ventis impulſæ. Haud aliter à Deo, rebúſque cœleſtibus mẽtem abſtrahere, ne tum quidem nobis conceſſum, cùm ad actiones, tamquam ad tumultuoſi maris vndas deſcendimus: altera enim animi parte hiſce inferioribus curis occupata, erigi altera debet, vt concepta è cœlo diuini fauoris aura, remis, vt ita loquar, veliſque ſimul inſtitutum curſum feliciter dirigamus. Ex quo clarè perſpicis, contemplandi munus iſtud, quod te tantopere ac tanto iure delectat, quam non omittamus protſus, vt forſitan opinabare, ſed neque etiam inter agendum intermittamus. Hæc & alia in eamdem ſententiam Melchior. Verumtamen Abbas, vt eſt propoſiti tenax obfirmata conſuetudine opinio, ratus præter eam, quam fruebatur, animi quietem, nihil contingere ſibi poſſe ingenio ſuo congruens, ſi alium iniret viuendi modum, motus quidem aliquantulum fratris oratione eſt, ſed non permotus.

Ioan

Ioannes litantem Fabrum per quietem videt, & à Deipara monitus Conimbricam petit.

CAPVT VI.

RE infecta Conimbricam Melchior à peregrinatione rediit. Cúmque eadem pertrahendi ad se fratrem cogitatione nihilominus pungeretur, vrgere propositũ suum alia ratione cœpit. Post dies aliquot, opportunitate oblata, literas ad Ioannem dat. Hæc rei summa: Petere se ab eo, pro ea, quæ inter ipsos est, amoris coniunctione, & iterum atque iterum precari; vt curis aliis paulisper depositis, Conimbricense Collegium inuisat, quo aliquanto temporis interuallo sociorum fruatur cõsuetudine, vtilésque cum iis habeat de rebus animi sermones; ac Petrum Fabrum, cuius aduentus propediem expectatur, videat, & agnoscat, virum insigni vitæ sanctimonia clarissimum, rerúmque diuinarum apprimè intelligentem, cum quo possit omnes vitæ ac propositi sui rationes summò cum fructu communicare. His literis lectis excitatę rursum in ægro animo curæ; nec mediocriter concussum pectus, eóque inclinatum, vt ancipitem illam de commutanda viuendi ratione animi sui pugnam maiori solicitudine & contentione repeteret. Iterum igitur hinc & illinc agitari anxiùs homo; multa in vtramque partem secum voluere; Fabri illius, de quo in epistola legerat, conspectum & colloquium ardenter exoptare. Dum sic æstuat, & assidua obsecratione intelligere conatur, quid facere debeat acceptius Deo, sibíque ad salutem vtilius; nocte quadam sacerdotem videt solemni ritu litantem, cui ipse Diaconus assistit. Vbi eò

ven

ventum, cùm pax de more datur; Ioannes, cuius id in illo adumbrato sacrificio munus est, ad dextram facientis accedit, & inde, vt fit, illud, quo dari pax solet, porrigit instrumentum. Sacerdos renuens accipere, modica capitis inclinatione porrigenti innuit, vt ad læuam vertat se, & inde porrigat. Negat Ioannes ex ea aræ parte id officium præstari; pergit porrigere ab dextra. Iubet iterum sacerdos, vt ad sinistram se vertat, & inde porrigat. Miratur Abbas, nec intelligit, quonam modo iubeatur à præscripto Ecclesiæ ritu præter morem recedere. Dum hæret dubius, magnóque pressus stupore, somno soluitur: statúmque illustrante montem Deo in ducit in animum, videri illis visis significatum, non à sola contemplatione, sed ab actione simul petendam sibi esse eam pacem, qua frui desiderat; foréque & gratum Deo, & ad salutem animi sibi vtile, si partem vtramque, dexteram nimirum contemplationis, & actionis sinistram simul complectatur. Vt ergo hac de re fiat certior, ad æternum Numen supplex recurrit, à quo profusis lacrymis, quantum potest, demissè precatur, suam vt sibi hac in re aperiat voluntatem. Id verò vt obtinere faciliùs queat, Deiparam Virginem, cuius imprimis nitatur ope, certo sacrificiorum numero statuto, sibi conciliandam putat. Altero igitur à Calendis Nouembris die, dum sacrum facit, suúmque sanctissimæ Virgini negotium exponit, & eius se curæ ac patrocinio committit, enixè petens, vt quæ ad rem tantam rectè perspiciendam, & aptè tractandam necessaria è cœlo lux est, eá sibi clementissima Mater à Filio impetret. Ecce ipsa mundi Regina, specie pulcherrima, atque immortali circumfusa splendore, qualis & quanta videri cœlitibus solet, & litāti seruo se spectandā præbet, eiúsque
ani

animum incredibili iucunditate perfundit. Aderat cū beatiſſima Dei matre Petrus Faber, ille ipſe, cui paulo antè ſacrificanti idem Ioannes per quietem miniſtrarat; quem ſtatim, vt vidit, ex facie agnouit. Tum Virgo ſeruum ſuum benignè intuens, Animos, inquit, ſume Ioannes, & iam angorem iſtum, qui te nimis angit, procul pelle. Conimbricam actutum confer te: Societatis collegium adi; hunc Fabrum, quem præſentem cernis, inibi expecta: eius conſilia, cohortationes, præcepta, doctrinam ſequere. Nec plura, è conſpectu Ioannis cum ſuo ſe Fabro Deipara eripuit. Ille tanta Virginis gratia maiorem in modum erectus, omnia difficultatū vincula, nodóſque diſſoluens, poſtero ſtatim die, peregrinantis habitu aſſumpto iter ſuſcipit; quo paucis diebus confecto, collegium ingreditur Conimbricenſe.

Ioannem Faber priùs instructum ac probatum in Societatem cooptat.

CAPVT VII.

NOndum Conimbricæ erat Faber, cùm eò Ioannes peruenit: ſed plures adhuc dies ſuum remoratus aduentum videndi ac fruendi ſui deſiderium expectantibus augebat. Ioanni inprimis, cui cùm antea non aliter, quàm in ſomnis, & in illo cum Deipara viſo fuiſſet conſpectus, adeò expreſſam ſui in eius oculis animóque imaginem reliquit, vt cumprimum Ioannes ipſe collegium tetigit, Melchiori fratri hominis figurā, magnitudinem, oríſque ac totius corporis lineamenta probè deſcripſerit. Quadraginta tandem poſt dies

dies Conimbricense collegium ingressus Faber est; quem vt Abbas vidit, illicò agnouit, & ad Melchiorem versus. Hic, inquit, Faber ille est, cui litanti per quietem ministraui, quíque mihi facienti cum suprema Matre conspectus. Haud multum moratus, secretò hominem conuenit, & cum summa animi dum submissione tum alacritate ad eius pedes accidens, totum se illi ac penitus patefacit. Quid deinde de cõmutando vitæ statu cogitet, & qua in obscuritate rerum atque ambiguitate sit, sincerè declarat. Illum Faber singulari quadam beneuolentiæ significatione habitum, bono animo esse iubet, & ad obtemperandum vocanti Deo hac oratione adhortatur. Nolim, vir egregie, sic ista contemplationis tuę dulcedine rapi te sinas, nihil vt opineris, præstare te posse aliud, quod sit vel Deo gratius, vel tibi ad animi quietem congruentius. Rem introspice, deprehendes forsitan callidissimi hostis latere dolos. In hac enim quietis opinione tibi parat insidias; eáque veluti firmissima compede tenere te vult; vti dum in magna rerum abundantia, omni obedientiæ solutus fræno, liberrimè viuis, tuóque arbitrio tibi res accommodas, in liberiorem deinde viuendi licentiam, quod sæpe fit, paulatim delabaris; atque illam ipsam, quæ nunc tantopere te delectat, contemplationis quietem, à nullo coercitus, tandẽ deseras, vitæ laxioris blanditiis delinitus. Quin etiam illud te oportet considerare, in eo viuendi modo, quem hactenus tenuisti, haud posse tibi deinceps illam esse animi tranquillitatem, quæ hucusque forte fuit; cùm iam constet, aliò te ab æterno Numine vocari, & latissimum quemdam de ipso, déque multis mortalibus benemerendi tibi campum aperiri. Illud tene vitæ genus, quod Christus, quod eius Apostoli

tenue

tenuere: nec tibi tantùm, ſed aliis etiam tuam ſedulus impertire induſtriam. Generoſæ mentis eſt iuuare, & prodeſſe. Abiice, quem times, de amittenda animi pace timorem. Quod pro Deo bellum ſuſcipitur, pax & tranquillitas eſt: & eo mens pacatiùs agit intus, quo Chriſti cauſa foris agit turbulentiùs. His Fabri dictis valde commotus Abbas, ad eius igitur prouoluitur pedes, ſéque vt ad ſocios adſcribat, & rectam doceat perfectè viuendi rationem, ſolicitè contendit. Ad hæc rurſum Faber, beneperitus iſtiuſmodi rerum artifex, non vt hominis retardet propoſitum, ſed vt firmet cõſtantiùs. Ne temere, inquit, videare, Ioannes, & mentis magis leuitate, quàm conſilio ferri, maturè perpende, quo impulſu moueare, totúmque te ac vires tuas accuratiùs examina. Hic autem aptus eſſe poterit iſtius tuæ mentis periclitandæ modus. Nocte media è lecto ſurgito, coram Deo te ſupplicem ſiſtito, eius per preces exploraturus voluntatem. Tum toto ex animo te ipſi totum deuoueto, eiúſque implorato auxilium; eóque roboratus malum dæmonem in certamen prouocato, atque ea cum illo agito conditione, vt ſi quas habet aduersùs hunc vitæ modum, quem vis inire, difficultates; ſi quas poſtea tentationum machinas ad deiiciendum te eſt admoturus; ſi quos dolos, ſi quas fallacias, ſi quas inſidias & fraudes ad capiendum te eſt ſtructurus; totum id, quantumcumque malorum ipſi in promptu erit, illicò expromat, & ad concepti propoſiti oppugnationem adhibeat. Ab hac dein pugna, vbi lux prima noctem abiget, ſacrum adito altare, oblato ibi immaculato ſacrificio, Numen tibi redde propitium, ipsúmque demiſsè & enixè ora & obſecra, vt quod in hac cauſa ſibi erit gratiſſimum, id vt perſpicias, cœleſte tibi lumẽ, vt perficias, firmas

vires robúrque suppeditet. Rem Ioannes, vt à Fabro tradita, diligenter exequitur. Ad noctem mediam excusso somno procumbit in genua; cumprimum aliquantulum agit, & vires ad pugnam opémque implorat; his deinde verbis animose cacodæmonem lacessit. Huc ades, hostis hominum sæuissime, omnium architecte & machinator malorum. Audi quod decerno, quódque animo meo firmissimè fixum est. Ab hoc puncto temporis rebus caducis remitto nūtium. Quidquid aut honorificum ad pompam, aut ambitiosum ad superbiam, aut spectabile ad elegantiam, aut iucundum ad voluptatem, siue vmquam habui, siue nunc habeo, siue habere aliquando possem, aspernor, respuo, repudio: méque & mea æterno Deo æternùm consecro: ac sub vexillo crucis per labores & dolores, per egestatem rerum, per probra & opprobria, pérque cætera omnia perpessu aspera, auditu horribilia, Christum Iesum ducem in eius Societate mihi sequendum eligo. Tibi, immanissima & cruentissima bestia, iísque omnibus, qui à te sunt, perpetuū indico bellum. Huc igitur ades, tenta, inuade, vrge. Tuis hîc artibus vtere; solitas molire insidias; quidquid sapis, quidquid vales ad propositi mei oppugnationem profer. Non te fugio; non trepido; expecto impauidus; vltro prouoco ad certamen. Arma, quibus me defendam, téque aggrediar, non mihi alia, quàm vnicum clementissimi & inuictissimi Imperatoris mei Christi Iesu auxilium. His in fœdissimum hostem iactatis, pergit Ioannes agere cum Deo, & apud ipsum rationes expendere vitæ sibi deinceps ineundæ. Cúmque meditationi insisteret, tam fœda repentè tentationum procella in hominem irruit, vt facile appareret, superbissimum cacodæmona, veluti

iniuria irritatum, omnes vires neruósque industriæ suæ voluisse ad vltionem intendere. Conuolant vndique cruenta diuersi generis tela in cor precantis magno impetu contorta. Mille cateruatim, hinc bonorum, inde malorum inter se dissentientes atque ex aduerso pugnantes erumpunt cogitationes. Ex parte vna illa inprimis se offert, qua tantopere delectatur, mentis quies, rerum cōtemplatione quæsita: eæ deinde, quas possidet, quibúsque sine vllius offensione ad iuuandos pauperes atque ad alia pietatis officia vtitur, facultates; tum quædam non dubia honores opésque licitè augendi spes; & complura generis eiusdem, quę ipso Societatis ingressu euanescere necesse sit. Ex parte altera innumeræ propemodum obiiciuntur noui status difficultates, quas non vno aut altero tantùm anno, sed toto vitæ tempore, quamlongum illud erit, velit nolit, subire debeat. Isthæc omnia adeò viuis animatísque figurata imaginibus sollicito animo obuersantur, vt iam se vndique sexcentis circumseptum miseriis, sine nomine, sine libertate, sine vlla spe fortunæ melioris, vilem, obiectum, omnium ioco & ludibrio expositum sibi videre videatur. Inter hæc altè quoque se in animum insinuat quædam importunè sagax futurorum prouidentia, molesto timore de perseuerantia solicita, quæ grande secum conuehens curarum agmen, nobile pectus, plusquam credi potest, acerbè exagitat. Producta prope ad auroram pugna, in qua pugnanda cùm malus dæmon exhaustis iam viribus nihil proficeret, non minima dedecoris aspersus nota, militum Christi, laborioso quidem fatigatum prælio, liberum tamen victorémque relinquens, turpiter campo cessit. Ioannes ergo victo fugatóque potentissimo hoste, cùm iam dies albesceret, ex Fabri

præſcripto ad aram contulit ſe facturus ſacrum. Quo in ſacro cùm Chriſti corpus manibus teneret, noua rurſum ſpiritus luce perfuſus, adeò firmiter apud ſe ſtatuit, Societatis Ieſu ſigna ſequi, vt vaferrimi hoſtis confuſa deterritáque impudentia firmati pectoris cóſtantiam neque apertè, neque ex inſidiis adoriri amplius vmquam auſa ſit. Quamobrem his peractis anno à partu Virginis milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, ſociorum albo adſcribitur, piíſque ſpiritualium rerum cómentationibus confeſtim exercetur. Tum verò Paupertatis quoque, Caſtitatis, & Obedientiæ votis coram Fabro ſponte nuncupatis, extrema culinæ officia tam demiſsè, promptè, hilaréque amplexus eſt, vt Faber idem doctus morum & religioſæ diſciplinæ cenſor abſolutè affirmaret, numquam ſe virtutem vidiſſe ſub proprio arbitrio in ſeculo natam & adultam, quæ ſub alieno imperio ad nouitia Religionis opera tam facile flecteretur.

E' Luſitania in Africam mittitur Ioannes, & Septæ rem Chriſtianam egregiè promouet.

Capvt VIII.

AD excolendum ſeſe religioſis virtutibus, atque ad alios tum domeſticos, tum externos exemplo & opere iuuandos intentus erat Ioannis animus; cùm nec opinanti materies oblata eſt fructus vberioris. Præerat Septæ, celebri Mauritaniæ vrbi, pro Marchione villæ regalis Alfonſus Norogna eius germanus frater, vir valde pius. Is cùm ſciret Chriſtianos à

Sarace

Saracenis bello captos, ínque vicinis Maurorum oppidis degentes, grauiſſimis animi & corporis miſeriis afflictari; caritate motus, binas in Luſitaniam literas dedit, ad Regem vnas, ad Simoně Rodericum Societatis in eo regno moderatorem alteras. In vtriſque de infelici captiuorum ſtatu permulta. Hæc potiſſimum ad regem: Miſeros illos homines non tantùm miris modis à Mahumetanis, efferata gente, vexari, & acerbiſſima quæque pati; ſed omni quoque fidei doctrina eſſe deſtitutos; atque ob eam cauſam viuere exleges; adeoque impiæ gentis cőſuetudine à Chriſtianis moribus ad nefaria ſcelera deſciſcere, vt præter vnum nomen, vix aliud habeant, quo ad Chriſti gregem pertinere cognoſcantur. Maximè ad ipſius Regis clemẽtiam & pietatem ſpectare, aliquos vt eò mittat è Societate religioſos, quorum opera & induſtria nutantes firmentur, ſuſtineantur labentes, erigantur lapſi, & quæ ad vitam ac libertatem erunt neceſſaria, omnibus ſuppeditentur. Ad Simonem paria, & eadem ipſe per ſe Regi ſuggerat, cúmque ad ferendam miſeris opem pro ſua virili permoneat. Illud inſuper, precari ſe vehementer, vt Regi aliquot è Societate homines ad hoc opus efflagitanti, ne qua excuſatione durus obſiſtat: nihil enim magis eſſe è re Chriſtiana, aut in quo cum maiori Dei honore & Societatis exiſtimatione deſudare queat Patrum induſtria. Rex & Alfonſi literis, & Simonis denuntiatione factus de re certior, laudata inprimis Præfecti pietate ac ſolicitudine, nő volens tantùm, ſed etiam libens in eamdem venit ſententiã. Móxque à Simone petit, vt aliquos è Societate deſtinet ad miſſionem idoneos, ſuis deinde miniſtris præcipit, vt quæ ad rem totam aptiſſimè peragendam opus eſſe cenſebuntur, abundè ſuppeditent, caueánt-

que,ne vlla in re, aut Patrum commodis,aut captiuorum necessitatibus ipsorum siue caritas, siue liberalitas desideretur. Simon, quod erat in se,accepto Regis decreto,ex omni sociorum multitudine, qui se viresque suas ad eam rem certatim & studiosè offerebant, sacerdotes duos elegit, Ioannem Nonium Barretum, quo de agimus, & Ludouicum Gonzaluium de Camera, virum multis nominibus in Lusitania atque in tota Societate notissimum, qui paucis antè mensibus in Conimbricensi collegio Rectoris munere fuerat perfunctus.Tertium addidit ad domestica ministeria, Ignatium Vogadum,non ita pridem ad Societatis admissum tyrocinium; sed qui eam breui dederat cuiusdam maturæ ac perfectæ virtutis significationem, vt dignus esset,qui tali loco haberetur.Paratis rebus terrestri itinere è Lusitania profecti, non ita multo pòst Bęticā peruenere.Conscensa ibi naui,Septam perducti sunt.Quamdiu in ea vrbe fuerunt, ad aliorum vtilitatem totos se accommodarunt.Quid verò & quantum concionando, conferendo sacramenta, cætera pietatis officia exercendo egerint, non potest paucis, nec facile explicari.Inde aliquid colligetur,quòd gens illa,militari magis insolentiæ, quàm morum disciplinæ assueta, vsúque armorum & Mahumetanorum cruore efferata, ita per id tempus bonorum operum exercitationibus mansuefacta est, & ad omnem probitatem inducta,vt miratus Pręfectus,gaudióque exiliens,literis ad Simonem datis, gratias inprimis multas ipsi egerit,quòd tales eò viros miserit, quorum labore & exemplo res Christiana mirandum in modum prouecta sit;omni deinde asseueratione affirmauerit, tantam in eadem vrbe factam esse animorum mutationem, vt qui antea vel ipsos Mahumetanos,
acerrimos

acerrimos totius honestatis aduersarios morum improbitate superabant, commutata viuendi ratione, parum iam viderentur esse religiosis dissimiles; veréque dici posse, profana militum castra in claustra trãsiisse religiosa. Addit iisdem in literis Norogna, misisse se ad Acenum (id Mauri cuiusdam gubernatoris erat nomen) qui facultatem ab eo Patribus obtineret, vt possent Tituanum, Saracenorum oppidum, liberè tutóque commeare. Atenim non tam timere se impedimenta cacodæmonis, quàm ardentia ipsorum Patrũ desideria. Tanta enim, inquit, mortis pro Christo oppetendæ inflammantur cupiditate, vt si Tituanũ adeant, dubitari non possit, quin dum igneo quodam spiritus impetu in Mahumeticam superstitionem inuehuntur, perfidæ gentis odium, manúsque in se conuertant, & capite luant loquendi libertatem. Id vt ipsis dulce ac decorum sit; captiuis certè, quorum causa in hæc loca venere, maximo erit detrimento. Quãtum valeo & mihi fas, obsecro & obtestor, optime Simon, vt captiuorum salutem & commoda benignis oculis respiciens, Patribus istis tuis per literas præscribas, ne quo spiritus æstu ita sese abripi sinant, vt terrore deposito, diuina Christi mysteria per compita & vicos publicè palámque prædicent, & ad ea amplectenda pertrahere conentur hoc hominum genus adamante durius: sed miseris Christianis animo sæuius, quàm corpore vexatis ferant opem, & impendant operam, eos in ergastulis inuisant, colloquiis recreent, consiliis instruant, confessione expient, Eucharistico pabulo reficiant, in fide fulciant, in malis solentur, ad grauiora præparent, multísque aliis leuationum modis, quos non ignorant, eorum corpora animósque pertractent. Satis quidem magnam in his-

ce rebus esse benemerendi segetem; vnde commendabili laborum tolerantia,& longa,vt ita dicam,mortis perpessione ipsos martyrij fructus absque dubio percipient; quamuis mors illa breuior,quàm sic adamant,ipsorum votis desideretur. Quinetiam ne Mauris hisce, quorum vafrum & ad suspiciones procliue ingenium est, vlla vel quidquam à nobis metuendi, vel alicuius mali machinandi præbeatur occasio, iudico oportere, ita Patres in eam vrbem ingrediantur, vt non continenter inibi persistant; sed per speciem gerendi redemptionis negotium eant sæpius ac redeant;donec tandem omni sublata cuiuscumque mali suspicione, & contracta etiam, si fieri poterit, cum magistratibus amicitia,liberè possint non Christianorum tantùm res gerere, sed ipsos quoque Saracenos ad amplectendam fidem prudenter cautéque allectare.Erit quoque hunc in finem,vt opinor,vtilissimum, si Patribus iisdem curam captiuos redimendi publicè Rex demandet;cùm in ipso Redemptionis nomine & Maurorum terros liberè ingrediendi,& in iis pro libito diutius commorandi ius quoddam inesse videatur, quod non solùm ab animis barbarorum remouere possit causas malè suspicandi, verumetiam iisdem illis,quibus talis cura commissa,securitatem præstet ad diuina commodiùs peragenda. Pro huiusmodi autem consilio,quod autumo rei Christianæ esse maximè salutare, hoc mihi à te præmij loco solui volo, vt pollicceare,dum præfecti officio in Africa fungar, nõ auocaturum te in Lusitaniam ipsos patres, quorum discessu quàm grauia in his locis dãna passura sit Christi Respublica, ignorare nemo potest. Hæc ad Simonem Alfonsus. Interim obtenta ab Aceno adeundi Tituanum facultate, Præfecti iussu quæsiti viri tres

secta

ſecta & genere Saraceni, probatæ tamen apud Luſitanos vtcumque fidei, qui duces viæ & cuſtodes Patribus eſſent. Horum in comitatu cum pluribus aliis, qui negotiandi cauſa in idem oppidum ibant, pridie Idus Septembres ſepta diſceſſere. Quamuis autem breuiſſimum iter ſit, non leue tamen vitæ periculum ſubiere, cùm egreſſi è ſyluis latrones magno impetu irruerent, cúmque & cædem hauddubie facerent, niſi viatorum multitudine fuiſſent deterriti.

Ioannes cum ſociis Tituanum ingreſſus captiuorum commoda impensè curat.

Capvt IX.

Tituanum, ſicuti dixi oppidum eſt in Mauritania, cuius nulla, vt opinor, apud veteres Geographos memoria. Superioribus annis, poſt captam forte à Luſitanis Septam, crediderim, à Mauris conditum, vel certè confluentibus hincinde colonis ex paruo & ignobili pago ad oppidi magnitudinem excreuiſſe. Ad radices Atlantis iacet, loco maritimo & piraticæ vſui peropportuno. Leucas tantùm quinque versùs Euronotum Septa diſtat, difficili tamen & infeſto excurſoribus itinere. Huc Patres, eo latronum periculo perfuncti, incolumes peruenere. Saraceni, quibus nihil pecunia carius eſt, cùm eos ſcirent redimendorum captiuorum cauſa illuc aduenifſe falſis externæ beneuolentiæ ſignis verum atque intimum in Chriſtianos odium occultantes, aduentum gratulantur, eodémque hoſpitio, quo recipi Chriſtiani mercatores ſolent, ſimulata benignitate recipiunt. Pueri tamen,

nondum per ætatem apti fingendi artifices, parentum animos factis suis prodidere. Nã vt rabiosi catuli, nostros, tamquam notos generis & superstitionis suæ hostes, furiosè adlatrare, insequi, admordere, inque ipsos lethalem illam, quam cum lacte nutricis sugũt, aduersùs Christianos maleuolentiam, ore, verbis, motu corporis, pugnis etiam exprimere; sibíque videbatur beatus, qui illos poterat iniuriosa manu contingere. Insequente die, vt captiuos inuiserent, iísque aduentus sui caussas indicarent, in varias oppidi partes discurrêre. Reperti sunt, qui statim vellent peccatorum sarcinam deponere. Fuit in iis honestus sacerdos, gente Gallus, Mauri Sutoris mancipium, qui grauissimo fractus morbo vltimum agebat spiritum. Dum Camera, Gallicæ peritus linguæ, eius confessionem excipit, Barretus diligenter curat, vt vitæ pane reficiatur prius, quàm exeat è vita. Parat, quæ ad tanti mysterij venerationem cultúmque eo loco necessaria. Inprimis quotquot in oppido sũt liberi Christiani, iis per nuntios indicit, vt quamprimum veniant ad se. Ex ipsis deinde seligit, qui diuinis Psalmis decantandis visi aptiores. Tum faces multas & cereos accendit. Pompa demum, quantam tempus locúsque ferunt, solemniter comparata, augustissimum sacramentum ad ęgrum defert. Nullus fuit Mahumetanorum, quem ad hoc spectaculum non disrumperet inuidia, & insana quædam rabies non laceraret. Nullus etiam Christianorum, qui lacrymas præ gaudio non funderet, summásque præpotenti Deo non ageret gratias, quòd in locis à vera religione alienissimis, atque inter medias frementium barbarorum catervas sub ea specie vellet de perfidia triumphare. Expiato confessione, & refecto Eucharistia Galli sacerdotis animo, cætera

tera deinceps, quæ vel ad temporalem, vel ad æternam ſalutem conferre poterant, inſigni à Patribus caritate tādiu exhibita, donec extremus hominem halitus cum vita defecit. Tum verò non minori diligentia procuratum, præter loci morem, ſepulturæ officium. Effertur funere corpus, Luſitanorum humeris impoſitum, pérque medium oppidum cum cantu & æris campani ſonitu (quod multis ante ſæculis illic non viſum)ſummo Chriſtianorum ſolatio, ne diſpari Saracenorum ſtupore, ad deſtinatum locum deducitur, iuſtíſque rete perſolutis, communi parēti ſeruandum commendatur. Quàm miſera verò, quámque ærūnoſa ſub immaniſſima illa Maurorum ſeruitute captiuorum conditio ſit, in hoc vno, de quo dixi, Gallo ſacerdote aliqua ex parte videri poteſt. Rem Ludouicus dū moribundo homini ſorbitiunculam pararet, attentè obſeruauit. Iacebat humi ferreis adſtrictus & oneratus catenis: magnam ſanguinis copiam continuò euomebat; tanto cibi potúſq; faſtidio premebatur, ſex vt iam integros dies nihil omnino deguſtaſſet. In ſūma itaque vitę deſperationę animam exhalabat, cùm Maurus Sutor morientis dominus, & quatuor alij vel quinque Saraceni mercatores ad ægrotum ingreſſi, vt eum emerent, & cariùs poſtea venderent, contemplari iacentis vultum, conſiderare morbum, experiri vires, cogere vt ſurgeret, & ſubſiſteret in pedes, déque ipſa venditione agere inter ſe. Acuebat Maurorum auaritiam caritas noſtrorum. Cùm enim eos viderent, eximia quadam ſolicitudine ægri ſalutem procurare, ſuſpicati virum eſſe aliquo illuſtrem nomine, cui viri tales tanta diligentia ſubſeruirent, lucri cupiditate pellecti, ſpem magis victuri hominis, quàm viuum hominem̨ volebant emere. Neque peior hu-

potue

ius, quàm reliquorũ ſors. Quo quiſque creditur minori pretio redimendus, eo tractatur viliùs ac ſæuiùs. Eſtque illud iſtis belluis ferè ſolemne, vt cùm æger vi morbi eò perducitur, vt ne mouere quidem ſe poſſit; tum verò omni deſtitutum auxilio in ergaſtulo, vel loco ſimile relinquant fortunæ arbitrio expoſitum: quod faciunt maximè, cùm iam ægroti vita omnino eſt deſperata; hanc enim non pluris æſtimant, quàm quantum ex ea lucri ſe percepturos ſperant; nec aliter, quàm propriis commodis caritatem metiuntur. Adeò ſordidiſſima iſta auaritiæ mancipia obſtrictos habent animos habendi cupiditate. Tanta per oppidũ multitudo huc illuc errabat, vix vt eos caperent plateæ. Onuſti omnes ferreis vinculis, pallidi, macilenti, deformes, fame prope enecti, cùm die integro nihil ederent aliud, niſi tres breuiſſimos ex zerzena panes. Id ſemen eſt terrei coloris, inſuaue, parúmque idoneum ad nutriendum obiurgationes, maledicta, probra, verbera, plagæ, & quæ eiuſdem generis ſunt, ea obſonij loco erãt. A luce prima vſque ad tenebras, ſine vllo quietis interuallo, ſuis quiſque operibus duriter exercebatur. In oppido multi frumentarias molas verſare manibus, vectare onera, hortos colere, modíſque aliis defatigari. Plurimi diurno tempore agris addicti; partim armentorum greges & pecora paſcere, partim pro temporum varietate terram aratro proſcindere, ſementem facere, occare, ſarrire, metere ſegetes, fruges colligere, & cætera rei ruſticæ munia præſtare. Hinc ergo duriſſimis exerciti laboribus, illinc inedia confecti, hominum potius ſimulachra, aut effoſſa cadauera, quàm veri homines videbantur.

Ioannes & socij circa captiuos iuuandos sacerdotis Contreriæ exemplum imitantur. Oppressus morbo Camera Septam repetit.

CAPVT X.

ERat illis in locis Hispanus sacerdos, loco natus honesto, virtutis fama admodum clarus. Eius eximia in captiuos caritas suo nos iure obstringit, vt ipsius hîc priuatim meminerimus. Contreriam appellabant: id cognomem erat, nomen non proditur. Quinque hic primùm annos obsidis loco Tituani cõtinenter fuerat, quòd pro captiuis creditò redemptis, vltro fidem suam barbaris præstaret. Ipso deinde redemptionis negotio sponte suscepto, sæpius eundo ac redeundo, in eodem caritatis officio plures alios insumpsit annos. Hæc vna erat per ea loca vox, Contreriam virum esse insigni quadam præditum sanctitate. Talem Christiani, talem Saraceni, talem Hebręi prædicabant. Tanta quippe excellentis cuiusdam virtutis vis est, vt nusquam latere possit, & ab iis etiam, qui teterrima scelerum obruti caligine honestatis lucem videre nequeunt, eius splendor & pulchritudo conspiciatur. Multa de hoc homine laude & prædicatione dignissima efferuntur: ex quibus illud, quod appetente nocte, quando à diurnis negotiis quies erat, solitus esset ad ergastula conferre se; rectè viuendi præcepta captiuis tradere; salutis curam commendare; ad patientiam ipsos atque ad omne probitatis studium adhortari; certo precum numero ac forma simul cum iis Numen sibi propitium reddere; denique quidquid somni ad laborum curarúmque leuationem capien-

dum

dum erat, loco incommodo & aſpero inter eoſdem capere;inibíque ad exortum Solis perſeuerare,ardenter deſiderabat,vt aliqui ex Societate illuc mitterentur;atque idipſum, vt præfectus Norogna non optaret tantùm,ſed etiam peteret,& quoad poſſet, impetrare niteretur, magna ex parte ſuaſionibus ſuis creditur effeciſſe. Cumprimum igitur Patres Tituanum ingreſſi ſunt,tanti viri fama, qua nihil tunc ibi celebrius,mirabiliter excitati, eius prorſus veſtigiis inſiſtere decreuere. Vnde factum,vt quod habebant inter mercatores hoſpitium, vltro deſererent, & in ergaſtulis,nocturno ſaltem tempore, cum captiuis eſſe mallent, quo poſſent faciliùs illa Contreriæ opera imitari ;rudes nimirum inſtituere, ſolari mœſtos, deſperatis & oppreſſis opem ferre,iratos coërcere,diſſidentes conciliare, omnes in officio continere, atque ad amorem Dei & ſpem ſalutis languentes excitare. Vnà cum illis pias in cœlum mittebant preces, quibus potiſſimum à Chriſto Opt. Max. ſupplieiter efflagitabant,vt non ſolùm ab æterna animi, verumetiam à temporaria corporis ſeruitute in vtramque ipſos libertatem aſſereret;ne fortè immaniſſimæ dæmonum ſubiecti tyrannidi, aut acerbiſſimo barbarorum preſſi dominatu,ſuauiſſimum diuinæ obedientiæ iugum ferre vllo modo recuſarent. Ad hanc rem ſupremæ matris auxilium multis ac magnis precibus implorabatur,vt quam, miſeri omnes & quauis oppreſſi difficultate peculiari quodam iure adiutricem habent & patronam,eam ipſi maximè,qui omni humana ope carerent, & in miſerrimo vitæ ſtatu eſſent conſtituti,propitiam prę cæteris,ſecundámque experirentur. Acerbiſſimè tamen angebantur Patres,nec continere lacrymas poterant,cùm viderent ingentem

Chriſtia

Christianorum multitudinem subterraneis inclusam ac veluti sepultam cauernis, mœrentem, squalidam, sordidam, adeò arctè anguſtéque compressam. Vix vllus erat, qui posset attritum fessū corpus vlla ex parte voluere in aliam, aut contracta brachia, pedésve aliquantulum exporrigere; verùm sic omnes ob angustiam loci inter se permixti, perturbati, confusi cogebantur esse, vt aliorum pedes vllo sine discrimine aliorum vultibus adhærescerent. Iamverò grandes illæ ac pōderosæ ex ferro catenæ, quibus colla pedésque miseri homines ligabantur, quouis motu corporis talem per opacos obscuri carceris meatus edebant strepitum, nihil vt cuiquam esse posset magis horribile, magísque formidabile. Hanc autem expressam ac plenè viuam inferorum imaginem, támque luctuosam miserrimæ gentis conditionem non sine graui sensu doloris intuens Barretus, ipsa prima nocte, qua illuc cum sociis ingressus est, productis in medium ex Psalmo octogesimoseptimo verbis illis, *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis & vmbra mortis*, concionem habuit ad vinctos admodum salutarem; in qua de miserrima eorum sorte, qui sua ob scelera perpetuis addicti sunt cruciatibus, primùm disseruit; ipsos deinde ad rectè viuendum, ne ad eadem detruderentur Inferorum supplicia, seriò adhortatus est. Facto fine dicendi, certa pecuniæ summa per singulos distributa. Habita peculiaris infirmorum ratio; his enim ea quoque præstita, quæ visa idonea vel morbo leuando, vel sanitati recuperandæ, quæ verò cuique erant necessaria, tanta diligentia, tantáque animi voluptate Patres ministrabant, vt se in illis pauperrimis Christi seruis Christum ipsum omnium Dominum agnoscere & venerari apertissimè ostenderent. Non

potue

potuere autem continere ſeſe, quin fidei veritatem quibuſdam Mahumetanis priuatim aperirent. Illos tamen præcipuè ſunt adorti, qui à Chriſto defecerāt; iiſque & Mahumetanæ ſuperſtitionis fœditatem, & deſertæ religionis pulchritudinem, & ſtatutas deſertoribus pœnas, & ſummam Dei in reſipiſcentes benignitatem ita probauere, vt tres ſtatim depoſito mētis errore ſuſceptum ſcelus deplorarint; parati Chriſti fidem, omni vitæ periculo poſthabito, vbique gentium apertè palámque confiteri; & occaſione oblata ad Chriſtianorum terras primo quoque tempore remigrare. Horum ex numero adoleſcens erat patria Luſitanus, ex nobilibus parentibus Oliſipone ortus; quem Camera ad veritatis viam reducere pro ſua virili conatus, Dei tandem miſericordia multam poſt operam reduxit. Dum hiſce operoſis negotiationibus Patrum animi deſtinentur, nec præterire quidquam ſinunt, quod è captiuorum vtilitate, aut re Chriſtiana eſſe intelligant, ex aſſiduis laboribus acuta febri Camera corripitur: & cùm nulla eſſent Tituani medicamenta, nulli medici, viſum Barreto, vt ex templo Septam deferretur. Acenus gubernator, ſiue quia in eo diſceſſu aliquid inſidiarum latere putabat; ſiue quòd timeret, ne ſua ſibi commoda minuerentur, incertum quo animo, non modicè tamen obſiſtit, ne ſociis relictis ægrotus proficiſceretur. Tandem partim prece, & ratione victus; partim quia ſibi vtilius credidit, paucos ex Patribus, qui captiuorum vitam & ſalutem, hoc eſt, Aceni ipſius, & reliquorum barbarorum lucra, ſua induſtria tuerentur, quàm nullos omnino habere, diſcedere Cameram paſſus eſt. Ille Septæ ex Præfecti imperio impensè medicis commendatus, diligenti eorum opera breuiter ſanitatem recuperat. Vbi verò

per

per eam licitum intermissa repetere negotia, cũ ipso primùm Præfecto agit de Christianæ religionis desertoribus, quorum ex variis nationibus ingens Tituani numerus est. Ab eodem deinde impetrat, vt iis, qui ad eam redire velint, publica fides detur, & liber in vrbem Septam commeatus. Post hæc aduocata concione inter varia salutis monita de captiuorum miseriis paululum disserit, ad easque ex parte subleuandas audientes adhortatur. Denique ipse per se, concione demissa, vrbis vicos lustrat, & stipem cogit ostiatim. Cùm libenter omnes, pro sua quisque facultate, aliquid erogassent, ea pecuniæ summa collecta est, vt miserorum inopiæ non mediocre allatum sit adiumentum. Cogitabat Camera Tituanum ad socios reditum, cùm inde literas accipit, quibus ei Barretus præcipiebat, vt quo primùm tempore posset, Lusitaniam repeteret, & miserrimam captiuorum sortem Ioanni Regi coràm exponeret, déque adhibendo remedio cum eodem solicitè ageret.

Profecto Camera, Ioannes Tituani remanens in iisdem persistit caritatis operibus.

Caput XI.

POst Ludouici Gonzaluij de Camera ex Africa discessum, quinque adhuc annos Tituani subsistit Barretus. Toto eo tempore ad ea procuranda, quæ captiuis siue ad salutem animi, siue ad vtilitatem corporis aliquomodo conducerent, tanto studio incubuit, vt eorum commodis nihil haberet potius aut prius. Frequenter ipsos suauissimo Eucharistiæ cibo

reficiebat;frequentiùs pœnitentiæ sacramento expiabat. Erant in his multi,qui ab annis circiter viginti inexplicabilibus scelerum irretiti nodis,ponderéque oppressi grauissimo,neque extricare se possent,neque planè consistere. Atque hi,quo maiorem cum vitiis longinquitate temporis amicitiam contraxerant; eo ab iis auelli poterant difficiliùs:tantóque erant rerum cœlestium rudiores,quanto diutius sub atroci cacodæmonis famulatu constituti,nec de Deo cogitabant vmquam,nec aliud,quàm quod terram saperet, sapiebant. Eos igitur summo cum labore erudiebat, atque ad vitæ anteactæ odium, & renouandæ mentis desiderium,quantum poterat,incitabat. Multis Barreti opera restituta corporis libertas, cuius insana cupiditas degeneres nonnumquam animos ad nefaria impellit, longéque grauiori,quàm subiecta corpora sunt, subiicit seruitutis iugo. Eiusdem industria in multis conseruata & stabilita fides, quæ rerum inopia & egestate veluti bellicis machinis sæpissime tentatur,sæpe nutat, non raro etiam miseranda labitur ruina.Multi,quibus nulla ferè exeundi è seruitute spes erat, vt spe libertatis melioris Christi fidem firmiter retinerent,atque in aduersis patientiam, & constantem tum in vniuersa vita, tum in singulis actionibus æquabilitatem seruarent, inque ipsis, vt ita dicam, scelerum officinis sine scelere viuere conarentur,eius consiliis & monitis persuasi. Medici,& chirurgi, ac cæterorum, qui ad ægrorum curam deputari solent, vnus ipse partes agebat. Si qui parum firmis erant viribus,nec sine vitæ aut sanitatis damno incumbere operibus poterant, ne quid à rigidis dominis paterentur, eorum ipse pensa peragebat. Sæpe sub noctem cum socio Ignatio collectas in ergastulo sordes
de

deportabat aliò, vbi captiuis noxiæ esse non possent. Dum in illo oppido fuit, ad omnia captiuorum commoda ita ferunt animum adiecisse, vt nullum perfectissimæ caritatis officium vlla ex parte præterierit, verè vt dici queat, multo magis ipsum, quàm eosdem captiuos durissimæ seruituti fuisse addictum. Cæterùm licèt Barretus vitam degeret adeò difficilem, tótque ac tantis animi & corporis exercitatam curis, exterris à patria, distractus à suis, inter immanes Christianæ fidei & Lusitani nominis hostes, apud quos omnia ipsi erant sæua, nihil iucundum, nihil mite, nihil quod assiduos eius labores & molestias modo aliquo lenire posset; à Deo tamen illum & causa Christi, & captiuorum caritas hilarem lætúmque in eo loco tenebant, vt reliquam ibi ætatem exigere non solùm ardenter cuperet, verumetiam vt obtineret, studiosissimè diligentissiméque curaret. Sæpe enim hoc à Deo priuatim precatus, sæpe per literas à suis superioribus petiit. Cùm autem aliquando percepisset, Mahumetanos sectæ suæ timentes, de ipso ex illis locis eiiciendo aliquoties inter se deliberasse; idne fieret, quærendum sibi putauit ab Lusitania remediũ. Ad Simonem Rodericum super ea re scribit. Hoc inter reliqua vt possit consentientibus Mauris Tituani commorari, maximè sibi illud consilium probari, quod initio sui in Africam aduentus Præfectus Norogna eidem Simoni per literas dederat. Oportere videlicet, ipsum Barretum in redemptionis negotio scribæ vel administrum, vel famulum assignari; sic enim fore, vt auarissimi homines, qui sacra omnia ac profana, omnésque religiones vni pecuniæ postponunt, suis allecti commodis, ipsum inibi perseuerare, & cum captiuis liberè agere paterentur. Summis igi-

tur precibus ab eo contendere, vt diligenter operam det, ne miseris captiuis hoc saltem vitæ subsidium auferatur. Multos enim quotidie ex magnis continuísque laboribus, alios ex inedia, alios ex ergastuli sordibus & pædore, causísque huiusmodi in graues morbos incidere, nec paucos ex iis diem obire. Cogitet proinde, quid sit futurum, si prorsus deserantur; nec tale solatium aut leuamentum habeant. Dubitari non posse, quin multo plures ægritudine corripiantur, acerbiùs affligentur, in vitæ discrimen frequentiùs adducantur, morbi tandem potestate fracti extremum spiritum effundant. Consideret rursus, quã periculosum sit, gentem dissolutè ac licenter viuentem, nec vllis coercitam Christianarum legum repagulis, quale plerumque captiuorum genus est, absque pœnitentię & cœlestis panis remedio è vita decedere. Non ita pridem contigisse, vt Gaditanus homo à Mauris captus, & in vrbem Fetium ductus, octo ibi & viginti annos fuerit, quin toto eo tempore Christianum sacerdotem reppererit, cùm maximè optaret, apud quem peccatorum maculas confessione abstergeret. Hunc tandem, quæ Dei clementia est, sub vitæ finem, morbo valde inualescente, ductum fuisse Tituanum, ibi pœnitentiæ sacramento purgatum, sacro cibo refectum, suauissimis colloquiis recreatum, infinitis Deo actis & habitis gratiis, quòd hunc in locum tali tempore esset perductus, diem vitæ egisse supremum, ex hoc euentu rectè colligi, quantum rei Christianæ intersit, inter Europæos captiuos, veræ fidei alumnos, esse aliquem, qui difficillimis saltem temporibus possit ipsis Christiana sacra ritè ministrare. Ita in ea ad Simonem epistola Barretus, qui quantopere mortem pro Christo apud illos barbaros subire cuperet, quantáque

táque animi voluptate inter captiuos degeret, cùm multa alia, tum verba illa declarant epistolæ alterius, quam Tituano ad Conimbricenses socios in hanc formam scripsit. Quid retribuam Domino, fratres dilectissimi, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Cùm ego is sim, quem nemo vestrûm non nouit omni indignum beneficio, nescio vnde factum, vt primus ex Societate in hæc loca venerim, vbi possim inter immanissimam gentem & Christo maximè infestam atque inimicam, de Christi fide, déque Christianis moribus pro concione agere, Christianorum confessiones audire, vero Deo incruentam hostiam immolare, sacra nostra, nostræque religionis cæremonias Christiano ritu liberè exercere. Vtinam idem ipse clementissimus rerum moderator, qui immerenti mihi ac planè indigno tam insignem gratiam contulit, illud quoque benignè adiiciat, vt eius causa, vinculis, verberibus, atque omni supplicio excruciatus intereum, quo ipsius conspectu citius frui, & à mortali vita, quæ tam multis mortalibus immeritò carissima est, transferri possim ad immortalem. Hæc ibi. Summo illum studio omnes prosequebantur, eiúsque sanctimoniam adeò suspiciebant, vt quoties in publicum prodibat, quod erat frequentissimum, ad ipsum cateruatim confluerent, manúmque alij deosculandam peterent, & inuito ac repugnanti arreperent; vestem alij venerationis ergò contingerent; ad eius se pedes alij proiicerent, multáque huiusmodi facerent, quibus & conceptam de homine opinionem, & eximiam erga ipsum beneuolentiam testarentur. Sex quæ Tituani erant ergástula, quotidie inuisebat; erat ipsi præcipua aduersùs infirmos cura. De his quærebat diligenter, num Pridiani haberent melius? Num de nouo

aliqui decumberent? Num his aut illis ad vtramque salutem quidquam foret necessarium, aut commodum? Si quid sciebat esse, quo iuuare quemquam posset, tanta id caritate & diligentia præstabat, vt amorem sui atque admirationem in nostris, stuporem in Saracenis excitaret. Acenus ipse, cæteroqui non æquus sanctitatis æstimator, Barreti bonitate & beneficentia victus, quoties illum vel ad ergastula euntem, vel ex iis redeuntem, vel quidquam aliud agentem alicubi offendebat, faciem illi valde beneuolam atque hilarem commonstrabat. Eius quoque filius natu maior ita eumdem Barretum ob eamdem causam admirabatur, vt semper ipse singularia quædam honoris & reuerentiæ signa exhiberet; cùm etiam solitus esset dicere, talia opera, qualia Barretus patrabat, nec in vno quidem ex Mahumetanis suis, quantacumque is caritate & religione esset conspicuus, reperiri. Par labori & pietati fructus erat. Auctoritate sua omnem ex ergastulis ludum pepulit, quem plerumque rixæ, dissidia, & mala huiusmodi, apud tenues præsertim homines, & parum sui potentes, comitantur. Abstulit peruersam iurandi consuetudinem, qua religioni & bonis moribus nihil est infestius. Si qui iurassent, & statim arguebant inter se, & postea apud Ioannem alij alios criminabantur. In maiori ergastulo fuit de iureiurando sancta quædam inter captiuos statuta & vltro suscepta lex, paulo pòst ad ergastula minora facili rumore delata, & pia æmulatione retenta. Ea erat huiusmodi, vt si quis deprehenderetur, qui rei alicuius siue affirmationem, siue negationem sacra attestatione, quamquam verè, firmaret, is statim in genua prouolutus, salutationem primùm angelicam recitaret; tergo deinde nudato ter ab socio virgis quatere

teretur; vt qui toties ab immitibus dominis nefariè verberabantur, ob causam, quæ iustissima esset, ter tantùm flagello pulsari non æquo solùm, verumetiam lubenti animo paterentur. Erat inter captiuos quidam ingenio aspero & ore petulante, atque ad maledicendum procliui; ob eámque rationem inuisus cæteris & exosus. Re cognita sensim Barretus in eius se familiaritatem insinuauit, & paucos post dies, sic ipsum eiúsque naturam edomuit, vt mutatus homo, animo priùs diligenti atque humili peccatorum confessione purgato, coram captiuis omnibus poplites flexerit, omniúmque mortalium se pessimum confessus, ac supplicibus verbis veniam precatus; obnixè contenderit, vt eorum singuli, iustæ vindictæ loco, certum sibi plagarum numerum manu propria infligerent. Tantus virtutis ardor, tantúmque rectè viuendi studium reliquos etiam inuaserat, vt iam religiosi magis, quàm captiui viderentur. Ad confessiones & Eucharistiæ sacramenta frequentissimè omnes accedebant. Non pauci quarto quoque die cœlesti mensæ accumbentes diuinis epulis pascebantur. Dicere erant soliti, durissimos status sui labores; qui vel inuictissimos animos frangere possent, dummodo sibi pater Ioannes non deesset, nihili se omnino facturos. Hinc ortum, vt cùm aliquando, vera an falsa fama, percepissent, decretum ab Aceno gubernatore, vt Ioannes Tituano excederet, & Septam remigraret, ad vnum omnes pronì in terram reciderint, fusísque lacrymis, & intimis precibus supremum Numen obtestati fuerint; nequid tale fieri sineret, néve vllo modo pateretur, vt qui Barreti caritate & industria eò deuenerant, vt sua iam crimina agnoscerent, eáque salutari fletu diluere inciperent, in ipso vel-

uti adquirendæ salutis articulo ab duce suo desererentur.

Suam quoque infidelibus operam Ioannes impendit.

Capvt XII.

QVi erāt à Christo alieni, desertores fidei, Mahumetani, Hebræi, tria pessima hominum genera, tanti viri exemplo, támque præclaris excitati facinoribus, mentis oculos altiùs attollere, & cogitare secum, fierine posset, vt cum tali vitæ probitate doctrinæ error cohæreret; certum enim esse, morum præstantia commendari doctrinam; nec posse inanē ac superstitiosam esse eius religionem, in quo veræ virtutes sic splenderent. Multi ergo ad eum Mahumetani ventitabāt, vt de vera cum ipso fide, de vero Deo, déque tota colendi Numinis ratione seriùs agerent. Nonnulli turpissima Mahumeti superstitione relicta, Christianam veritatem sunt complexi. Idem & quibusdam accidit fidei desertoribus, qui nisi vesana quadam libertatis cupidine & viuendi licentia obcæcari se sinerent, numquam inducere in animum possent, vt flagitiosissimam sectam, atque ex omnium scelerum colluuione conflatam sectarentur. Ad Hebræorum Synagogas itabat. Multa ibi de Christo ex diuinis monumentis doctē neruoséque disserebat. Nec erat difficile ostendere, ipsum & verum esse Deum, verúmque hominem, & iam olim, vt à peccati seruitute assereret homines, pauperem in terras, humilémque venisse; neç venturum amplius, nisi pera-

cta

cta mundi periodo, quando ingenti gloria & maiestate sublimis cunctos mortales ad iudicium vocabit. Aliquando quamdam ingressus Synagogam, ludimagistrum reperit grandi septum puerorum caterua, quos ille aperto sacro volumine Hebraicos characteres noscere & legere docebat. Tum forte accepta quædam ex diuinis vatibus oracula versabant ore, & insulso strepitu resonabant. Accedit propiùs Ioannes, cantum interturbat, cum ipso magistro, si is velit, de religione disputaturus. Antequam verbum proferat, tanta derepente confluit Hebræorum multitudo, vt repleta domus plures capere nō possit. Vt quisque ingreditur procumbet pronus, atque inter precādum tam fœda superstitione huc illuc caput agitat, vt insanire videatur. Subridens Ioannes rogat, cur ea ratione precentur, turpe sibi videri, tali gestu cum Deo agere. Ad hæc ex ipsis vnus, nequire se vllo modo tenere quieta capita, quin illis motibus agitentur; rem ignorantibus videri ridiculam, esse tamen maximè diuinam; illo enim eodem spiritu timoris Dei, qui maiores olim suos mirabiliter inuasit, cùm lex Moysi in altissimo Arabię montis cacumine cœlitus data est, corripi etiam sese, quoties ad supplicationes accedūt, eóque impellente ita capita cieri, vt liberum ipsis nō sit vel tantis perquiescere. Respondere forsitan veriùs posset, traductam in se patris sui Caini veterem plagam. Vt enim illi à sæuissima innocentis Abelis cęde, in pœnam suscepti sceleris horribilem toto corpore tremorem, atque etiam, si aliis assentimur, teterrimum quoque fœtorem diuinitus contraxit: ita credi potest, relictas ipsis veluti ex hæreditate turpes illas capitum agitationes, illúmque fœdum, quem vbicumque terrarum sunt, ferè semper exhalant ex cor-

poribus putorem; vt dum perfidè Christum negant, participes esse intelligantur immanissimi parricidij, quo se eorum parentes nefariè contaminarunt, cum vitæ auctori per summum scelus vitam eripuere. Inter eos, qui ad spectaculum concurrerant, vnus erat magno natu, Mosaici iuris apud ipsos peritissimus, qui & gradus auctoritate, & sapientiæ opinione anteibat cæteris. Hunc Ioannes vt vidit, & legis Doctorem esse cognouit, relicto ludimagistro, ad certamen prouocat. Et mox Hispanica lingua, quam Mauritani isti Hebræi negociandi causa addiscunt, & apprimè callent, ex sacris literis plurima protulit testimonia, quibus constant omnia, quæ ipsi de Christo impiè negant, nos piè & firmiter confitemur. Cæterùm dantur surdis verba, mentésque cæca errorum nocte offusæ tanto obscurantur magis, quanto veritatis splendor magnificentiùs nitet. Et Doctor idem, & cæteri, qui adsunt, audacter negant, quæ sunt luce clariora; atque vt aspides surdæ obturant aures, nec voces audiant venefici incantantis sapienter. Non modò igitur Barreti argumentis nihil mouentur, sed impudenter asserunt, in magna illum diuinarum rerum ignoratione versari. Neque aliam assertionis suæ præter obstinationem & peruicaciam, proferunt rationem. Tum Barretus vehementissimo quodam incensus animi ardore, vocem contendit; & intrepidè asseuerat esse se paratissimum pro fide Christi, quam profitetur, millies, si toties posset, mortem appetere: ex ipsis autem ne vnum quidē esse, qui velit audeatve pro lege sua aut vitam amittere, aut vllo se periculo exponere. Quando verò apud ipsos rationes aliæ nihil valeant, si quis sit, qui hoc vno modo concertare secum velit, vt pro tuenda lege, quam profitetur in

exue

extremum se obiiciat capitis discrimen, ecce se in medio esse ad omnia paratum, nihil formidare, nihil timere, in vno præpotentis rerum omnium Domini Iesu Christi auxilio tantummodo suffultum. Terrorem voces istæ pertinacissimis animis incussere, mentis tenebræ auctæ magis, quam diminutæ. Post hæc Ioannes remissa voce mitiùs iterum agere, & veritatis aditum aperire. Faxit, inquit, Deus immortalis, vt quod ego mihi vehementer opto, id vobis diuino beneficio contingat. Sæpius huc, vt scitis, venio: nulla mihi alia viuendi causa, nisi vestrorum salus animorumq; quam tanti facio, nihil vt ardentiùs cupiam. Nolite, obsecro, committere, vt conatus isti mei, atque hi labores amore vestro suscepti, irriti sint & inanes. Iterum vos atque iterum hortor & precor, vt paululum consideretis, quo sitis in statu, quæve ista sit viuendi ratio, quam tenetis. Erit profectò, cùm vos eius, sed incassum, vehementer pœniteat. Erit, nec longa mora, cùm animi vestri corporibus egressi suam videant cæcitatem, & istius incredibilis obstinationis meritas pœnas æternis cruciatibus persoluant. Quid non perpenditis, quàm durè, quàm aspere, quàm ignominiosè à Mauris, à Turcis, à quacumque alia, quæ in toto orbe est, natione tractamini. Eratis olim Deo in amore & deliciis: vos ille gentem suam, electum populum & sanctum appellabat. Quot iam annos, quot secula, quot ætates inter externas gentes degitis sine rege, sine regno, sine republica, semper vagi, semper exules, omnibus despectui & ludibrio? Atenim quæ potest huius tantæ calamitatis causa esse, post inauditum illud, atque omni seculorum memoria detestabile flagitium, quod à maioribus vestris aduersùm Dei filium commissum est, nisi vestra hæc pertinacia,

natia, qua mentis oculos euangelico splendore tam solicitè occluditis? Nonnihil hæc oratio audientium animos commouit; sed ex tam multis vnum dumtaxat flexit. Is fuit ille idem Mosaicæ legis Doctor, cum quo à Barreto instituta disputatio. Non ausus ille victum se palàm fateri: sed abeuntem patrem à tergo insequitur, & in eamdem se cum illo domum infert. Ibi remotis arbitris affirmat, affulsisse sibi veritatis lumen; nec dubitare iam, quin verissima sint, quæ de Christo ab ipso dicta; esse videlicet prolem diuinam, duas in vna persona complecti naturas; venisse iam ad nos olim habitu humili & abiecto; venturum postea, cùm mundo finis erit, summa sublimem gloria, & incredibili maiestate, benignum & mitem bonis, terribilem & metuendum malis, rectum inter vtrosque iudicaturum iudicium. Hæc sibi & id genus cætera tam ex ipsius Barreti oratione, quàm ex diuinis testimoniis, quæ ab eodem adducta, probè nota esse, ac tum quidem statim fuisse, cùm audiuit disserētem: vano tamen compulsum metu, quod animo opprobarat, negasse ore: velle omnino ad Christi partes transire, ídque hauddubiè mox facturum; cùm duos liberos, quos habet, Septā tutò traduxerit, Christianis etiam mysteriis imbuendos. De vxore minus se esse solicitū; nisi ipsa quoque velit agnoscere & venerari Christum, facile dimissurum. Post hunc alius quidam fuit Hebræus, qui clanculum ad patrem veniens, eúmque de religione audiens tractantem errores detestatus est suos. Huic etiam Ioannis opera statim quæsita via, qua sine periculo vitę, & libertatis detrimento, Septam Tituano migraret, Christiano lauacro expiādus. Cæteris quoque, etsi animis erant valde à Christo auersis, propter comitatem, modestiam, vitæ san-

ctimo

ctimonium ita erat carus, vt ipsius causa efficerent multa, & conuersos ad fidem Mahumetanos, ne quid in itinere damni acciperent, Septam vsque con i-tarentur.

Ioannes in Lusitaniam rediens, Aethiopiæ Patriarcha designatur.

Capvt XIII.

ANnos complures Tituani Barretus fuerat, ita caritatis famulatui mancipatus, vt quamdiu vita maneret, nisi vel eadem caritas cogeret, vel obedientia auocaret, numquam inde esset egressurus; sic enim animo destinarat. Egredi tamen caritas coëgit, & in Lusitaniã reduxit, vt miserrimam captiuorum conditionem, multo magis animis, quàm corporibus perniciosam, per se ipse expresse atque ex fide Ioanni Regi declararet. Etenim permulti, quòd essent pauperrimi, neque aliunde sperarent se pecuniam habituros, qua redimi possent, in summo semper tam religionis, quã pudicitiæ amittendæ discrimine versabantur. Et erat exemplum recens Christianæ puellæ, quæ à spurcissimo domino ad turpe facinus vehemẽter incitata, cùm acriter & animosè resisteret, multis ab eo affecta contumeliis, & vsque ad effusionem sanguinis verberata est. Actúmque de fœmina esset, nisi turpissimæ beluæ crudelitatem lucri cupiditas cohibuisset; vitæ enim pepercit, ne redemptionis pretium amitteret. Puella hæc, vt erat saucia, patris se in cõspectum dedit, fusisque lacrymis, quantum potuit, precata est, vt pudicitiæ suæ, quam habebat libertate & vita ipsa cariorem,

rem, consultum vellet. Vix iam vllas sibi esse ad obsistendum vires, cum procacis hominis insania & turpitudo ipsa repulsa magis indies magisque irritarentur. Hoc spectaculo grauiter vulneratus Ioannes non putauit amplius sibi differendam profectionem, ne miseræ genti remedium diutius differretur. Confestim igitur in Lusitaniam proficiscitur; & Ignatium Vogadum socium Tetuani relinquit, simul ne interim desit, qui iuuare captiuos ipsius loco possit; simul vt reditus sui, & pecuniæ, quæ pro quibusdam redemptis debetur, ex fide in reditu soluendæ obses sit. Nonnullos enim, quorum castitas & religio tū propter ætatē, tum propter oris speciem certissimo erant in periculo, in ipso discessu creditò redemit, & in tuto constituit. Vbi Olisiponem peruenit, cum superiore suo cuncta primùm maturè contulit; de eius deinde sententia & cōsilio, Regem adiit, vt ipsi proponeret, quid afferret noui ex Mauritania, qualisque illic Lusitanorū esset status, præterea vt de afflicta captiuorum fortuna, certisque animorum periculis eumdem faceret certiorem. Eū Rex honorificè acceptum narrare ex ordine cuncta iubet, & attentè narrantem audit: nec mediocri capitur voluptate, dum in ipso narrantis ore & oratione eximiam prudentiam, integritatem, modestiam, & permulta alia sinceri cuiusdam & solidi animi ornamenta decoráque obseruat. Cùm Nonius narrationis suæ finē fecit serio à Rege petiit, iuberet pro sua clementia propositis à se rebus illicò prouideri, vt redire ad captiuos suos quamocyssime posset. Verùm hoc tā laudabile iuuandi miseros studium cum summa viræ probitate coniunctum, quod erat per se à Rege in Nonio obseruatum, & aliorum prædicatione cognitum, eumdem Regem impulit, vt ad partes alias re-

motiores,

motiores, multóque maiore oppressas laborum mole hominem destinaret. Æthiopicum illi Patriarchatum conferre statuit, eo quòd Petrus Faber, qui ad id munus fuerat electus, è viuis excesserat. Rem Ioannes ab Rege non obscura significatione cognoscens, quamquam non ignorabat, nihil se omnino ex ea dignitate posse percipere siue honoris, siue vtilitatis, quæ duo in hisce gradibus cupide plerumque & ambitiosè quæruntur, ipso tamen dignitatis nomine ita deterritus est, vt statim ad eam declinandam omnibus se viribus compararit. Ad beatum igitur Ignatium ea de re epistolam scribit, qua in epistola totus in eo est, vt quidquid alicuius honoris speciem vel nomen habet, haberéve potest, à se omnino remoueat. Intelligo, inquit, in hac esse Regem mente, vt ad Æthiopicum me Patriarchatum velit deligere. Non sum nescius, Pater optime, quales istiusmodi dignitates habere debeant annuos redditus, quídve splendoris afferre queant iis, in quos cōferuntur. Quis enim ignoret, quidquid laborum & miseriarum fingi potest, totum id Æthiopico isti Patriarchæ, quicumque ille erit, singulis ferè momentis esse exorbendum. eósque ipsi apud illas Abassinorum gentes exhibendos honores, qui cū summis sæpe & pæne quotidianis iniuriis copulati sint? Cæterùm quia me omni dignitate indignissimum esse certè scio, sic ipsum dignitatis nomen perhorresco, vt cogar, quantum possum, etiam atque etiam à te cōtendere, hoc vt mihi munus deferre nullo modo patiare. In Æthiopiam proficisci nihil prorsus recuso: quin potiùs illuc ex obedientia mitti & valde cupio, & obnixè peto; méque ipsius Patriarchæ socium ac famulum libentissimè offero: horreo tamen, formido, & tota animi contentione deprecor

ipsum

ipsum gradum dignitatis, quo velim scias nihil mihi posse grauius & molestius cótingere. His literis Ignatius mirificè est delectatus. Perspexit in iis Ioannis animum, & eximiam quamdam in eo cum singulari demissione alacritatem. Neç dubitabat, quin ad id munus, quo se indignissimum asserebat, esset aptissimus. Eo verò magis in hanc mentem ibat, vt hominis electionem non modò non inpediret, verumetiam iudicio suo approbaret, & industria promoueret, quòd insignibus ostentis, Deiparæ Virginis opera, & insolito quodam atque admirabili modo ad Societatem, & ad maxima quæque vocatum recordabatur. Interim Barretus, tum quia credebat, quo à conspectu regis longiùs distaret, eo fore se à Patriarchatu remotiorem, tum quia captiuos reuisere & aliquod eis subsidium ferre peroptabat; de suo in Africam reditu cum Rege ipso, atque eius ministris solicitè agebat. Cúmque propediem confectis rebus se profecturum speraret, literas accipit ab vrbe, quibus ei ab Ignatio imponitur, vt relicto quouis alio negotio, ad Æthiopiá se protinus expeditionem comparet; demandatum enim ipsi à Pontifice maximo Patriarchatus munus, quod æquum est moderatè ferat, & pro sua sapientia administret. Cùm verò dubitare non possit, quin à Deo sit, quod tanto Pontificis regísque consensu factum est, par sanè esse, vt ipsi quoque, qui nihil aliud velit, nisi quòd intelligat Deo esse acceptum, potius hoc esse gratum debeat, quàm graue. Missa cum his Ignatij literis duo Apostolica diplomata. Vno Pontifex Ioannem Nonium Barretum Æthiopiæ Patriarcham creabat; altero ne collatam sibi dignitatem recusaret, sua auctoritate adigebat. Hunc tamen honorem non minus ægrè Barretus tulit, quàm solent

homines

homines grauissima quoque onera vulgo ferre. Adeò pios animos, quos humilitas Christi sibi deuinxit, nihil est, quod acerbius pungat, quàm isti ipsi, in quibus aliquid amplitudinis & splendoris videtur esse, gradus dignitatum. Qui solemni ritu quatuor votis in Societate se obstringunt (quatuor votorum professionem vocamus) ij priuato in loco vota alia statim nuncupãt, ex quibus illud vnum, vt si Põtificis maximi iussu (neque enim aliter fas est) ad aliquem extra Societatem euecti fuerint honorem, in iis rebus gerendis, quę magni esse momenti videbuntur, generalem consulant Societatis Præpositum, vel alium ab eo constitutum, cuius sequantur sententiam, nisi aliud quidpiam, quàm quod consultus senserit, magis è re esse iudicabunt. Cùm Patriarchatum Barretus iniit, nondum erat vlla in Societate eius voti obligatio; non secus tamẽ, quàm si se illo obstrinxisset, & quia de se, déq; suo iudicio, quod paucorum est, humiliter sentiebat, & quia eo iam agebatur spiritu, qui Societatis proprius ac germanus est, mox ad Ignatium scripsit, vt quia propter locorum distantiam consulere eum non poterat, aliquem sibi in India suo loco designaret, quo cum tractaret maioris momenti negotia; cuiúsque auctoritatem & consilium sequeretur. Has Patriarchæ literas, in quibus tam expressa raræ cuiusdam animi submissionis & excellentis obedientiæ signa comparebant, magna cum approbatione legit Ignatius ipse per se non semel; nec legisse contentus, statuit vt iterum & sæpius coram aliis legerentur, fideíque & auctoritate publica firmatæ in Societatis tabulario, ad exemplum posterorum, & memoriam Nonij sempiternam seruarentur.

Quamobrem missi in Aethiopiam Patriarchæ.

Capvt XIV.

ITa res habet. Vbi per Europam increbuit, in illa Æthiopia, quæ ad orientem Africæ plagam ſub Ægypto eſt, pérque immenſos tractus terrarum latè funditur, plurimos eſſe Chriſtiani nominis populos, Turcis, Saracenis, Ethnicis vndique circũdatos, variíſque & grauibus errorum tenebris inuolutos; ſtatim Pontifices maximi (quod paſtoris ſummi officium & ratio poſtulabat) ad eos iuuandos mentem adiecerunt. Cùm ergo maturè conſideraſſent, quídnam præſtare poſſét, quòd in tanta locorum diſtantia, atque in tam periculoſa circumfuſarum gentium vicinia, ínque tam inueterata prauarum opinionum conſuetudine illis populis conduceret, nihil iudicauere commodius, quàm ſi viros illuc mitterent exemplo vitæ & ſcientia præſtantes, qui ſinceram ipſis ferrent doctinam fidei, viámque mõſtrarent, qua redire poſſent ad lucem veritatis, & ſub Romanæ ſedis obedientiam, quam iam diu deſeruerant, iterum redigi. Pro certo enim habebant, quod ſuperiori libro oſtenſum eſt, illam Alexandrinæ Eccleſiæ partem ſuo cum capite iam inde à Magni leonis Pontificis maximi & egregij Imperatoris Martiniani tempore, rectam vitæ ſemitam reliquiſſe. Enimuero circa annũ Chriſti nati quadringenteſimum, cùm celebratum eſt Chalcedonenſe Concilium, quo in Concilio impium Abbatem Eutychetem Neſtorij errorum æmulum ſexcenti & triginta Epiſcopi, Abbates plurimi, & innumeri alij excellentes viri ſententiis ſuis condemnarunt; Dioſcorus, qui tunc

tunc erat Alexandrinæ ſedis Patriarcha, cùm peruerſa Eutychetis dogmata aduersùs eximium virum Flauianum Conſtantinopolis Epiſcopum acriter tueretur; nec vllo modo tanti Concilij auctoritate quieſceret, in rabiem verſus à Romano ſe capite ſeiunxit, ac luciferi inſtar, eas, quas regebat, prouincias ſecum in interitum traxit. Hoc Abaſſinorum Schiſmatis exordium fuit. In eo ipſi Romani nominis immemores tamdiu perſtiterunt, donec Luſitanorum opera factum eſt, vt Romanam eſſe in orbe Eccleſiam, cunctarum caput Eccleſiarum audirent. Nam, vt remotiora omittam, poſtquam Luſitani ad Erythræum mare ex India profecti Abaſſinorum terras penetrarunt; & inter eorum Imperatorem, qui tunc Dauid erat, atque Emanuelem Luſitaniæ regem, miſſis vtrimque legatis, conſtituta amicitia eſt, & inita cōmercia; cœperunt illi populi Romanæ Eccleſiæ conſuetudines ac ritus, quantúmque inter vtroſque intereſſet, paulatim agnoſcere. Quamuis enim nomen Chriſtianum ſemper tenuerint, & Chriſtianā inter Turcos, Saracenos, atque Ethnicos profiterentur religionem: quia tamen à Romana vrbe quamlongiſſime diſtabant, & Alexandrino obediebant Patriarchæ, plurimis erant, vt dictum eſt, impliciti erroribus, quos partim olim, nondum ſatis cognita puræ fidei doctrina, cum Baptiſmo coniunxerant, partim ab ipſo hauſerant impuro religionis ſuæ fonte, Alexandriæ, inquam, Antiſtite, à vera Chriſti Eccleſia miſerè præciſo. Quod vbi ex Luſitanis intellexit Dauid Imperatòr, vt erat animo ad veritatis cognitionem propenſo, hortante præſertim Emanuele Rege, atque etiam deprecante, non difficile adductus eſt, vt ad Clementē VII. qui tunc in Chriſtiana Republica ſacris præerat, legatos mitteret, ac

per eos suam illi, vti summo animarum pastori, obsequentem in omnibus offerret voluntatem; ab eoque peteret, vt viros probitate & diuinarum rerum cognitione præditos mitteret ad se, à quibus ipse & cæteri populi, quibus imperabat, de iis, quę ad fidei rationem & salutem pertinerent, instruerentur. Ad Emanuelem quoque, atque illo vita functo, ad Ioannem tertium eius filium, Lusitani Regni hęredem, literas misit, quibus precabatur, cum Pontifice ageret, ne suam in tanti ponderis negotio repelleret petitionem. Ioannes Rex, qui non minus paterni regni, quàm pietatis hæres extiterat, vt Dauidis votis à Pontifice satis fieret, diligẽter curauit. Interim Dauid humanis rebus cedens, Claudio filio Imperium reliquit. Hic statim super eadem re scripsit ad Ioannem, in paterna insistens petitioné. Ioannes igitur, & quia optabat Abassino Imperatori gerere morem, & quia res ipsa per se erat eiusmodi, vt à Catholico principe respui non deberet; per legatum suum, quem Romæ habebat, de Æthiopicæ gentis remedio cum Pontifice seriò egit. Re diligenter & maturè considerata, inter Pontificem tandem & Regem conuentum, vt in illas oras viri aliquot deligerentur, qui auctoritate & imperio in iis, quæ ad religionem spectant, eos gubernarent. Placuit vt ex his vnus Æthiopiæ Patriarcha crearetur, duo deinde ipsi adiungerentur. Dignitate Episcopi, qui actionum, voluntatum, laborum, rerúmque aliarum, essent socij. & in eodem Patriarchatus munere, vnus post alium decedenti succederent. Patriarcha fuit Ioannes Nonius Barretus; Episcopus vnus Andreas Ouiedus, alter Melchior Carnerius, de quibus postea. Fuerat iam antea à Romano Pontifice cum patriarchali dignitate in Abassiã missus Ioãnes Bermudius Hispanus Sacerdos, qui

qui cũ in Italicis trier mibus à Turcis prędonibus fuisset captus, pérque varios rerum euẽtus delatus in Æthiopiam, aliquando ibi constitisset, & cuncta diligentiùs obseruasset, quòd videretur gentis mores & religionem probe callere, iudicatus est ad id muneris aptus. Sed hunc Claudius Imperator tamdiu palàm honorauit, quamdiu cum Adelis rege Mahumetanæ sectæ insigni propugnatore bellum gessit. Metuẽs enim, ne Lusitanos, quos in exercitu habebat, pulso aut malè tractato Latino Patriarcha, irritaret, atque ex amicis & sociis sibi hostes crearet, ficto animo honorem homini extrinsecus deferebat. Vbi tamen extinctus rex Adelis est, illicò animum patefecit suum; ac præter alia, quæ contra Deum & homines suscepit facinora, vno excepto Alexandrino Patriarcha, nullum alium neque sui neque suorum agnoscere voluit pastorem. Hinc factum, vt ingens paulatim populi odium in Bermudium concitaretur. Nec verbis parcebatur, nec rebus. Furti etiam fuit insimulatus; & cantatum vulgo, vas aureum, quod in templo erat, clanculum surrepuisse. Cùm miser homo hunc in modum tractaretur, coactùs est in Europam redire. Indiam ergo ex Æthiopia, ex India Lusitaniam venit. Eum nos pueri Olisipone vidimus, vbi confecto vitæ curriculo finem quoque laboribus imposuit. Sub hæc tempora Petrus quidã Abassinus, ex Magni Antonij ordine monachus, de quo non semel suprà memini, cum aliis eiusdem professionis hominibus, Romam ex Æthiopia ingressus est. Erat hic ingenio acri & industrio, atque ad captandam principum beneuolentiam natura compositus. Latinam & Italicam linguam, variósque Romanæ Ecclesiæ ritus citò didicit; multáque de Æthiopicis rebus non iniucundè narrans, in mul-

torum ſe amicitias ſenſim inſinuauit. Cùm ergo ad ipſum quoque Pontificem, qui tunc erat Paulus III. Clementis ſucceſſor, ſibi aperuiſſet aditum, atque eius gratiam iniiſſet, cœpit cum illo de alio Patriarcha in Æthiopiam mittendo ſolicitè agere. Nam quòd Bermudius parum Abaſſinis fuerit acceptus, & malè etiã tractatus, non debere impedimento eſſe, quominus ad eos alius mittatur; haud leues enim extitiſſe cauſas, cur in populi odium & maleuolentiam incurrerit; neque eas Pontifici eſſe ignotas. Non dubitandum, quin ad partes cuiuſcũque alterius Patriarçhæ à Romano Patre miſſi, vbi is in Æthiopia pedem poſuerit, omnes ſe ordines facile transferant, Alexandrino & eius Abuna penitus deſertis; curandum tantummodo, vt qui illuc fuerit miſſus, ea habeat ornamenta animi, quæ tã excellens dignitas iure ſuo exigere videtur. Multa alia non ſemel in eamdem ſententiam dicens, in eamdem tandem Pontificem traxit. Is cum Luſitano Rege rem per literas communicans deligendæ perſonæ ad id muneris idoneæ eidem regi poteſtatem demandauit; hoc enim ipſi meritò deberi, cuius auſpiciis per immenſa & periculoſa maria patefactus eſſet, ex hoc orbe ad Abaſſinos acceſſus. Ioannes Rex approbato, vt decebat, de mittendo Patriarcha Pontificis conſilio, non putauit ſibi diu quærendum, quem deligeret. Cùm enim ipſe per ſe inſignia Petri Fabri in omni rerum genere decora, ſummo digna loco, ſatis fuiſſet expertus, quamquam ille nec tunc præſens, neque Luſitanus erat, cæteris antetulit; & ad legatum ſuum Romam ſcripſit, verbis ſuis à Pontifice peteret, vt ratam haberet Fabri electionem, & ipſum, ne repugnaret, pro imperio cogeret. De Pótificis voluntate nihil erat dubitandum. Viſum tamen

aliter

aliter Regi sæculorum immortali, qui virum optimum pro Christi Republica tot tantísque exercitum ac fatigatum laboribus ad sempiternam vocauit trãquillitatem. At non quieuit Abassinus Monachus; cœpit ardentiùs rem eamdem vrgere; & solicitare Pontificem, precaríque obnixè, ne illas Æthiopiæ oues, annos iam plus centum mille à Romanæ Ecclesiæ caulis miserè aberrantes, omnino desereret. Verùm nequid tunc fieret, Italiæ motus obstitere. Intermissa proinde & ad quietiora tempora dilata res, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto optatum exitum accepit.

Quæ de Patriarchæ Ioannis & sociorum missione à nouo auctore scripta sunt.

CAPVT XV.

VT de veritate constet, opus iudicamus, proponere hoc loco, quæ de Patriarchæ Nonij, & sociorum in Æthiopiam missione nouus ille auctor, non sine graui eiusdem Patriarchæ & aliorum iniuria commentus est. Scribit ergo, Ioannem III. Lusitaniæ regem ob eam, quæ inter ipsum & Claudium Æthiopiæ Imperatorem erat, amicitiam valde optasse, vt aliquot Episcopi cum vno Patriarcha Româ in Abassiam mitterentur. Hac de re cœpisse agere cum Iulio III. sed ob eius mortem, quæ anno contigit millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, & propter obitum Marcelli, qui proximè Iulio successit, & in Pontificatu dies tantùm viginti duos vixit, ad Paulum IV. Marcelli successorem delatum esse ne-

gotium, qui iudicauit tantum Regem, iusta præsertim petentem, non esse repellendum. Consentiente ergo Ignatio Loiola Societatis Iesu fundatore, & eiusdẽ Societatis generali Præposito, patres tredecim fuisse ad hanc expeditionem electos. Ex iis Ioanni Nonio Barreto collatum esse Patriarchatus munus: datos illi episcopali dignitate adiutores ac successores duos, Melchiorem Carnerium Lusitanum, Andream Ouiedum Castellanum; illum Nicçæ Bythiniæ vrbis, hunc Hieropoli titulo insignitum. Hos simul cum Patriarcha & reliquis sociis Roma profectos, Lusitaniam peruenisse: liberaliter ibi à Rege, ac peramanter habitos, breuíque rebus omnibus necessariis abundè instructos, simul cum Fernando Sófia, quem Rex legatum ad Abassinum decreuerat, Olisipone soluisse; tandémque post immensos longissimæ nauigationis labores ad Archicum appulsos, Æthiopiam intrasse; & quamquam aduerso tempore (Bello enim ardebant omnia) benignè tamen ab Imperatore Claudio fuisse exceptos. Verùm paulo pòst variis de causis malè ipsi cum Patriarcha & sociis conuenisse. Primùm enim ægrè tulisse Imperatorem, Lusitanum Regem, ipso inscio & inconsulto, cum Pontifice egisse, vt Patriarcham ad se & Episcopos mitteret; ac si vel Christum prorsus ignoraret, vel à Romana sede esset diuisus: cùm & propriũ Romæ haberet Abassinorum collegium, ac quod istiusmodi negotia spectare viderentur; & tamquam obsequentissimus filius Romanam Ecclesiam coleret, sempérque coluisse; nec Apostolico indigeret Nuncio, cùm antiquior Abassiæ Archiepiscopus iam inde ab Eugenio IV. hoc Nuntij munere vteretur, plurimis summorum Pontificum diplomatis deinceps confirmato. Patriarcham tamen & socios

cios ostendisse palàm, quas habebant ab Apostolica sede facultates, iisque honorem debitum fuisse ab omnibus exhibitum. At non multo pòst rem accidisse, quæ omnes per vniuersam Æthiopiam ordines vehementer conturbarit. Duo enim, vt superiori libro retuli, esse apud Abassinos sacerdotum genera; quosdam virgines dici, quod castitatis se voto constringant, vt in Ecclesia Latina fit; alios coniugatos appellari, quòd vxores ducant, quibus cum, instar aliorum, qui à sacris sunt absoluti, maritalem vitam degant. Igitur Patriarchæ decreto statutum, ne deinceps sacris initiarentur, qui matrimonij vinculo essent ligati, aut in posterum ligari vellent, vna vt vbique esset Christianæ Reipublicæ forma, & Latinæ Ecclesiæ exemplum cæteri fidelium cœtus sequerentur. Nihil potuisse eo decreto ad commouendam Æthiopiam perniciosius contingere. Vniuersum mox imperium in duas sectum factiones; partim rem approbasse, partim acriter arguisse. Dum ista aduersis agitarentur iudiciis, valdéque vulgo turbatum esset; aliam ecce ortã maioris tumultus causam: statuisse quippe Noniũ, vt ex annuis fructibus decimæ Ecclesiasticis soluerentur. Nouum enimuero & insolens visum omnibus statutum; nec modò Æthiopicis moribus contrarium, sed intolerabile ac noxium. Secularium ordinem eo audito sic in furorem raptum, vt facto agmine ad Imperatorem vndique ingentes hominum cateruæ conuolarint, clamores terrificos in cœlum sustulerint, & contra nouas leges furiatis mentibus exarserint. Vnam fuisse omnium vocem, Tolle tolle, ne patere, Imperator, vetustissimas nobis auferri consuetudines, & noua ac difficillima imponi onera. Tum Claudium externis satis oppressum bellis, ne in-

ternis quoque opprimeretur dissensionibus, vocasse ad se Patres, eísque mandasse, vt eas rem Christianam in suo imperio perdendi magis, quàm promouendi artes protinus relinquerent. Coniugatos quidem sacerdotes nihil religioni incommodare; nec solùm Græcis olim ab Ecclesia Romana, sed ipsis quoque Æthiopibus à Nicæno & Ephesino Conciliis fuisse permissos; nullam igitur esse causam, cur quæ quieta essent, & Christianis legibus consentanea, perturbare niterentur. Fructuum verò decimas Ecclesiæ deberi, non ire se inficias; magnam tamen consuetudinis & præscriptionis esse vim: quòd enim ab vllo omnino homine decimæ in Æthiopia exigantur, rem esse adeò inusitatam atque inauditam, vt nihil proferri queat Abassinorum auribus infensius. Solere Imperatores cùm nouæ eriguntur Ecclesiæ, ex suis eas bonis ita locupletare, vt habeant Ecclesiastici non solùm vnde vitam sustineant, sed etiam lautissimè viuant. Nam si decimæ quæ toto ex imperio colligi possunt, cum iis conferantur redditibus, quos Imperatores Ecclesiis liberaliter donarunt, multis illas partibus fore superandas. Cùm ergo iis, quibus sacra curæ, nihil prorsus desit, quo minus decenter & largè viuant, opus non esse de exigendis decimis verbum mutire. Ad hæc accessisse alia, quæ ad Imperatorem delata, impatientem eius animum sic in Patres irritarint, vt incomposita in eos verba & irarum plena venenato ore euomuerit. Ex his autem dissidiis ortum rumorem, totóque sparsum imperio, reliquorum quoque animos in eosdem patres concitasse. Denique post multa vltro citróque agitata, eò ventum, vt quas Patriarcha haberet à summo Pontifice facultates noscere vellet Imperator, & proferri Pontificias literas; ac diplo

diplomata iuberet; simúlque contenderet, nullum Nonio ius esse ad mutandas cõsuetudines, quas ipsamet Apostolica sedes multis sanctionibus confirmasset. Nuntium item Apostolicum habere se à Clemẽte VII. concessum, & à cæteris deinde Pontificibus stabilitum, quid alio opus esse? Eamdem fuisse antiquioris Archiepiscopi querelam; grauiter enim questum, quod à sua dignitate immeritò deturbaretur. Eamdem Antistitum reliquorum, quibus videretur indignissimum, iniussu Romani Pontificis rem tam arduam tentari. Cùm tam in suis regionibus animorum perturbationem cerneret Imperator, de Lusitano Rege, quòd falsam, de Æthiopicis rebus summo Pontifici, & Ignatio Loiolæ opinionem iniecerit, cœpisse queri; simúlque statuisse, ne Patres iis vterentur facultatibus, quas habere se dicebant, donec rebus omnibus Apostolicæ sedi rectè ac ritè expositis, quid esset agendum, ab eadem sede decerneretur. Eos igitur sua spoliatos potestate in remotum ab vrbe locum secessisse; ibíque ædiculam, qua reciperentur, construxisse; terram demum cœpisse colere, legumina serere, suóque ex labore victum quæritare. Delatum deinde hoc ad Imperatorem, qui talem viuendi modum in suam vergere infamiam prudenter aduertẽs, equites miserit Prætorianos, vt omnes ad vnum Patres ad se reducerent. Id verò cùm fieret, tantum ad eum locum, vbi erant, factum esse hominum concursum, vt Patres sibi persuaserint, adesse felicem pro Christo moriendi horam. Vbi in conspectum venere, fuisse ab Imperatore non mediocriter increpitos, quòd inscio se & inuito abierint, eámque elegerint viuendi rationem: fidenter peterent quæcumque essent ad victum cultúmque necessaria, nihil ipsis, dum

in

in Abaſſia morarentur, defuturum. Denique inter has rerum viciſſitudines Patriarcham Ioannem, magno hominem natu, cùm viribus eſſet pæne conſumptis, agere de diſceſſu cũ reliquis cœpiſſe, nécque difficile in ſuam eos pertraxiſſe ſententiam, & quia inſoliti cœli ſolíque tædebat, & quia Luſitani erant, quod hominum genus rebus ſuis plus iuſto deditum, vix a patria diuelli poteſt, & alienas terras ægrè admodum incolit, quod nihil eſſe in mundo credat, quod Luſitano ſolo conferri queat. Goam igitur omnes nauigaſſe, vno excepto Andrea Ouiedo, qui ſe aliò iturum negarit, cùm ad illam eſſet prouinciam ex obedientia delatus, quam nec mortuus quidem vellet deſerere. Homo quippe, vt nouus auctor ait, Caſtellanus erat, firmus & conſtans, quíque vel vnius tuendæ aut propagandæ veritatis cauſa nullos omnino labores, nulla mortis pericula formidaret. Hunc enim ſapienter & mature conſideraſſe, non eſſe prudentis magiſtratus velle confeſtim ſubditorum mores corrigere, atque inueteratas longo annorum interuallo conſuetudines vno die extirpare. Reliquis ergo ex Æthiopia diſcedentibus, ſolum Andream manſiſſe; lentóque paſſu in re tanta, vt par erat, procedentem, Patriarchatus officio, quod à Ioannis diſceſſu ſtatim accepit, ita functum, vt in ſummo omnium fuerit tum amore, tum honore; tanta inſuper apud Imperatorem gratia & auctoritate valuiſſe, vt ad expedienda Europæ negotia, regius quidam Senatus, qui inter Abaſſinos Latinus dicitur, eius conſilio ſit inſtitutus. Demum poſt vitam plurimis virtutum operibus ſanctiſſimè actam, ab hominibus demigraſſe, mirúmque omnibus ſui deſiderium reliquiſſe. Eius funus eadem pompa & celebritate, atque iiſdem, qui Imperatoribus exhiberi

ſolent,

ſolent, elatum fuiſſe honoribus. Sepultum corpus in templo ſancti Spiritus in mõte Amara, pręſente Imperatore, & cum cætera Imperij nobilitate exequiarum iuſta perſoluente. Hæc omnia nouus auctor, & eiuſdem generis plura tam promptè, quàm falsò, incertum quo animo, mandauit literis. At in tota hac narratione nihil pæne eſſe, quod veritatem ſapiat, ſine dubio conſtat. Non eſt mihi animus, vt iam dixi, omnia, quæ falſa eſſe ſcio, ſcripto refellere; ſed ea tantùm, quæ noſtro obſunt inſtituto: & quoniam nemini ferè ignota res eſt, id faciam molli, vt dicitur, brachio, & quambreuiſſime.

Quantum à vero abſit ſuperior narratio.

CAPVT XVI.

AB initio miſſionis, de qua proximè dictum eſt, initium ſumam. Ait nouus auctor, negotium de creando Patriarcha & Epiſcopis cum Iulio tertio à Luſitano Rege agi cœptam; ob Iulij tamen & ſucceſſoris Marcelli obitum ad Paulum quartum delatum, & ab eo tandem abſolutum. Hoc inprimis falſum eſt, cùm conſtet eligendi & creandi poteſtatem ab ipſo Iulio fuiſſe conceſſam, & ab eodem diplomata in Luſitaniam miſſa: licèt Patres ipſi, ſedente iam Paulo quarto, & rata diplomata habente, fuerint inaugurati. Ait deindè Patriarcham & Epiſcopos patriarchalibus ac pontificiis ſacris Romæ fuiſſe initiatos. Sed hoc etiam commentitium eſt. Nonius enim & Ouiedus initiati ſunt Oliſipone, Carnerius Goæ, quo vno ante vtrumque anno cum ſociis aliis fuerat ex Luſi-

tania profectus. Ita in Societatis annalibus traditur, & aperta ſcientibus res eſt. Ait præterea, hos tres Antiſtites cum reliquis ſociis acceptam à Paulo IV. Pontifice, & à B. Ignatio pace ac ſalute, Roma in Luſitaniam profectos, Oliſiponem perueniſſe; nauémque ibi ingreſſos, ſimul in Æthiopiam nauigaſſe. His in verbis, etſi paucā ſunt, multa continentur falſa. Ioannes enim neque tunc Romæ erat, cùm Patriarcha creatus eſt, neque, vt credo, fuerat vmquam. Reliqui ſocij, Ouiedo excepto, an Romam viderint, ambiguū mihi, pleroſque ex iis non vidiſſe, certum. At Ouiedum, quamquam ab Neapoli euocatus Roma tranſierit, non ibi tamen, ſed Oliſipone conſecratum, vt iam dixi, dubitari nequit. Cùm ergo patres iſti Romæ non fuerint, inde in Æthiopiam fuiſſe profectos, apertè falſum eſt. Sed neque ex Luſitania ſimul, neque, quod eſt conſequens, in eadem naui, neque anno eodem, neque in Æthiopiam rectà, ſed in Indiam nauigarunt; neque eò omnes peruenere incolumes; ſed eorum tres facto naufragio in itinere periere. Conſtat enim anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimó quinto ſoluiſſe Oliſipone Antoniū Quadrium, Melchiorem Carnerium, nódum Epiſcopum, & nonnullos alios, qui Patriárcham in eadem vrbe ad grauia negotia relictum in annum inſequentem Goæ præſtolarentur. Illi quoque, qui tunc profecti ſunt, in varias naues, vt fit, impoſiti, Monſambicum ſalui tenuere. Sed poſt dies aliquot in iiſdem nauibus inde ſimul egreſſi, cùm ſecundo vento in Indiam contenderent, nauis vna, cui à Conceptione nomen, dum leucis circiter quingentis ab Indica ora diſtans curſum conficeret, per noctis tenebras in breuia impacta, vado hæſit, & paulatim diſſoluta eſt. In exiguam

pri

primùm insulam, quæ prope comparuit, se vectores nautæque recepere. Dein pars maior partim scapha, partim cymba ex naufragij reliquiis raptim confecta, itineris ignara per immensam maris vastitatẽ & sũma pericula, regẽte Numine, in Indiam nauigauit. Cæteri, quòd Nullũ tunc haberent nauigiũ, quo vehi possent, in Insula remansere; cum iis è Societate tres, Andreas Gonzaluius Metinnensis, Pascalius cognomine & patria Cathalanus, Alfonsus Lupius Nauarrus, quibus cum ad demigrandum liberaliter offerretur in cymba locus, ne turbam in insula manentem desererent, seipsos deseruere. Transactis nouem à naufragio mẽsibus, cùm nulla ex parte ostenderetur vitę remedium, iunctis inerter atque interligatis oblongis quibusdam tabulis, quemdam veluti lintrem confecerunt, quo cum triginta aliis conscenso, post duos nauigationis menses insulam aliam rebus omnibus priori inferiorem repererunt. In hac ipsi cum paucis aliis inedia & labore consumptis, cùm ad meliora tentanda non suppeterent vires, remanere coacti sunt, & breui, vt creditur, interiere. Insequente anno, qui fuit humanæ salutis quingentesimus quinquagesimus sextus supra millesimum, Patriarcha Nonius, Episcopus Ouiedus, & alij ex Societate cum Fernando Sosia in Æthiopiã legato, tertio Calendas Apriles Olisipone soluerunt. Sosia inter nauigandum extinctus est, Patriarcha cum sociis Goam appulit incolumis, neque inde vmquam, vt paulo pòst constabit, in Æthiopiam traiecit. Ficta igitur sunt, quæ de eiusdem Patriarchæ in Archicum aduentu, de ingressu in Æthiopiam, de ipsius cum Claudio colloquiis & dissensionibus, de nouo clericorum cœlibatu instituendo, de exigendis decimis, de Apostolicarum literarum facultatúmque o-

sten

ſtenſione,de diſceſſu ex Æthiopia,de reditu in Indiam, déque ſexcentis aliis,cum ſumma & Patriarchæ iniuria,& proborum hominum offenſione , & legentium pernicie fuere narrata. Vbi nam eſt, quod auctor ille auſus eſt indicare,malè Patriarchæ, culpa ſua, cum Imperatore Claudio conueniſſe? Mercenarij more operam ſuam mercede locaſſe? ſordidè & auarè decimas ſtatim exigiſſe?ſuis fuiſſe deditum commodis? rei difficultate , & laboris metu deterritum oues proprias reliquiſſe, & cum aliis Societatis religioſis , qui eum fuerant comitati , in Indiam confeſtim remeaſſe? Iſta quidem,vt in re indigniſſima manſuetè agam , apud nullum ſcriptorem auctor iſte legere potuit;cùm certiſſimum ſit,Ioannem Patriarcham per eam,quam dicam occaſionem ad extremum vſque vitæ finem Goæ perſtitiſſe. Atenim quanta innocentiſſimo viro ſit iniuria , cùm adeò temere iis notatur vitiis , à quibus,quantopere in tota vita abhorruerit , præclariſſimis teſtimoniis prædicant Luſitania, Mauritania , India,quibus ille in locis ita vixit, nemo vt ipſum agnouerit, qui ſanctiſſimum eſſe , & ab omni ſceleris labe alieniſſimum non fateretur.Cæterùm quàm iniquè in ſanctiſſimum virum hac in parte peccatum ſit,demoſtrabunt ſequentia, quæ grauiſſimorum hominum literis ac vocibus,ita ſunt ſtabilita, vt qui fidem neget, temerarius planè atque impudens ſit. Ad hæc, quæ de Epiſcopis, Archiepiſcopis, & plurimis aliis eiuſdé generis ab eodem auctore , multis in locis magnificè deſcribuntur,inania eſſe,ex dictis conſtat. Nam præter vnum Abunam,de quo ſæpe memini , in toto Abaſſinorum Imperio alius non eſt , qui Epiſcopali vel auctoritate polleat , vel dignitate excellat. Quæ de Apoſtolico nuntio dicta,non falſa modò , ſed pæne

quoque pugnātia ſunt. Apud quem infidelem principem Romani Pontificis nuntius eſt? Si quis tamen in Æthiopia ſit, ibíque Apoſtolicam habeat auctoritatem, quid opus eſt hominem cogere, vt in grauioribus negotiis vel Goanum Antiſtitem, vel Luſitanum nuntium per literas conſulat? Iam verò quis æquè ferat tanta cum indignitate & contemptu tractari Ioānnem III. Luſitanorum regem, virum prudentiæ, ſanctitatis, & omnium virtutum laude ſuo ſæculo tantum, vt neque inter æquales, neque multis retro ſæculis vllus extiterit, quem ipſi vel noſtra, vel patrum ætas iure anteponat? Quod dictum eſt de gente Luſitana plus iuſto patriam amante, ipſíque adeò addicta, vt neque alibi poſſit commorari, neque vllam orbis partem præ illa ęſtimet, tam eſt verum, quàm ſunt reliqua, in quibus ne minima quidem apparet vmbra veritatis. Nam ſi de religioſis Societatis agitur, quis non videt, quantum verba illa abſint à vero? Neque enim illi, qui maiorum ſuorum imperio ſuis ab vrbibus, & ab iis, in quibus educati ſunt, collegiis, aut domibus, atque à ſuorum conſpectu & conſuetudine abducti, ad Indos, ad Sinas, ad Iaponios, ad Molucos, ad Braſilios, ad Guinæos, ad varias Æthiopum regiones, alióſque per orbem populos ex Luſitania proficiſcuntur, niſi grauiſſima vrgeant negotia, reuerti vmquam in patrias ſolent; ſed in iis ipſis locis, quibus eos obedientia ſemel addixit, ad vitæ finem conſtantiſſimè perſeuerant. Hoc enim animo numquam amplius ad natale ſolum reuertendi conſcendunt nauim, è portu ſoluūnt, in altum feruntur, ventorum ſe arbitrio committunt. Laus tamen iſta, omnium Societatis religioſorum eſt propria. Quicumque enim ex ea, ſiue Luſitani, ſiue Bætici, ſiue Caſtellani, ſiue Itali,

Galli, Germani, Angli, Belgæ, Hiberni, cæteríque Europæi ad portandam infidelibus Euangelij lucem in Africam, in Asiam, in orbem nouum destinantur, nisi eadem, quæ misit obedientia, reuocet, ibi, quò missi sunt, finire solent vitam. Peculiare namque ipsis est, cætero patria, & ibi viuere, & vitam absoluere, vbi erit Deo acceptius. Atque vt à nonnemine dictum accepimus: Ibi patria est, vbi bene est; sic istud proprium est huius familiæ insigne: Ibi bene est, vbi ęterno placet Numini. Et quidem, vt omittam alios, ex toto eorum numero, qui à condita Societate ad hunc vsque diem in Æthiopiam intrarunt, præter Gonzalum Rodericum, qui rediturus ierat, vt de Imperatoris Claudij proposito Indicum Proregem moneret, nullus est ad nos reuersus; sed omnes, quinque exceptis, qui adhuc supersunt, summa cum laude & gentis fructu extremum ibi diem obiére. De Lusitana gente quid hac in parte attinet dicere? Quæ nam alia est in orbe natio, quæ magis lustret alienas terras? quæ magis toto mundo sit diuisa, quæ minus videatur patriam amare, & in pretio habere, cùm tamen secus facere non iniuria posset? Quas oras terrarum non adit? quis tam disiunctus, támque remotus in orbe locus, quem non penetret? quæ tam sterilis & inculta regio, quam non habitet? quis tam abstrusus aut reconditus in vlla prouincia angulus, vbi non figat sedem, & domicilium? Quid notius, quàm tota Africa, & Asia plurimas esse Lusitanorum colonias? Sub Æquetore sunt, sub ardente plaga, per totam maritimam Guinææ oram ab Hesperio cornu siue Arsinario promontorio; caput viride recentiores vocant, ad Congi vsque & Angolæ regna locis multis diffunduntur; in Mosambico degunt, in Sofala, in Manomotapa, in ora Melindis, in

Monbaza, apud Æthiopas Eoos, pluresque alias gentes lingua, moribus, rebus ferè omnibus dissimiles. In orientali India nulla pæne regio est, in qua non sint & Lusitani plurimi, & permultæ eorum coloniæ. In ora Peguana, in Sione, in Malacha, siue aurea Chersonesso, in insulis Moluchis, in Cambaia, apud Sinas, apud Iaponios, apud populos vniuersos. Videat nunc auctor iste, quàm verè & rectè scripserit, Lusitanam gentem vix à patria diuelli posse, vix in alienis oris commorari, quæque his similia sunt, quæ nemo rerum sciens audire queat sine risu, vt inania, neque sine indignatione, vt temeraria, vt iniuria, vt perniciosa? Nec minus auctor iste in Ouiedum peccauit. Fuit ille quidem, vt postea videbitur, plurimis & maximis cumulatus virtutibus, quod neque hostes negare aut occultare potuerunt. Sed quòd inuito Patriarcha Nonio, eóque discedente in Æthiopia manserit; quòd statim ab eius discessu Patriarchæ sibi munus noménque arrogarit; quòd Latini cuiusdam Senatus instituendi consilium Imperatori dederit; quòd eidem Senatui ab eodem Imperatore fuerit præfectus; quòd denique multa alia præstiterit, quæ præstitisse scribit, ita abest à veritate, vt nihil ab ea possit fingi remotius. Etenim neque Ouiedus cum Barreto in Æthiopia vmquam fuit, vt dictum est; neque si fuisset eo inuito inibi remansisset. Quòd à Barreti discessu Patriarchæ sibi munus, noménque vsurparit, licentius scriptum est, quàm vt moderatè ferri queat. An adeò erat nescius, vt ignoraret, quid sibi liceret? An adeò iniquus, vt alienam inuaderet possessionem? Quid, si ipso viuete in Æthiopiam Nonius, vnde fingitur discessisse, mutato consilio reuerteretur? Esséntne eiusdem Ecclesiæ duo simul superstites & Catholici Pa-

triarchæ? Duo eamdem vxorem ſimul haberent viri? An opus eſſet, vt eorum alter inuitus etiam & nolẽs, Patriarchatu ſe abdicaret? Itaque Ouiedus neque munere neque nomine Patriarcha fuit, niſi poſtquam è viuis abiit Ioannes, quod anno contigit ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto. Vbi mortuus ſit, vbi ſepultus, dicam ſuo loco. Quæ de Latino ſenatu, déque aliis eodem ſpectantibus idem auctor finxit, aut ab alio ficta accepit, & quod non debuit, literis mandauit, iam ſuprà redarguit, & eiuſmodi ſunt, vt ne rudiſſimum quidem, atque omnis ignarum hiſtoriæ fallere poſſint. Ad Ioannem redeo, cuius eximia in patriarchatu demiſſio multo ipſum, quàm eadem dignitas, fecit illuſtriorem.

Quomodo Ioannes ſe geſſerit, poſtquam Patriarcha creatus eſt.

CAPVT XVII.

OLiſipone in Templo ſanctiſſimæ Trinitatis, quod domui ſancti Rochi, vbi Societatis profeſſi habitant, propinquum eſt, Patriarchali ordine Barretus, Epiſcopali Ouiedus ſumma omnium ordinum celebritate eodem tempore initiati ſunt. Profeſſa enim Societatis domus nondum fanum habebat tanto concurſui accommodatum. Ioannes Rex, quòd ad Patriarchatum elegiſſet virum talem, quem ſuſpicerent omnes, ac mirarentur, ſummíſque honoribus digniſſimum iudicarent, adeò erat lætus, vt de ſuo Patriarcha ipſe ſibi præ cæteris gratularetur. Quo verò illum ſæpius habere præſentem poſſet, & facienti

cienti assistere, voluit vt in regio Sacello solemni ritu frequenter litaret. Præter alia verò, quibus optimus rex est, singularem in Deum religionem, & insignem aduersùs Societatem, ipsúmque Patriarcham beneuolentiam mirificè testatus est, munera addidit varia & pretiosa. Ad vsus sacros vestes dedit holosericas, damascenas, conchyliatas, opere vermiculato compositas, acu pictas, aurò intertextas. Dedit cruces, calices, pyxides, & alia vasa ex auro & argento facta fabrè, & magnificè, ac pretiosè cælata. Multam aliam præterea supellectilem optimam & pulcherrimam, qualē vel ipsa Europa, cui ferè magna omnia præ vsu viluerunt, non sine commendatione perspiceret. Volebat quippe Rex inclytus & religionis amantissimus, vt Abassinæ illæ gentes, ad quas Ioannes erat Patriarcha destinatus, vel ex ipso sacrorum apparatu agnoscerent, quantum Deo immortali, cæterísque cœlitibus colendis Romana Ecclesia inter cæteras emineat; vt etiam inde in cupiditatem venirent cum suo vero capite, hoc est, Romano Pontifice se coniungendi. Atenim quod ad rem præsentem attinet, scio à magnis viris animaduersum, immensum illud Numen, quod regit & tuetur omnia, vniuersum genus hominum, atque ipsos inprimis veræ fidei cultores, quos semper in terris fuisse, nemo ignorat, sua admirabili prouidentia ita solitum gubernare, vt per varias sæculorum ætates, temporibus diuersis, huic inferiori mundo alios atque alios dederit, sicque vsque ad finem daturus, quorum partim exemplo, partim labore & industria vetus disciplina & collapsi mores restitui queant; quósque, cæteri mortales, velut expressa quædam virtutum exemplaria, suo quemque gradu & ordine, sibi proponant imitandos. Talem si-

fuisse dixero Ioannem Patriarcham, haud erit, credo, qui dicenti obsistat; si quis enim paululum consideret, qua ille ratione in sua illa patriarchatus dignitate se gesserit; necesse est, fateatur, idcirco fuisse à Deo ad hoc munus electum, vt esset, qui primos illos, quos suo in exordio Christiana Respublica Episcopos habuit, vita & moribus referret; & in quo splenderent omnia, quæ in quolibet Antistite pontificiam auctoritatem decorant maximè, & eximiè commendant. Summa in eo eminebat submissio, nec minor sui, rerúmque suarum despicientia. Christi Opt Max. Pontificum principis vestigia insequens, adeò non ferebat vllam sibi à quoquam exhiberi seruitutem, vt qui frequentiùs religiosis seruiret, esset nemo. Ipsis accumbentibus necessaria ministrabat. Continuus erat coqui adiutor. Lances, pyxides, ollas, & cætera coquinaria vasa, deposito episcopali anulo, cum cura & voluptate abluebat. Hæc ille & alia generis eiusdem tanta præstabat alacritate, vt ad similia exemplo suo facile reliquos pertraheret. Quis enim Ioannem Patriarcham videns aut torpori sederet, aut sectaretur grandia, aut non sponte curreret ad vilia? Qui auctoritate vel honore, aut quod minus est, natu inter alios antistant, intelligere debent, illorum mores totámque vitæ rationem habere se, vt ita dicam, in manu; cùm in vtramque partem firma iis viuẽdi sint. Neque illud ignorent, quod est satis exploratum, vt salutari ipsorum exemplo valde prouehitur, publica res; ita pernitioso maiorem in modũ eamdem pessũdari. Cùm igitur omnes, qui in aliqua viuũt hominum Societate, curare diligenter debeant, nihil vt agant, quod aliorum æmulatione dignũ nõ sit: iis certè, quos vel dignitas, vel ętas, vel quidpiã aliud, in quo excellũt, conspi

conſpiciendos proponit, ſummopere elaborandum eſt, ita ſe in rebus gerant, vt auctoritatem ſuam probent reliquis, atque ad id, quod erit factu optimum, eos impellant. Hæc vna Ioanni mens ad Patriarchatum euecto. Plurima exercuit opera virtutum, quæ iure poſſet prætermittere; nec omiſit aliquid, quod ad aliorum imitationem laudabiliter trahi poſſet. Pœnitentiæ ergo ſacramentum tam aſſiduè miniſtrabat, vt ne iis quidem cederet, qui munus idem ex obedientia ſibi impoſitum, accuratiſſimè fungebantur. Ibat ſæpe ad externos ægrotos, eorum exceptum confeſſiones, ſi quando aliquis ad ipſos ex Societate confeſſarius accerſebatur. Nec verò curabat, nobiles eſſet, an ignobiles, diuites an pauperes, domini an ſerui; æquè ipſum caritas rapiebat ad omnes, cuiuſcumque ſtatus eſſent & conditionis, ſiue domi ſuæ decumberent, ſiue in vinculis tenerentur. Res in hoc genere contigit, non indigna relatu. Vocatus aliquando eſt ex Societate aliquis; vt ægrum hominem confitentem audiret. Negotium Patriarcha ſuſcepit. Vocantem pone ſequens, cùm forte præter palatiū principis Ludouici, Ioannis regis fratris, ſimul cum ſocio pertranſiret, viſus ab eo ex feneſtra & cognitus eſt. Princeps id quod erat, ſuſpicatus, tantámque hominis ſubmiſſionem & facilitatem admirans, vnum vocat ex famulis; iubet vt Patriarcham ſequatur, & obſeruet diligenter, quam ſe in domum inferat; & quid ibi agat. Gradum famulus accelerat, & Patriarcham inſequens tandem aſſequitur, tandiúq; à tergo comitatur, donec ad locum ventum, vbi cubiculum erat humile pæne ſubterraneū, atque inibi iacens Æthiopicum mancipium, graui morbo correptum. Ingreditur Patriarcha, ægrum reperit, blandè alloquitur, ſolatur, & ad patientiam exci-

tat, auréſque præbere incipit confitenti. Quibus obſeruatis ad principem ſuum homo regreditur celeri greſſu: ex ordine rem totam illi narrat. Ferunt principem ipſum, vt erat vir verè magnus, & æquiſſimus virtutũ æſtimator, ire per ſe ad Patriarcham voluiſſe, vt cum ea, quæ tanto viro atque eius meritis & dignitate debebatur, magnificentia domum illum reduceret; abſtinuiſſe tamen certas ob cauſas, & ob eam maximè, quòd veritus ſit, nedum honorare Patriarcham cuperet, moleſtia afficeret, magíſque modeſtiæ ipſius eſſet oppugnator, quã dignitatis defenſor. Mulam ergo (carpentorum enim tunc vſus & id genus vehiculorum in Luſitania nondum erat) confeſtim iubet præparari, eámque cum nobili equitum & peditum comitatu ad illum duci, vt qua decet ſtatus ſui exiſtimatione domum reuertatur. Properant, qui miſſi ad excipiendum & comitandum Patriarcham. Reperiunt adhuc audienda confeſſione præpeditum. Expectant, donec abſoluat. Ludouici verbis cum reliquo apparatu mulam ipſi offerunt ad regreſſum. Ingenuo ille pudore ſuffuſus ſereniſſimo principi gratias primùm agit: tum ad eos, qui adſunt, ſibi mula & tali comitatu opus non eſſe; pedibus cum ſocio reuerſurum. Neque putare ſe, vllã fieri patriarchatui iniuriã, ſi id Patriarcha faciat, quod Princeps Patriarcharum ſummus, quod eius etiam Apoſtoli, magni & ipſi orbis terrarum principes ac Patriarchæ, dum apud nos viuerẽt, fecere: eos dum imitatur, nihil ſe efficere vile, aut dignitati ſuæ repugnans. His dictis aulici dimiſſi; ipſe domum, vt ad ægrotum ierat, cum Socio reuertitur. Et verò tanta cum grauitate hæc ſubmiſſionis opera faciebat, vt ex abiectis huiuſcemodi miniſteriis Pontificia apud eum dignitas non modò nullam
pateretur

pateretur auctoritatis iacturam, sed ingens potiùs acciperet incrementũ. Molestè ferebat, vlli se in mensa, in cubiculo, in re alia anteponi; nec accipiebat quidquam ad vsum, quod non esset omnibus commune. Pedes exibat domo, cùm exire opus, sine famulo sine vllis patentibus pontificiæ dignitatis indiciis, religioso tantùm socio, vt quiuis alius comitatus. Nec apparatu maiori Conimbricam petiit, vt Conimbricenses socios inuiseret, & corám salutaret, vltimáque cum iis haberet colloquia, atque extremum vale diceret in Indiam profecturus. Sed & paucis illis diebus, quibus est Conimbricæ commoratus, non obscura aut pressa leuiter, sed illustria, solida, altéque fixa reliquit vestigia eximiæ sanctitatis. Ibi etiam de more sæpius ad coquum ibat, suam illi operam præstiturus. Vasa escaria, ollas, ahena, lebetes, & cætera huiusmodi libens tergebat; nec omittebat quidquam rerum earum, quę in eo ministerio sordidiores putantur. In triclinio cibaria accũbẽtibus apponebat, iis præsertim, qui erant in tyrocinio; ex quibus cùm videret quemdam humi sedentem, supráque genua mantile explicantem, vt ibi cibum sumeret, idem mantile suis ipse acceptum manibus extendit super humum, comiter & amicè monens, maioris id esse submissionis indicium, quæ vt parua & nullius esse momenti videantur, non solẽt tamen à magnis viris contemni; quibus certum est, nihil tã esse exiguum, ex quo & se & alios iuuãdi captare nequeant occasionem; cùm & in rebus minimis, nisi spernantur, magnarum sit commoda virtutũ. Itaq; cũ Patriarcha plurima Conimbricæ valdéq; insignia dedisset probitatis ac submissionis documenta, omnésque ad perfectionis studiũ inflammasset, appetente Indicæ nauigationis tempore Olisiponem reuersus est.

Legatione missa exploratur quo animo sit Abassinus Imperator ad recipiendum Patriarcham, & socios.

CAPVT XVIII.

PRiusquam in Æthiopiam Antistites cum sociis proficiscerentur, visum Ioanni Regi constanti Abassini tentare, ipsúmque per legatos ad Patriarcham & socios excipiendos reddere promptiorem. Mandauit igitur Petro Mascaregnę Indico Proregi, vt Goa legatum mitteret in Æthiopiam; cuius opera Preteiannis exploraret animum, eúmque ad Patriarchæ & sociorum aduentum præpararet. Sciebat facile mutari Æthiopa ingenia, nec in eodem diu proposito persistere. Ad hoc negotium deligitur à Prorege Iacobus Diaz, vir nobilis; datur illi ex Societate comes Gonzalus Rodericus, probus, prudens, doctúsque Sacerdos. Huic adiungitur Fulgentius Frerius, rerum multarum peritus homo, & experiens. Septimo Idus Februarias, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto duabus biremibus è Goano portu soluunt, & aliquot post dies appellunt ad Archicum, qui portus ad Abassini ditionem tunc temporis pertinebat. Terrestri inde itinere Imperatorem petunt, atque in cõspectum & colloquium admissi, Regis Lusitani epistola perlecta, quæ habent in mandatis, coràm exponunt. Mutatam reperiunt Claudij voluntatem, longéque ab ea diuersam, quam & Dauid habuit eius pater, & ipse initio aditi Imperij habere se per literas Ioanni Regi significauerat. Hic ille Claudius est,

est, ad quem antea Zeilano oppressum bello Stephanus Goma, Indicus prætor cum fratre Christophoro duce quadringentos miserat Lusitanos bellatores, quorum ope regem Zeilæ, qui frequenti Saracenorum atque Turcarum fultus præsidio, annis iam quatuordecim infesta in Abassiam arma inferens magnam vbique edebat stragem, fuso fugatóque exercitu interemit, & quas amiserat terras, pulsis hostibus recuperauit. Hic ille est, quem obedientem fuisse Romanæ Ecclesiæ filium falsò nouus auctor prædicat, & quòd cum Saracenis dimicans ceciderit, auctoritate sua in Martyrum numero ferè reponit. Quæ enim auctor iste de recta Claudij fide, de rebus ab eo præclarè gestis, déque ipsius gloriosa, vt vocat, morte scribit, apertè falsa sunt; quemadmodum & quod addit Ioannem Balthasarem Abassinum, cùm Veronam Italiæ vrbem fuisset ingressus, & cognouisset in collegio Societatis Iesu, quod ibi erat, habitare Maffeium, illum cum duobus aliis nobilibus veris adiisse, & productis in medium multis, fidéque publica approbatis testimoniis, adeò apertè ostendisse, falsa esse, quæ de Imperatore Claudio scripserat, vt ipse Maffeius veritate compulsus, coram collegij Patribus, qui omnes præsentes aderant, eundem Balthasarem beneuolentiæ & amoris ergò arctè sit complexus, & quòd tanto se errore liberarit, gratias egerit quammaximas, promittens se in alia operis sui editione omnia, vt in approbatis illis scriptis legerat, perspicuè traditurum. Hæc enim & superiora, quàm sint inania Gonzali Roderici patefacient literæ, quas anno insequente millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, Idibus Septembris, ex Æthiopia in Indiam reuersus ad Patres Societatis Goana ex vrbe in

Lusi

Lusitaniam misit. Autographum Olisipone in archiuo Societatis asseruatur; ex eo, & ex epistolis aliis grauium virorum, qui de eadem re ex Æthiopia & India in Europam scripserunt, atque ex gestarum rerum monumentis accepit Maffeius, quæ memoriæ commendauit. Quæ ex Gonzali literis ad rem præsentem spectāt, quamquam multa sunt, lubet producere in medium latinè reddita; non enim aliunde certius, quàm ex ipsis cognosci res potest. Postquam igitur Gonzalus initio literarum recenset, quos mari terráque inter eundum ipse & socij perpessi sint labores, de quibus non habeo necesse dicere, ita scribit. Decimosexto Calendas Iunias ad Æthiopæ regem peruenimus. Is in castris erat, plurimis vndequaque circumdatus papilionibus. De nostro factus certior aduentu, præparari iussit hospitium, quo reciperemur. Altero statim die illum adiimus. Intra tentorium nobili stratum tapete & serico peristromate elegantet exornatum, thoro sedebat cortina aperto. Eò Iacobus accedens, quas portabat, regias literas sedenti porrexit. Iussit vt coram omnibus Lusitanis, qui in castris erant, alta voce legerentur. Ita factum. In iis præter alia scribebat Rex Ioannes, anno insequente missurum se ad illum ex domesticis suis vnum, & aliquot insuper viros religiosos, qui multis animi & naturæ dotibus essent præditi, vitáque & doctrina maximè excellerent. Vt ista Claudius audiuit, subitò correptus mentis stupore frontem contraxit; & concepti animo fastidij certa ore atque oculis præbens signa, nihil respondit, quod ad rem faceret. Hoc modo ab eo dimissi, ad assignatum rediimus hospitium. Biduo vel triduo pòst ad inuisendam auiam suam, quæ decem prope dierum itinere distabat, profectus est. Nos

patente

patente in campo relicti, ne hominem quidem vnum habuimus, qui Imperatoris nomine quidquam egentibus offerret. Non fuimus tamen à Deo deserti; eius benignitate & prouidentia factum, vt Lusitani generis homo curam nostri susciperet. Ille nos ad locum duxit, cuius erat dominus, tres circiter leucas distitum, domíque suæ exceptos, ac suorum curæ commendatos cùm reliquisset, Imperatorem insecutus est. Mensem ferè vnum hoc in loco traduximus. Quo tempore de Abassinorum erroribus, & Romanæ fidei veritate libellum composui, quem redeunti Claudio offerrem. Is enim, vt à Lusitano quodam valde ipsi accepto cognoui, apertè dicebat, neque indigere se doctrina nostra, neque in animo habere Romanæ Ecclesiæ obedire. Vulgo etiam iactabatur, optimates quosdam palàm affirmare, faciliùs se iugo Saracenorum suppositiuros colla, quàm mores proprios cũ nostris commutaturos. Qua etiam ex parte in ea magis firmabar sententia, vt quæ vellem, à nobis Imperator agnosceret, ea scripto potius quàm ore traderem. Sic enim fore, vt ex eius respõsione elicerem quid in animo haberet, & consilium detegerem tanto nobis tẽpore dolosè opertum. Cumprimum igitur ad hæc loca rediit, ad castra nos cõtulimus. Ibi à Lusitanis militibus fuimus excepti. Imperator enim memoriam nostri penitus deposuerat, nec quo essemus loco, aut quid ageremus, scire amplius curauit. Quoniam verò libellum composueram idiomate Lusitano, vertíque in Chaldæum oportebat, ab ipso per literas petij, vt assignari mihi iuberet monachos duos ex iis, qui peritiores viderentur, vt possent aliqua fidei Christianæ dogmata in Chaldaicum sermonem aptè vertere; velle enim me scripto ostendere quàm immeritò Abassini

ſini cum hæreticis numerent Romanæ doctrinæ ſectatores, & peiores eſſe aſſerant Mahumetanis; hoc enim ipſos palàm dicere & prædicare. Quoniam verò ſciebam, eſſe apud eos librum, quem Francorum vocant adulterium, ab Alexandrinis ſchiſmaticis cõpoſitum, in quo & Chalcedonenſe reprobatur Conciliũ, & multa nobis mendacia affinguntur; ab Imperatore etiã petij, vt iuberet illius mihi copiam fieri. Librũ negauit; monachos conceſſit; qui tamen cùm vertere opuſculum cœpiſſent, ſiue quòd ita haberent in mandatis, ſiue quòd aliquid timerent, ſiue qua alia occulta cauſa, cœptũ opus continuare omnino recuſabãt. Neceſſe fuit vt Luſitanorum militũ præfectus ſemel & iterum ea de re cum Preteianne ageret; cuius tandem iuſſu effectum, vt à monachis opus abſolueretur, verſionem iuuante Luſitano quodam, honeſto viro, & Chaldaicæ linguæ non mediocriter gnaro. Cũ rurſum opera indigerem alicuius, qui rectis characteribus traducta tranſcriberet; is ab eodem Imperatore & petitus, & conceſſus. Vix tamen operi manum admouerat, cùm in iram verſus Imperator, miſit ſtatim, qui ſcribam repeteret, ſuiſque mihi nuntiaret verbis, haud opus eſſe morari, vel compoſitum libellum ſiue rectè, ſiue ſecus eſſet ſcriptus, ipſi extemplo mitterẽ, vel talibus negotiis ſuperſederem. Ne igitur res ampliùs differretur, néve Imperator vllam poſtea peccati ſui excuſationem poſſet obtendere, neceſſariũ duxi, libellum, ſicut erat malè exaratus, & lituris infectus, illi oſtẽdere, certum ad id aſſignans diem, qui fuit Auguſti vigeſimus. Vbi dies hic aduenit, cum Luſitanorum præfecto & ſeptem aliis octóve Luſitanis hominem conuenio. Salute dicta, breui quodàm ſermone aduentus mei cauſam incipio exponere. Vetat ille vlterius

terius progredi, & aliò sermonem transferens, ictus omnes, quibus se impeti sentit, callidè declinat. Tum ego omittens cætera, libellum offero, quem legere incipiens tantum paulatim concepit furorem, vt inclusum animo virus continere nequeat, & foras euomat. Facultatem, inquit, à me petisti, vt libellum conficeres, in quo fidei declarares veritatem; & monachos etiam, qui Chaldaicam in linguam illum transferrēt, Vtrumque à me concessum. Ecce aliud actum à te. Neque enim fidei explicas veritatem, sed errores illis impingis, qui longè absunt ab erroribus. Oportuit etiam scire te, quantum hoc, quod aggrederis munus, à conditione tua, qui simplex sacerdos es, sit alienum. Nescis ista Episcoporum esse propria, nec nisi ad magnos pertinere Antistites? Quid ausus es in alienam messem immittere falcem? Fassus sum hominem me esse exigui momenti; nihil tamen fecisse, quod à mea esset conditione alienum; cùm ea scripserim, quę in libro Euangeliorum, & sacris Conciliis apertè continentur; quæque sunt Christiano homini omnino credenda. Multos, inquit, mihi ac meis errores obiicis, quibus nullo modo implicamur. Quid de tua, inquam, fide sentiendum sit, Imperator, non decerno. Tuos certè Abassinos à vera religione aberrare, dubiū mihi non est. Nihil enim illis falsò impono. Si placeat rē experiri, monachos tuos, & quos toto imperio hābes literatissimos, iubeas huc cōuenire; eos ego erroribus iis, quos in opusculo notaui, irretitos esse, ita palàm apertéque ostendam, nemo vt audeat ire inficias. Ille ad hæc, disputationum se odisse tricas, & propriū esse Ethnicorum superstitiones suas committere quęstionibus; Christi cultoribus, præsertim veteribus, id prorsus cautum. Annos iam transiisse plusquam mille

le, ex quo illam profitebantur fidem; si quid in ea inerat à vero abhorrens, quam ob causam tot per annos nemo fuerit, qui tales ipsis exprobraret errores, & id faceret, quod ego modò auderem facere? Ad hoc ego, Deum prauis hominum operibus irritatum, sæpe eos sinere hæc in mala ruere. Ageret propterea & haberet eidem Deo immensas gratias, quòd tali tempore, ipso nimirum viuente, & imperante, in Æthiopiam mitteret, qui sinceræ fidei monstraret viam. Tūc ille, In quatuor, inquit, Christi Ecclesia dissecta sedes est. Nos vni ex his sumus ab initio suboliti, ab ea nunc separari fas & iura vetant. Assentior, inquam, patriarchales, vt vocant, sedes quatuor ab initio fuisse: Romana tamen diuino statuto cæteris est præposita, vti omnium caput, mater & magistra. Cùm defecerint aliæ, quicumque illis contra Romanam obediūt, perduelles sunt, & à suo capite miserabiliter diuisi. Meū consule opusculum, in eo difficultatum omniū, quas mihi proponebas, solutiones reperies. Caueas tamen diligenter, ne propheticum illud, *noluit intelligere, vt bene ageret*, iure tibi aptetur. Denique verbis multis vltro citróque prolatis, Lusitanorum præfecto interprete, ad extremum addidi, me eo consilio libellum illum composuisse, vt scirem, velletne erroribus depositis Romanæ sedi parere; & religiosos illos ac doctos viros recipere, quos ad ipsum mittebat Rex Lusitanus: si enim eos apud se habere, & audire nollet, haud vllam esse causam, cur adire Æthiopiam deberent, qui nihil in ea aliud quærerent, præter Abassinorum salutem. Respondit suis se in regnis viros habere religiosos ac literatos, non indigere proinde vt aliunde alij ad se mitterentur; nec sibi vmquam fuisse in animo, se aut gentem suam Romano subiicere Pōtifici.

tifici. Quod enim Gaſpar Magdlanius apud Luſitanum Regem nomine ſuo fecerat, Arabici cuiuſdam Monachi, qui literas ſuas conuertit, errore fuiſſe factum; non enim mentem intellexiſſe ſuam. Tandem prçter Alexandrinum Patriarchā, cui ſemper fideliter obedierit, nolle ſe vllum prorſus alium agnoſcere in ſacris ſuperiorem. Quapropter cùm obſtinatiſſimum hominis animum moliri poſſe diffiderē, accepta venia, diſceſſi. Ille abeunte me, Luſitanorum intuens præfectum, qui cum ipſo remanebat, ſummis laudibus meam doctrinam extulit, aſſerens valdè mirari ſe, quomodo poſſem tam iuuenis tanta pollere ſcientia. Agnoui poſtea libellum meū integrum perlegiſſet ſemperq; illū habere in manibus, & ſæpè matri, ſæpè fratribus, aliiſque imperij principibus oſtendere. Illud etiam mihi renunciatum, Abunam, cùm rectè ſciret, quid ipſo libello contineretur, eius lectionem graui anathemate prohibuiſſe. Ob eam cauſam altero ab interdicto die miſſus ad eum eſt à Preteianne nuntius, qui legendi facultatem ſuo nomine poſtularet. Cùm Abuna negaſſet, verſus in rabiem Imperator multa in hominem probra & contumelias iactauit: multa contulit maledicta, vocauit hæreticum & Mahumetanum, qui cùm nequiſſimi pſeudoprophetæ Alcoranum legeret, tam ſanctum libellum, & à tali compoſitum auctore, legi vetaret. Addidit inſuper hoc, quandoquidem in eas venerat Abaſſiæ terras, vt Abunæ Doctoriſque munere fungeretur, quamprimum ad ea reſponderet, quæ ſimplex ſacerdos, & nulla præditus dignitate opponebat. Negauit Abuna, vllam ſe ſuſcepturum aduersùm me diſputationem; cùm non ad diſputandum, ſed ad conferendos ordines in Abaſſiam veniſſet. Interim cùm tota in aula de re

X nulla

nulla magis quam de hac homines vulgo loquerentur, atque ex aulicis quidam nobis, aduersæ parti fauerent alij, iudicauit Imperator consultatione opus esse. Nonnullos ergo monachos accersiit, qui putabantur literis & sanctitate præstare; iisque præcepit, vt libellum meum purè & correctè transcriberent. Valde timui, ne omitterent aliqua, quæ sciebam ab Imperatore, neque rectis legi oculis, neque æquis auribus auscultari. Hoc de genere erant illa, quę de Leone Romano Pontifice, de Dioscoro Alexandrino Patriarcha inserueram. Dioscorum enim virum sanctum, Leonem pessimum fuisse, in animo & in ore Abassinis est; & hunc quidem tanto aduersantur odio, vt nec ipsiús nomen absque horrore percipiāt. Chalcedonense quoque reprobant Concilium, & in fide errasse dicunt, atque iniustè Dioscorum condemnasse. Ab huius ergo Concilij tempore, cuius omnes sanctiones decretáque reiiciunt, à Romana Ecclesia sunt diuisi. Sequuntur etiam Sergij Pauli & Pyrrhi hæresim à sexta Synodo Constantinopolitana improbatam, & permultos alios errores. Vbi tempus aduenit, cùm mihi Imperator, vt promiserat, responsurus erat, contuli me in aulam, misíque ad illum qui nuntiaret, adesse me, & responsum expectare. Ad hoc ille, Patris, inquit, mei legatus decem in Lusitania annos fuit, nec potuit tam longo tempore negotium suum conficere; æquum igitur est, vt Lusitani Regis legatus responsum meum patienter expectet. Intellexi, quò ista tenderent, nec ampliùs morandum ratus, facultatem per internuntium petij in Indiam redeundi. Callidè rem distulit: neque enim decere, vt qui tantus essem vir, tanta redirem celeritate; præsertim cùm illuc venissem de summis rebus acturus: neque posse

me

me alibi fructuosius, quàm audiendis illic Lusitanorum confessionibus operam impendere. Si tamen omnino discedere statuerem, mensis adhuc vnius spatium ipsi concederem ad respondendum; eo finito quamuis nihil responderet, datam fingerem responsionem, & quò luberet, abirem. Post hæc, quarto Nonas Octobris misit ad me Imperatoris mater famulum quemdam, qui diceret, optare se mecum loqui, & calicem videre, quem Goa portaueram; valde enim extolli inter suos, vti rem præclaram & dignam visu. Accepto nuntio profectus illicò sum cum aliquot Lusitanis, quos ipsa voluit vnà mecum ingredi ad se omnes. Paucis præmissis, vbi ad Religionis negotium ventum est, ita dixit: Cùm vestra nostráque fides nihil prorsus differant, sed vna atque eadem sit, quid, quæso, oportuit, hac de re quidquam scribere, & quietos animos sine causa solicitare? Ad hoc sic ego breuiter: Nũ Abassini tui rectam teneant veritatis viam, ex iis quæ scripsi, poteris agnoscere. Hoc tibi Augusta, verissimè affirmo, quamuis errore alio non teneremini, vnus ille, quòd à Romano Pontifice Christi in terris Vicario separati estis, satis vobis superque esset ad sempiternum interitum. Respondet, se, & gentem suam Petro ac Paulo Apostolis, ipsíque inprimis Christo subditam esse. Negaui Christo subiici qui eius Vicario non subiicitur; cùm idem Christus dicat, *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Quòd si verum est, quod ex eodem Domino Euangelista Ioannes refert, vnum fore ouile, & vnum pastorem, quem nam crederet, eum esse pastorem? Respondit, S. Petrum. Si hic, inquam, vnus ille pastor est; oportet vt tale munus iis quoque competat, qui eidem Petro ordine succedũt. Iterum illa: Neque ego,

inquit, neque mei sancto Petro obedientiam negamus. In eadem nunc sumus fide, in qua fuimus ab initio: ea si recta non erat, cur per tot ætates ac sæcula nemo repertus est, qui nos errantes commoneret? Hîc ego, non potuisse Romanum Pontificem, qui totius Christi Ecclesiæ pastor est, præteritis retro annis Doctores in Abassiam mittere, eo quòd Mahumetani omnia circumdarent, nec vllum ad ipsos aditum relinquerent. Nunc verò aperta iam maritima ad Æthiopiam via, id præstare, quod nequiuit priùs. Sciret Christi Rempublicam, vbicumque terrarum sit, vnicum esse mysticũ corpus, quod in cœlo habeat Christum caput; in terra Christi Vicarium, qui Christianorum omnium caput est. Dubitari non posse, quin mẽbra capiti debeant subiici, atque ab eo dirigi & gubernari. A condita Christi Ecclesia vsque ad annum quadringentesimum octogesimum octauum apud Abassinos, & in toto Alexandriæ patriarchatu rectè rem habuisse; exinde cœpisse in interitum ruere. Si assequi salutem vellent, iterum se cum suo legitimo capite coniungerent; & vnum cum eo corpus efficerent; ipsum enim Christum voce sua asseruisse, vnum tantùm in Ecclesia esse ouile, & vnum tantùm pastorem: at corpus vnum, nisi valde monstrosum sit, vnum dumtaxat caput habere: esse autem Christi corpus perfectissimũ, atque ab omni alienum fœditate. Tunc illa, Tantum, inquit, opus, quantum istud est, vt nimirum cum Romano capite membra cætera coniungantur, nihil ad te, neque etiam ad me pertinet, necessum est, vt alij Patriarchæ cum Romano congregati de re tanta deliberent, & quid faciendum sit, auctoritate sua decernant; veteres enim mores ac ritus priuato consilio deserere, nouósque suscipere, res est pericu

periculi & offensionis plena. Ego contrà, perantiqua esse quæ vera fides docet, neque in iis noui quidquã reperiri, propterea tollere potius offensiones debere, quàm concitare, quidquid ex fidei præscripto fiat. Post hæc, & huiusmodi alia, sic deinde in eadem epistola Gonzalus. Paucos post dies castra mouit Imperator ad locum bidui itinere distantem. Secuti euntem sumus. Cùm in quodam campo essemus, tres ad me monachi venere, ex iis vnus literatus habebatur, magnóque mei videndi & alloquendi tenebatur desiderio, vt de religione ageret. In ipso sermonis exordio fassus est, omnia nostra sibi mirificè placere; probare tamen non posse, quòd neque sabbatum seruaremus, neque à porcina carne & leporina abstineremus. Cũque ad hæc adderet alia, magnam euomuit veneni copiam. Asseruit enim iustorum hominum ex hac vita decedentium animas, etsi nihil purgandum habeant, nõ ideo tamen statim in cœlo recipi, vt Deum videant, sed ad terrestrem duci paradisum, mundi finem expectaturas. Spiritum sanctum à solo Patre procedere. Filium esse Patri quoad humanitatem æqualem. Mahumetanos tantùm & Ethnicos post mortem detrudi ad Inferos, vt ibi perpetuò sint; Christianæ legis professores, qui flagitiosè viuunt, tamdiu gehennæ igne torquendos, donec peccata purgent: omnes enim qui Baptismatis charactere erunt signati, ad beatitudinem tandem rapiendos; atque id apertè cõstare ex illis Christi verbis; *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Verùm hos ego errores tum rationibus, tum Scripturæ testimoniis ita coargui, vt propiùs accedens significarit factum sibi satis. Ne verò eius socij, qui idiotæ erant, quidquam audirent, ita mihi insusurrauit: Vera sunt, quæ doces; ea ego omnia

animo ſeruabo meo. His dictis abiit. Inter hæc exactus eſt menſis, quem Imperator ad parandam reſpōſionem petierat. Eum adij, ſimúlque reſponſum & facultatem petij ad diſcedendum. Liberum, inquit, tibi ſit, cùm libuerit, diſcedere. Quod attinet ad religioſos, quos Ioannes Rex tuus ad me mittit, cùm Mazuam peruenerint, præſtò ibi erit, qui venientes excipiat, & conducat ad me: lubenter eos audiam de fide differentes. Tum ab eo diſceſſi, méque ſtatim in viam dedi. Ex itinere aliqua inuiſi Luſitanorum oppida. In iis multorum excepi confeſſiones; quoſdam à pellicatu ad legitima traduxi coniugia, pellicibus primùm, quæ genere & ſecta Abaſſinæ erant, Romana doctrina inſtructis, & ad fidem reuocatis. Quoniam huius regionis fana ſchiſmaticorum ſacris dicata ſunt, neque aras habent noſtris vſibus accommodatas; altare nobiſcum portabamus ad rem diuinam faciendam. Cùm in vno eſſem ex hiſce oppidis, quidam illuc me ſalutatum venit. Miſſus hic erat ab inſigni quodam Archimandrita, qui ad ſex circiter milliaria duobus magnis præerat cœnobiis, quorum in vno Monachi, in altero moniales morabantur. Illi Belibanos ſeu Plurimancs nomen, per ea loca ſatis celebre. Ab eo enim exit quidquid eſt in tota Abaſſia credendum; quoniam ibi putatur eſſe regula fidei: & ob hanc cauſam Cœnobiarcha ipſe ſummo apud omnes in honore eſt. Congruum iudicaui, hæc inuiſere cœnobia. Profectus ad ea ſum ſimul cum Luſitanis itineris ſociis. Aberat Archimandrita. Cœnobia breuiter luſtraui. Tam ipſa, quàm Monachi longè à noſtris differunt. Suam quiſque habet ædiculam ab aliis ſeiunctam; ſuam habet agri partem, quam ſibi colit. Sic omnes & habitatione & occupatione diuiſi

ſunt,

ſunt, vt non cœnobium vnum, ſed pagum exiguum te videre credas. Quamquam verò ex parte vna Monachi, ex alia habitent Moniales, non adeò tamen ſeparati ſunt, quin multi inter eos filij dicantur gigni. Horum familia nec Franciſcana eſt, nec Dominicana. Tecleay Manot vocatur. Hoc inſtitutoris nomē fuit; quod apud eam gentem fidei columnam ſonat. Magnam hic habet inter Abaſſinos ſanctitatis opinionem. Multa dicitur patraſſe miracula. Illud præ cæteris celebratur, quod occiderit ſerpentem ab Ethnicis habitum pro Deo; atque ipſos deinde Ethnicos ad Chriſti primùm fidem; ad hanc deinde viuendi formam multos eorum conuerterit. Hæc omnia in ſuis literis Gonzalus. Lubet nunc alia in hanc eādem ſententiam ſeorſim addere.

Qualis fuerit Imperatoris Claudij in Romanam Eccleſiam, & ad recipiendum Patriarcham animus.

Caput XIX.

Alfonſus de Francia homo fuit Luſitanus, honeſto natus loco, qui inter Imperatorem & Gonzalum egerat interpretem. Is à Gonzali diſceſſu de iiſdem rebus longam habuit cum eodem Claudio diſputationem. Quid in ea ſit actum, in epiſtola collegit, quam ad ipſum poſtea Gonzalum Goam miſit. Sic orditur. Imperator eadem mihi, quæ tibi, Gonzale, tetendit retia, vt quia te non potuit, me ſaltem caperet iſtiuſmodi rerum minùs ſcientem. Coram o-

mnibus Lusitanis mihi inprimis obiecit, quòd ego & ipsum, & Dioscorum, & totam Abassinorum gentem hæreseos damnarem. Respondi liberè, ab annis plusquam mille (sic enim à doctis audieram) Abassinos Dioscoro auctore ac duce à Romana Ecclesia, ac proinde à vera fide defecisse. Eos verò a recto aberrare, & ex Scriptura sacra, & Sanctorum auctoritate, Conciliorum optimè probari posse. Ad hæc ille: Si vestra, inquit, scriptura ita sentit de nobis nouit Deus quid de vobis sentiat nostra. Certò, inquam, scio Romanæ fidei sectatores in hæreticorum numero à tuis Abassinis reponi, & Nestorianos haberi, quasi duas in Christo admittamus personas, sicut duas admittimus naturas; id enim mihi frequenter ab ipsis falsò & cum probro obiectum. Si vt nobiscum credas, quæ credimus, satis ea non sunt, quæ de fidei veritate sunt à Gonzalo doctè & copiosè scripta, coniice oculos, Imperator, in tot reges ac principes potentissimos & maximos per vniuersam Europam vnius fidei vinculo coniunctos. Intellige facilius esse te vnum, quàm tot alios à vero deflectere. Iterum ille ad hæc, hucusque se cum Europęis regibus ac principibus Christum agnoscentibus pacem & Societatem conseruasse; me causam esse, cur iam inciperet aduersum ab eis animum habere. Atqui ego, inquam, à Romano Pōtifice & Lusitano Rege ad se missus sum, vt hanc tibi, quam proposui, veritatem patefacerem. Nihil est, quod pro ea confitenda non feram libenter; mortem quoque, si oporteat alacriter oppetam. Neque committam vmquam, Deo iuuante, vt quod legi Christianæ, quam sequor, quod regi meo, à quo sum missus, me debere sentio, vllo metu aut vitæ periculo omittam. Questus præterea de me est, quòd dixerim, ipsorum

tum Abunam à Turcarum Imperatore ad hæc loca mitti. Ad quod respondi, certum esse, non mitti illum à Pontifice Romano, qui omnium est maximus, & solus habet ius mittendi. Si adeò, inquit, Romano nomini ac Romanæ fidei addictus es, quamobrem hominem huc misisti, qui verbis tuis à me peteret, vt curam alicui demandarem Baptismi & Eucharistiæ sacramenta tibi ministrandi? Negaui constantissimè, vmquam me ab eo aut ab vllo alio Baptismũ petiisse, cùm octauo ab ortu die, Christiano more, sacra vnda fuerim lotus; Sciámque nefas esse hoc sacramentum, semel ritè collatum, iterum conferri aut suscipi. Eucharistiæ quidem pabulum postulasse, cùm vicinus morti essem; quod à peritis didicissem, talibus in euentis, si Catholici desiderentur ministri, haud esse illicitum hoc diuino pane ab hæreticis cibari atque ex hac doctrina iterum me id facturum, si ad idem deuenerim vitæ discrimen, nec catholicum habeant sacerdotem, qui eo me viatico ad instantem mortem queat præparare. Tum ille, ideo noluisse se Eucharistiæ ministrum mihi petẽti concedere, quia scriptum à Paulo est, *Vna fides, vnum Baptisma.* Si ita, inquam, Paulus scripsit, quæ, obsecro, causa est, cur annis singulis baptizaris? Hæc illi interrogatio vehementer stomachum mouit. Verba igitur iactans plena furoris, gladium minaciter arripuit. Persto immotus & animo intrepido; si quod, inquam, supplicium merui, ne inferre differas, Imperator: quælibet aduersa pati paratus sum. Nullæ me vllius terreni regis minæ, nulli terrent cruciatus; quominus summi Regis Christi prædicem veritatem. Nec alium metuo regem, præter eum, cui cum Propheta dicimus, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*; quique

poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Tu, ſi placet,ſæui,torque, occide,rem mihi feceris gratiſſimam. Hæc ego magna vocis contentione & vultu imperterrito. Cùm talem in me animum eſſe cerneret,qualem numquam antea fuerat expertus, diſputatione relicta,aliò ſeceſſit. Ego Gonzale, ſic exiſtimo,Imperatorem hũc multo libentiùs ſub duriſſimo Saracenorum iugo,quàm ſub Romani Pontificis leni mitíque imperio futurum. Et hæc ſemper mihi fuit de ipſo opinio: nolui tamen priùs mentem meam tibi aperire,ne aliquomodo vota tua retardarem. Hactenus Alfonſus. Ex his verò qualis fuerit,qualis hodie ſit Abaſſinoruum religio,perſpicuum eſt.Sed iam ad Patriarchæ profectionem.

Patriarcha cum Ouiedo Epiſcopo & aliis ſociis Oliſipone in Indiam ſoluit.

CAPVT XX.

TErtio Calẽdas Apriles,anno ſalutis noſtræ quingenteſimo quinquageſimo ſexto ſupra milleſimum Ioannes Nonius Barretus Æthiopiæ Patriarcha,Andreas Ouiedus Epiſcopus Hierapolitanus, & alij Societatis religioſi Oliſipone ſoluentes varia fortuna in Orientem nauigarunt. Patriarcha vehebatur illa ipſa naui, qua Ioannes Meneſius Claſſis præfectus, nomen ipſi naui Flos maris. Cum extanti viri cõſortio plurima commoda Meneſius percepit; tum inprimis illud, quòd cùm fœda tempeſtas derepente excitata, pérque dies aliquot furiosè ſæuiens, nauim ipſam atque omnium vitã in ſummum diſcrimen adduxi

duxiſſet, Patriarchę precibus, abſque vllius damno ſedata eſt. Acceptam enim in vaſe aquam, ſolitis Eccleſię verbis linteatus benedicens, & partim in tumétes maris fluctus, partim in vela ac rudentes, aliáſque nauis partes certa precationis forma iniiciens, effecit, vt pοſitis ventis quieſcerent maria, pacémque nauigantibus & lætitiam reſtituerent. Reliqua vſque in Indiam nauigatio nec citatior curſu, nec ſucceſſu felicior eſſe poterat. Poſt menſes enim quatuor & dies decem, quod pæne inauditum eſt, cùm dies etiam duo de triginta, iactis anchoris in Moſambico morati eſſent, Goam incolumes tenuere. Inter nauigandum ægrotos, qui ſemper in hiſce Indicis nauibus ſolent eſſe permulti, frequentiſſimè Patriarcha inuiſebat; eorúmque non verbo magis, quàm opere, labores, moleſtias, indigentiam, alleuabat. Si quid enim ſiue ad recuperandam ſanitatem, ſiue ad leniendum dolorem, ſiue ad mœſtitiam depellendam, cuiquam opus erat, id nullo modo ei deeſſet, impigrè procurabat. Confeſſionibus vectorum audiendis, tam eorum, qui proſpera, quàm qui aduerſa vtebantur valetudine, ſic erat intentus, vt mercede magis ad id munus conductus, quàm illud ſponte obire videretur. Sæpius omnium, quotquot illa naui vehebantur, qui & numero plurimi, & conſcientiæ ac vitæ ratione erãt valde diſpares, magno quidem labore, ſed non minore vtilitate, cum altero Societatis ſacerdote excepit confeſſiones. Is erat Franciſcus Rodericus Luſitanus, qui tum propter ſingularia animi ornamenta, quibus mirificè excelluit; tùm quia in eadem nauigatione operam ſuam cũ Patriarchæ opera coniungens illuſtrem fecit Societatis caritatem, iure me adſtringit, vt aliquam ipſius hoc loco memoriam relinquam. Vir fuit notæ apud omnes

poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Tu, ſi placet,ſæui,torque, occide,rem mihi feceris gratiſſimam. Hæc ego magna vocis contentione & vultu imperterrito. Cùm talem in me animum eſſe cerneret,qualem numquam antea fuerat expertus, diſputatione relicta,aliò ſeceſſit. Ego Gonzale, ſic exiſtimo,Imperatorem hũc multo libentiùs ſub duriſſimo Saracenorum iugò,quàm ſub Romani Pontificis leni mitíque imperio futurum. Et hæc ſemper mihi fuit de ipſo opinio: nolui tamen priùs mentem meam tibi aperire,ne aliquomodo vota tua retardarem. Hactenus Alfonſus. Ex his verò qualis fuerit,qualis hodie ſit Abaſſinoruum religio,perſpicuum eſt.Sed iam ad Patriarchæ profectionem.

Patriarcha cum Ouiedo Epiſcopo & aliis ſociis Oliſipone in Indiam ſoluit.

CAPVT XX.

TErtio Calẽdas Apriles,anno ſalutis noſtræ quingenteſimo quinquageſimo ſexto ſupra milleſimum Ioannes Nonius Barretus Æthiopiæ Patriarcha,Andreas Ouiedus Epiſcopus Hierapolitanus, & alij Societatis religioſi Oliſipone ſoluentes varia fortuna in Orientem nauigarunt. Patriarcha vehebatur illa ipſa naui, qua Ioannes Meneſius Claſſis præfectus, nomen ipſi naui Flos maris. Cum extanti viri cõſortio plurima commoda Meneſius percepit; tum inprimis illud, quòd cùm fœda tempeſtas derepente excitata, pérque dies aliquot furiosè ſæuiens, nauim ipſam atque omnium vitã in ſummum diſcrimen adduxi

duxisset, Patriarchę precibus, absque vllius damno sedata est. Acceptam enim in vase aquam, solitis Ecclesię verbis linteatus benedicens, & partim in tumétes maris fluctus, partim in vela ac rudentes, aliásque nauis partes certa precationis forma iniiciens, effecit, vt positis ventis quiescerent maria, pacémque nauigantibus & lætitiam restituerent. Reliqua vsque in Indiam nauigatio nec citatior cursu, nec successu felicior esse poterat. Post menses enim quatuor & dies decem, quod pæne inauditum est, cùm dies etiam duo de triginta, iactis anchoris in Mosambico morati essent, Goam incolumes tenuere. Inter nauigandum ægrotos, qui semper in hisce Indicis nauibus solent esse permulti, frequentissimè Patriarcha inuisebat; eorúmque non verbo magis, quàm opere, labores, molestias, indigentiam, alleuabat. Si quid enim siue ad recuperandam sanitatem, siue ad leniendum dolorem, siue ad mœstitiam depellendam, cuiquam opus erat, id nullo modo ei deesset, impigrè procurabat. Confessionibus vectorum audiendis, tam eorum, qui prospera, quàm qui aduersa vtebantur valetudine, sic erat intentus, vt mercede magis ad id munus conductus, quàm illud sponte obire videretur. Sæpius omnium, quotquot illa naui vehebantur, qui & numero plurimi, & conscientiæ ac vitæ ratione erãt valde dispares, magno quidem labore, sed non minore vtilitate, cum altero Societatis sacerdote excepit confessiones. Is erat Franciscus Rodericus Lusitanus, qui tum propter singularia animi ornamenta, quibus mirificè excelluit; tum quia in eadem nauigatione operam suam cũ Patriarchæ opera coniungens illustrem fecit Societatis caritatem, iure me adstringit, vt aliquam ipsius hoc loco memoriam relinquam. Vir fuit notæ apud omnes

mnes probitatis & prudentiæ laude clarus. Non Physicas tantùm & mathematicas, sed vtramque etiam apprimè calluit Theologiam, & quæ speculatrix dicitur, & quam moralem, appellant. Olisipone in collegio sancti Antonij Abbatis primus ex Societate, cōscientiæ, vt vocant, casus, & sphæræ scientiam publice professus est. Concionandi munus tum in Lusitania, tum in India magna omnium approbatione & fructu multos annos exercuit. Multos quoque Goanum collegium rexit. Summo ardebat & Ethnicos ad fidem & ad iustitiam impios perducendi desiderio: neque omittebat quidquam, quod crederet ad vtrorumque salutem attinere; quo etiam nomine ita erat cognitus, vt quamuis pedum vitio præpeditus numquam Goa egrederetur, nemo tamen alius per vastas illas orientis orbis oras illo tunc esset fama celebrior. Erat vtroque captus pede; nec sustentare rectum corpus, nec mouere sine aliquo adminiculo poterat. Domi quibusdam vtebatur ligneis furculis (Cruces Itali, Lusitani Muletas vocant) quibus innixus deambulabat. Iumento insidens exibat foras, cùm erat opus. Hominum manibus ponebatur in suggesto. Huiusmodi cùm esset, diu multùque laborauit, vt ad Indos mitteretur; cúmque illi à superiore quodā fuisset aliquādo responsum, satis constare, ipsum ad talem missionem esse ineptum, desineret proinde incassum fatigari, qui ne passum vnum quidem posset absque furculis conficere. At ego, inquit, non ambulandi peto facultatem, sed nauigandi. Hæc res cùm vento & velis, non pedibus fiat, satis constat, posse me ad illam sine pedibus iudicari aptum. Denique pulsus ab aliis, à B. Ignatio, cum quo tandem ea de negotio per literas egit, factam sibi proficiscendi copiam tanto gaudio

est

est amplexus, vt apertissimè significarit, nihil sibi gratius concedi potuisse. Cùm iam hominum humeris deportatus nauim conscenderet, actis Deo pro singulari illo beneficio palàm gratibus, ad socios, qui aderant, conuersus, Vellem, inquit, Patres, si possem, horum adminiculorum, atque horum etiam pedum effigiem aliquam in Lusitania veluti monumentum relinquere; non quidem, vt esset vllus, qui huius vilissimi homunculi sempiterna digni obliuione, vel momento temporis recordaretur; sed vt nemo vmquam esset, qui talem intuens imaginem desperaret, id se assequi posse, quod ego sum assecutus; omnésque cæci, claudi, aridi, debiles, manibus & pedibus capti, quocumque affecti corporis vitio, quacumque notati deformitate certò scirent, esse sibi in hac piscina remedium, nec ab ea aliàs excludi, quàm qui voluntate sua excludi volunt. Dum erat in naui, simul cum Patriarcha, suis fultus furculis, corpúsque per tabulata, pérque foros & per gulas trahens à vectoribus cogebat stipem, qua egenos ægrósque ex parte iuuaret. Cùm Mosambicum venit, Saracenos adiit, insulæ habitatores, vt aliquam eis, si posset, Euangelij lucem impertiret. Habuit cum eis de religione quæstiones, & contra nequissimum pseudoprophetam sic egit, vt Mahumetani cùm plurima dicerent deuia & pugnantia, tandem, quod impudentium hominum proprium perfugium est, rem totam risu soluerent, per ludibriũ iactantes stare non posse, quæ homo diceret captus pedibus; nec posse quidquam rectè ab eo concludi; qui pæne truncus esset; ac sic de re ageretur, quam manibus aut pedibus, non ratione & voce confici oporteret. Cùm verò pedum vitium eo magis obiicerent illudentes, quo se victos fuisse ferebant ægriùs, Videte,

Videte, inquit Franciscus, vter deformior ſit, egóne, qui tantùm pedibus careo, an Mahumetus veſter, ipſa nequitia nequior, qui ſectam vobis tradidit nec pedes habentem, nec caput. His illi puncti verbis, à riſu in indignationem verſi à conſpectu receſſere.

A Moſambico Patriarcha Goam peruenit, & ibi manet, miſſo in Aethiopiam Ouiedo.

CAPVT XXI.

VNo ferè mēſe in Moſambico exacto refectíſque per eam quietem viribus, cùm nauigationis cōtinuādæ tempus adeſſet, ad nauim Patriarcha & ſocij recepti, ſoluunt è portu, & fauoniis ſpiritantibus pandunt vela, cursúque proſpero ac propero immenſam maris vaſtitatem inter Africam & Aſiam tractu longiſſimo interiectam ſuperantes, Goam perueniūt. A Petro Maſcaregna Indico Prorege, & à cæteris, qui alicuius erant in ea vrbe nominis, cum ſumma beneuolentiæ & honoris ſignificatione exceptus Patriarcha eſt. Ipſi potiſſimum canonici, qui per eos dies Epiſcopo carebant, magnam ex eius aduentu cepere lætitiæ voluptatem; quòd præter cætera haberent, qui munia exercere poſſet Pontificalia, quorum tunc vſus maximè erat Goæ & Goanæ diœceſi neceſſarius. Cæterùm vix Goanum ſolum Patriarcha tetigerat, cū ſtatim ingens quædam triſtitiæ procella in hominem irruens, quod ex omnium ordinum ſtudio & beneuolentia gaudium conceperat, ab eius pectore longè pepulit. Ex Gonzali Roderici literis agnouit, Abaſſinorum Imperatorem ita ſuis hærere erroribus, vt eos ſecus,

cus,ac promiserat,pugnacissimè defenderet; & pertinaciter negaret, vllam se vmquam Romano Pôtifici obedientiam præstiturum. Res ista magis, quàm dici potest,sanctissimi viri animum affixit; quòd hac vna ratione videret,suę sibi Æthiopiæ adęundę vel omnino interclusam esse viam, vel tanto obseptam impedimento, vt in ea aperienda satis supérque sibi esset desudãdum. Postquam sæpius de negotio tanto & cũ Patribus Societatis primùm,& cum ipso deinde prorege multa in vtramque partem priuatim disseruit;ad multorum iudicia rem putauit deferendam. Petit igitur à Prorege, vt auctoritate sua Côncilium cogat sapientium, quorum quid in præsenti difficultate sit agendum.consultationi cõmittat.Placet petitio. Statim Prorex ad se acciri iubet tum ex religioso, tum ex senatorio ordine non paucos,prudentia & probitate insignes, qui rem ancipitem suis agitent sententiis, & quod factu optimum cuique visum,in medio ponant. Congregata in prætorio concione,ita Patriarcha primus dicere orsus est. Optimè tenes, Prorex inclyte, nec vos latet,viri clarissimi,quanto sẽper studio Ioannes Rex inuictissimus & maximus contenderit,vt Abassinorum populis à recta fide aberrantibus aliquod veræ lucis subsidium per suos suppeditaret; quãtúmque iam inde ab eo tẽpore,quo ignotæ terræ & ignotiora maria Lusitanorum industria & armis aperiri cœpta,& sua & Pontificis maximi auctoritate effecerit,vt miseram gentem ab suo capite pestifera diuisione seiunctam ad coniunctionem reduceret; putréque ac putidum membrum adhibito concordiæ medicamento redderet sanitati. Rem ab exordio repetere, & aures vestras longa narrationum serie obtundere, animus mihi non est. Velim tantummodo considere-

tis

tis, quid in re præsenti agendum sit. quod & Christianæ Reipublicę dignitati, & Lusitani Regis auctoritati consentaneum videatur. Scitis Claudium Abassinorum Imperatorem accepturum se Catholicas leges, & Romano Pontifici submissurum caput (quod pater eius Dauid facere antea decreuerat) nō ita pridem promisisse eámque fuisse causam, cur non solum nouus ad eum delinatus sit Patriarcha, cuius opera auulsis hæresum erroribus ad sanam doctrinam & antiquæ fidei sinceritatem redire cum suis posset; sed magnifica etiam cum pretiosissimis donis decreta legatio, quam qui obiturus erat, Fernandus Sosia, vir prudentia & nobilitate nemini vestrûm ignotus, magno meo dolore, ne minore rerum nostrarum incommodo, vitæ prius, quàm nauigationis finiuit cursum. Fefellit Claudius datam Pontifici & Regi fidem: spes nostras & vota elusit. Suas sic amat, vt ferunt, tenebras, ipsos vt acerbissimè oderit nuntios veritatis; periculúmque sit, nec infernis agitatus furiis, eosdem vi ferróque absumat. Vereor, vt ad illam colluuionem scelerum, ex quibus aiunt esse conflatum, quidquam aliud ad extremum addat, quo & sacrosanctam Romanæ Ecclesiæ amplitudinem, & Regis nostri maiestatem offendat. Ego quidem, quod ad me attinet, adeò Æthiopiam adire non reformido, nihil vt ardentius appetam, quàm eò deferri, vbi inter mihi commissas oues & viuere possim, & mori. Quid enim vllis deterreat aut laborum incommodis, aut vitæ periculis, cùm ante oculos mentis Christum habeam pastorem summum, qui post infinita mala indignissimè tolerata animam tandem suam posuit pro ouibus suis? Vehementer igitur à te peto, optime Mascaregna, vt parari mihi quamocyssime nauim iubeas, qua

ad

ad meos traiiciam Abaſſinos, cum quibus viuam & moriar. Eos ego, ſi ad ſanam mentem reuocare, & Romanæ Eccleſiæ reſtituere non potero, debito ſaltem dolore, & lacrymis, dum vita erit, corâm proſequar; & cùm diem extremum egero, hoc vnum mihi erit inter cætera ſolatium, quòd inter eos, qui meæ fidei crediti ſunt, ad vltimum vſque ſpiritum firmiter perſtiterim. Nemo in concione fuit, cui non viſum, & à maieſtate Romanæ ſedis, & à Luſitani Regis grauitate alienum eſſe, tantum ac talem virum, tam ſublimi decoratum dignitate, ſine valido armatorum hominum comitatu ad eas oras proficiſci, in quibus ex maximis ſuis laboribus, difficillimo illo tempore, fructum alium capere non poſſet, niſi iniquiſſimæ gentis probra, maledicta, illuſiones, ludibria, ad quæ vulgo procliues ſunt, qui religionem Chriſti, quam profitentur, falſis opinionibus deprauant. Fuere igitur qui ſentirent, proficiſcendum quidem eſſe Patriarchæ, ſed dandam illi ſeptingentorum ſaltem militum egregiam manum, qua & perſonæ ſuæ dignitatem tueri poſſet, & barbaro principi terrorem incutere, ne quid contra ipſum impudenter machinaretur. Multo maior concionis pars eò inclinauit, vt crederet donec Ioannes Rex de mutata Claudij mente, déque ſtatu rerum fieret certior, ſuámque ſuper his indicaret voluntatem, haud eſſe decens, Patriarcham Goa efferre pedem. Hæc approbata ſententia eſt. Ne tamen aut timore aliquo, aut vlla forte negligentia deſeri videretur ea prouincia, quæ tanto ſummi Pontificis & Ioannis Regis ſtudio fuerat ſuſcepta, communi conſenſu ſtatutum, vt relicto Nonio Patriarcha, Andreas Ouiedus cum aliquot ex Societate religioſis Æthiopiam peteret, rémque ipſe tentaret per ſe, & cum per-

fido Imperatore liberiùs ageret de religione, de qua idē Imperator Gonzalum Rodericū, quòd nulla præditus esset Ecclesiastica dignitate, secum egisse, iniquè tulit, & conquestus est: vt verò ex eo decreto non modicam Nonius tristitiam, ita summam Andreas concepit animo voluptatem. Neque enim quidquam ipsi poterat optabilius accidere; cùm immensam quādam sitim, qua perpetuò æstuabat, & mortales omnes iuuandi, & durissima quæque pro Christo perferendi, non alibi melius, quàm apud barbaras illas Æthiopum gentes explere se posse speraret. Paucos igitur post dies consociis è Goano portu soluens in Abassiam lætus discessit.

Vitæ præsenti præclaris virtutum operibus exercitæ finem Patriarcha imponit.

Capvt XXII.

Extremus vitæ Ioannis Patriarchæ actus sex circiter continetur annis quibus Goæ corpore, in Abassia animo fuit. Toto hoc tempore, donec ad metam ventum, rem Æthiopicam supremo rerum moderatori, & Indico Proregi, suo cuique modo, ardentissimè commendauit. A Deo precibus assiduè petit, vt illam gentem amicis oculis despiciat è sublimi, eámque Romanæ matri firmissimo incoruptæ fidei vinculo coniungat; nec patiatur tamdiu sibi ad oues suas intercludi aditum. Protegem frequenter & solicitè precatur, vt si aliud aut non possit, aut certè nolit, vnum sibi saltem iubeat parari caturem (exiguī & parum tuti nauigij genus est) quo in Æthiopiam vehatur,

hatur,nec discessum suum,suáque optata,tamdiu remoreretur: se à Deo & à Pontifice maximo Christi Vicario datum illis populis pastorem ac ducem;æquũ non esse,vt tam longo ab iis tempore,tantóque locorum interuallo sit disiunctus. Si quid periculi, siue à Turcis occurrat in mari,siue ab ipsis Æthiopibus in terra,id subire se & velle libenter,& iure debere, ne contra Christi præscriptum boni pastoris partes & officium deserat. Ipsum igitur per æterni Numinis maiestatem,pérque omnes cœlites immortales orare & obsecrare, ne vllam sui aut dignitatis suæ habere velit rationem;abire se permittat sine classe, sine militum præsidio,sine vllo comitatu; satis per se tutum esse,quem ipsa pericula & res aduersæ, quo plus afferunt damni, eo faciunt illustriorem. Cùm Prorex, quia sciebat Abassinorum Imperatoris ac totius illius populi voluntates ipsa obstinatione ruere in peius,& portus illos, ad quos appellere nostri ex India poterant, Turcarum armis occupari, omnésque ad terram aditus eorumdem classibus præcludi, hisce aliisque talibus Patriarchæ precibus flecti se nequaquam sineret;tentauit Ioannes Patriarchatus dignitate se abdicare: & ea super re ad Ludouicum Gõzaluiũ de Camera,veterem in Africana missione socium,in Lusitaniam scripsit. Eius epistolæ hæc sunt verba,ad rem præsentem attinentia, ex Lusitano sermone in Latinum fideliter conuersa. Obsecro te propter Deũ, mi Ludouice,vt qui magna ex parte causa fuisti, cur graue hoc Patriarchatus onus, quo pressus planè succumbo, hisce debilibus humeris imponeretur, eius quoque alleuandi mihi causa sis. Eris autem, si diligentissimè cures,vt à serenissimo Rege ad Indicum prætorem mittantur literæ,quibus ipsi præcisè man-

det, vt eo modo, quo iudicabitur fieri Deo gratias, nostram ad Abassinos profectionem quamprimum expediat. Quòd si & Rex ipse, propter præsentem rerum statum, in eadem, in qua eius prætor, sententia sit, nobísque nulla ratione in Æthiopiam eundũ putet; duo reliqua sunt, quæ ab ipso mihi impetrare totis viribus conabere. Primum, vt per legatum suum, quem habet in vrbe, à summo Pontifice petat, ab hoc me pastoris munere omnino eximat; mihíque vt ab eo me abdicem, faciat potestatem. Alterum, si Æthiopica liberer procuratione, quod, nisi fallor, Patris nostri Ignatij consilio & consensu fiet; nullo modo alia mihi demandetur. Imò etiam & à te & à cæteris omnibus Societatis nostræ religiosis per ipsa Christi vulnera, pérque acerbissimam mortem, quam est in cruce passus, summè contendo, vt Regem ab hac mẽté quamlongissime auertant, nec patiantur tanto me salutis periculo exponi. Cur enim ero hac in parte aliis miserior, vt potuerint illi eas effugere, ad quas expetebantur dignitates, nó possim ego, qui sum prorsus ad omnia ineptus, atque vt ab huiusmodi me exoluerem curis, Societatis institutum sum amplexus? Debebantur ista quidem, non infiteor, peccatis meis, propter quæ, vt nihil est tam durum, quod pati non merear, ita etiam, vt debitas eorum luam pœnas, iustissimum est. Et verò satis luo; cùm innumerabiles oues fidei meæ curæque sint commissæ, quæ neque pasci possunt à me, neque volunt. Hæc ex illa Ioannis epistola. Interim ille dum ex Lusitania responsum, aut aliquem ex Æthiopia lætiorem nuntium expectaret; eum seruabat vitæ modum, qui quanto erat ab omni honoris specie remotior, tanto maiorem ipsi conciliabat apud omnes beneuolentiam, maiorem

excita


excitabat admirationem. Nullus præteribat dies, in quo rem sacram non faceret. Sex quotidie horas diuinarum rerum contemplationi dabat. Veluti vnus de cætero sacerdotum numero, absque vllo ordinis & dignitatis discrimine tam Indorum, quàm Lusitanorum confessiones in templo audiebat. A prandio, cùm tantisper à grauioribus negotiis quiescendum erat, ægros, si qui domi essent, inuisebat, & dulcibus colloquiis recreabat. Interdum eodem tempore culinam petebat, vt si quid tunc esset agendum, coquum iuuaret, vel vtiles de iis, quæ spectant ad animum, sermones cum illo conferret. Suis ipse manibus vestes suas, cùm erant detritæ, resarciebat. Cubiculum suũ, & domum reliquam, vt quiuis alius, scopis mundabat, & sordes colligebat, atque ad destinatum locum deportabat. Peregrinorum frequenter, nouitiorum verò statis diebus, flexo genu lauabat pedes. Cupiebat maximè, próque sua virili conabatur, vt quàm optima esset prima tyronum educatio, quod ab ea reliquam religiosæ vitæ institutionem, & totum ferè progressum pendere crederet: & ob hanc rem quà exemplo, quod vires habet ad mouẽdos animos magis efficaces, quà consiliis & monitis ad omnium virtutum, atque inprimis ad veræ cuiusdam ac solidæ animi submissionis amorem, propriíque odij studium eos incitabat. Legum omnium, morum, consuetudinum, atque institutorum, quibus gouernari Societas solet, erat obseruantissimus. Qui præter Pontificem maximum neque in Societate, neque alibi vllum habebat magistratum, cui parere aliqua lege teneretur, sic vnumquemque venerabatur, vt obedientiæ iure omnibus videretur subiectus. Nec verò solùm Indiæ prouincialem, & Goani collegij rectorem ac mini-

ſtrum mirabili obſeruãtia reuerebatur;ſed etiam domeſticarum rerum adiutorem quemdam, quòd pro miniſtro eſſet, quoties videndi occurrebat occaſio, ipſi aſſurgere, caput aperire, & aliis externis intimæ demiſſionis ſignis ita officio ſe colere, vt homo ille, ne verecundari toties cogeretur, Patriarchæ cõſpectum, quoad poſſet, deuitaret. Otioſa, & ſuperflua, quæ ad animi vtilitatem non conducerent, aut dixiſſe aut feciſſe, à nullo vmquam animaduerſum. Neminem ipſe nec iocosè vmquã perſtringebat, neque vt quiſquam coram ſe quemuis alium, ſiue præſentem, ſiue abſentem vel leuiſſimè perſtringeret, vlla ratione patiebatur, ex Hieronymo dicens, detractoris & detractionem probantis parem eſſe culpam. Quamquam erat à Societatis magiſtratibus ſtatutum, vt habita ratione dignitatis, in victu & cultu à cæteris diſtingueretur; ipſe tamen nulla vmquam in re quidquam vſurpabat, in quo vel à minimo quouis domeſtico videretur differre. Quidquid habebat ex annuis redditibus, totum id, nulla ſibi parte retenta, ad ſubleuandos pauperes atque ad alia pietatis opera conferebat. Externa illi oris ac totius corporis compoſitio rara fuit. Vix vmquam viſus eſt alicuius vultum rectà aſpicere. Cùm loquebatur cum aliquo, quiſquis is eſſet, oculos tenebat moderatè depreſſos, & ad omnem modeſtiam religiosè compoſitos. Talis Ioannes Patriarcha fuit. Neque de eo quidquam à nobis dictum, quod ab aliquo acceperimus incertę fidei auctore, ſed ab iis ipſis, qui probè hominem nouere, eiúſque amicitia & familiaritate in Luſitania & in India multum diúque vſi ſunt. Aderat tempus, cùm ſummo Imperatori placitum, transferre militem ſuum de laborioſa mortalis vitæ ſtatione ad æternam requietem. Siue

igitur

igitur Patriarcha à Deo fuerit præmonitus, extremũ sibi instare diem, siue id arcano aliquo instinctu præsenserit (humanus enim animus euentuum sibi suorum certus esse vates aliquando solet) siue, vt immensas, quibus assiduè angebatur, Ecclesiæ suæ solicitudines aliqua ex parte releuaret, secretiùs agens cũ Deo; transmisso Goano fluuio in Chioranum, vicinam insulam, vbi Societatis templum est, solitarius secessit. Eo loco cùm se totum ac penitus ad contemplationẽ rerum cœlestium atque ad preces & supplicationes conferret; magísque gemitibus & lacrymis, quàm cibo alio pasceretur, ex malè affecto iecinore acutissimam febrim morbúmque lethalem breui contraxit. Medicorum iudicio ad Goanum collegium reductus, paulatim viribus & vitali vigore cœpit destitui. Tum confessionis, Eucharistiæ, & extremę vnctionis munitus sacramentis, à Melchiore Carnerio Nicæno Episcopo ritè ministratis; verbis suauissimis compellans Christum, ab eóque peccatorum veniã & misericordiam implorans, inter circũstantium sociorum fletus & singultus, relictis in medio corporis exuuijs, liber in cœlum euolauit, decimotertio Calendas Ianuarias, anno à partu Virginis millesimo quingentęsimo sexagesimo secundo. Funeris exequias magno omnium ordinum concursu & dolore prosecutus est Goanus Antistes apparatu pontificio: lignea capsula serico cõtecta stragulo cadauer excepit; ídque in Goano Societatis templo conseruat ad extremum mundi diem glorioso animo fideliter redditura.

Libri secundi finis.



DE PATRIARCHA ANDREA OVIEDO, ET SOCIIS,

LIBER TERTIVS.

De ingressu Ouiedi in Societatem & in virtutibus progressu.

CAPVT I.



NDREAS Ouiedus patria Castellanus fuit, Ilescha natus, quod oppidum est in agro Toletano ab ipsa Toleti vrbe quindecim prope, & à Mantua Carpetanorum, quæ nunc Madritium dicitur, totidem ferè milliaribus distans. Adolescens Louanij in Belgio Philosophicis & Theologicis literis accuratè operam dedit,& egregiè profecit. Cùm Petrus Faber à Paulo III. Pontifice maximo ad Alemanicos conuentus cum Mutinensi Episcopo missus Louanio transiret, hunc Andream reperit, quem cum octo Belgis in re literaria bene instructis, atque ad negocia

cia Christianæ religionis idoneis, in Societatem recepit, & ad Simonem Rodericum in Lusitaniam misit. Belgarum nomina hæc sunt: Hermes, Leonardus, Iacobus, Daniel, Cornelius, Thomas, Maximilianus Capella, Ioannes Couillonius, is quem postea serenissimus Boicorum Dux ad Concilium Tridentinum Theologum suum delegauit. Ad eos additi insuper Hispani duo, Moses Ioannes Aragonius, & Franciscus Strada Castellanus. Hunc Neapolim ex Hispania euntem, vt aulicam disciplinam, quam deseruerat, cum bellica commutaret, B. Ignatius ex Cassinate monte Romam rediens, obuiam habuit in itinere; & breui quidem, sed efficaci mollitum sermone transtulit ad militiam Christi. Illum Faber ipse ex itineris socio, instituti quoque sui socium effecit. Cùm enim ex oppido Ocagna Toletum proficisceretur, Maria & Ioanna Caroli V. Imperatoris filiæ, quarum prior Maximiliano Cæsari II. posterior Ioanni Lusitaniæ Principi, Ioannis III. filio, in matrimonium postea locatæ sunt, Mosi Ioanni mandarunt, vt se Fabro Toletum vsque comitem daret. Ille mandata exequens, ita suauissima Fabri consuetudine captus est, vt cùm ab eo diuelli non posset, à principibus fœminis, quibus & à sacris erat, & valde carus; facultatem impetrarit in Germaniam Fabrum comitandi, & eius viuendi rationem suscipiendi. Omnes igitur hi, de quibus Ouiedi causa memini, anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo quarto fuere à Fabro missi Conimbricam, quò tunc, vti in commune quoddam sociorum receptaculum, ex omnibus ferè Europæ partibus plurimi concurrebant, vt literis & virtutibus aucti, in varia orbis totius loca inde postea diuiderentur. Ita inter cæteros Andreas emi-

nebat, vt submissione animi, odio sui, corporis maceratione, humanarum rerum contemptu, cederet nemini. Eius sanctitatis fama non Lusitanis conclusa limitibus est; Romam breui peruasit, & Ignatij Loiolæ impleuit aures. Hinc factum, vt cùm B. Pater virũ quæreret idoneum, qui Gandiensis Collegij prima iaceret fundamenta, Andream ad id munus destinarit; cuius & assignatione iussúque Fabri, qui tunc in Hispania erat, anno insequente Gádiam petit, Collegium inchoat, primus eius rector instituitur. Inter cætera virtutum opera quibus in ea vrbe rem Christianam magnopere iuuit, illud vnum fuit, quod est omni mortalium generi valde salutare, vt non seculares tantùm personas, verumetiam religiosas, & potissimum moniales, sumpto ab iis, quæ præerant, exordio, cœlestium rerum meditationibus diligenter exercuerit Quàm vberes verò animorum fructus hac ex re collecti sint, inde notum; quòd alioquin bene morata ac bene instituta ciuitas in aliam transmutata vix seipsam agnosceret. Tale autem támque ad reparandas & augendas animi vires opportunum remedium, quod aliis Andreas adhibebat, haud patiebatur deesse sibi. Frequenter igitur cum paucis tantùm panibus, & simplicis aquæ amphora, abdebat se in cubiculo; ibíque dum vigiliis, flagris, ieiuniis extenuabat corpus, diuinis epulis animum saginabat. Ferre hoc, humani generis hostis, qui bona semper opera iniquè fert, nulla ratione poterat. Sæpius hominem inuadebat diuina meditantem, eo immaniùs, quo magis erat contemplationis captus dulcedine; ignominiosis increpabat verbis, tundebat pugnis, arrepto flagello duriter verberabat, tantáque atrocitate in eum sæuiebat, vt clamores aliquando ab inuito extorqueret.

Qui

Qui prope erant,& ipſo furentis dæmonis ſtrepitu, & patientis hominis vocibus excitati, accurrebant nonnûquam ad cubiculum, operam illi ſuam, quacumque in re opus foret,pollicentes; quos ipſe vultu blando & grato animo excipiens, ita ab ſe remittebat,vt facile ſignificaret eo ſibi cum hoſte certamen eſſe, qui ſola vi cœleſti ſuperari poſſet. Quæ ad iſta Ouiedus addebat,vt corpus animo perfectiſſimè ſubiiceret, etſi erant admiranda,fuere tamen ipſi per totam vitam communia: nec ſemel tantùm à nobis memoranda erunt. Tamdiu Gandiæ fuit, donec Franciſcus Borgia Gandienſium dux,vt ſociorum numero ab B. Ignatio adſcriberetur, ipſo comite Romam petiit. Eò vbi cum Duce Andreas peruenit, ſtatim ab eodem Ignatio Neapolitani Collegij rector creatus,paucos intra dies vrbe relicta Neapolim diſceſſit.

Creatus Andreas Epiſcopus & Nonij Patriarchæ ſucceſſor mira præbet ſubmiſsionis animi exempla.

CAPVT II.

PEr id tempus,quo Andreas Neapolitanum Collegium Rector adminiſtrabat, Ioannes III. inuictiſſimus Luſitaniæ rex, renouata Æthiopicæ expeditionis ſolicitudine,viros ex Societate quærebat,vitæ ſanctimonia & literis præcellẽtes, quos in Abaſſiam cum fructu mitteret. Poteſtatem à ſummo Pontifice acceperat,Æthiopiæ Patriarcham deligendi,& vnum inſuper,vel alterum,qui eſſet Patriarchæ,dum viue

uiueret, adiutor, quíque mortuo in eadem dignitate & procuratione succederet. Re cum Ignatio Loyola per literas communicata, rex ipse in Lusitania Ioannem Nonium Barretum, quem ex Mauritanica missione & aliunde probè norat, Patriarcham creat, successorem nominandi curam Ignatio relinquit. Is cùm Andreæ Ouiedi virtutem multis iam in rebus exploratam perspectámque haberet, nec dubitaret, quin talis esset vir, cuius neque summissio in dignitate periclitaretur, nec laborum magnitudini animus succumberet, eum ad Episcopatum legit, & socium ac successorem Patriarchæ Nonio adiunxit. Ne verò oblatum recusaret honorem, pro imperio & potestate mandauit. Andreas, etsi ipsum dignitatis titulum nimis quidem grauatè, quæ tamen cum eo munere cõiuncta esse mala præuidebat, labores, ærumnas, solicitudines, pericula, & cætera generis eiusdem libentissimè amplectens, sine vlla cunctatione Ignatij iussis obtemperauit. Neapoli igitur in Lusitaniam quamprimum profectus Olisiponem peruenit. Ibi simul cum Patriarcha Barreto, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, in eo, cuius suprà memini, sanctissimæ Trinitatis templo, Hierapolis titulo insignitus ad põtificiam euehitur dignitatem. Quæ suprà Barretum diximus post gradum Patriarchatus ad hominum exemplum & vtilitatem, domi forísque præstitisse, eadem prorsus post honorem Pontificium præstitit Andreas; tanto vterque ardore & alacritate, vt de caritate in Deum & homines, de submissione animi, de virtutibus cæteris inter se contendere viderentur. Itaque pœnitentiæ sacramentum & in templo valentibus, & ægris in sua cuique domo, locísque aliis frequentissimè Ouiedus ministrabat. Cùm ire foras

foras opus, non ſecus ac quiuis alius de Societate pōtificiis inſignibus communi pallio tectis, vno tantùm ſocio ibat comitatus. In triclinio cibos accumbentibus apponebat, vt reliqui; coquinæ officia obibat tanta facilitate, quanta vix alius; ſternebat ægrotis lectū; verrebat domum; cætera domeſtica miniſteria, quæ erant natura aut æſtimatione viliora, maiori ſtudio proſequebatur. Aliorum pedes abluere magno habebat in pretio, eo quòd munus illud Chriſtus optimus maximus, ſummus Pontifex, tum maximè præſtitit, cùm Apoſtolos ſuos creauit Epiſcopos; exemplo docens epiſcopalem dignitatem ex re tali decorem capere, non turpitudinem. Adeò verò abluendorum pedum miniſterio & delectabatur ſimul & honorabatur, vix vt vllus aliunde ex ſociis adueniret, cui id officium ab alio exhiberi pateretur. Carebat eo tempore Oliſiponenſis domus aqua ad potum vſúſque alios neceſſaria; eam ipſi religioſi foras quæſitum ibant ad vicinum puteum, ex quo ferreis hauſtam ſitulis, in fictiles deinde amphoras infuſam, dorſóque impoſitā, onerati aſportabant. hoc ſe in opere cum reliquis ſociis Hieropolitanum Antiſtitem, cùm ad abluendos hoſpitum pedes indigeret aqua, iterum & ſæpius exercuiſſe, multóque ex eo magnificentiùs ac ſtudioſiùs ab omnibus habitum, nobis compertum eſt. Adeò mentis ſubmiſſio in dignitatibus eminens conciliat animos, vt quò ſe magis demittit dignitas, maiori ſimul in honore & amore habeatur.

Andreas

Andreas Eborensem diœcesim, Henrici principis rogatu, cum fructu & exemplo lustrat.

CAPVT III.

CVm illo ipso anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto nondum in Lusitania parata essent illa, quæ ad Æthiopicam expeditionem censebantur necessaria, Patriarchæ & Episcopi profectio regis imperio in annum insequentem reiecta est. Hinc Henrico Cardinali, regis fratri, principi æterna digno memoria, qui tunc Eborensis erat Archiepiscopus, data occasio ab Andrea postulandi, vt Eborensem diœcesim lustrare vellet, & eos, quibus esset opus, sacro confirmationis Chrismate inungere. Cognita ille tanti principis voluntate, nihil est cũctatus. Olisipone profectus Eboram venit. Sacris ibi ordinibus multos primùm initiat, ad cætera deinde diœcesis loca iturus, vnum sibi dumtaxat, eúmque ex Societate, itineris comitem seligit, & vile accipit iumentum, quo ferre libros aliquot & quandoque suam ac socij lassitudinem leuare possit. Valde laboratum ab Henrico est, vt mulas & equos atque eũ acciperet famulantium comitatum, qui videretur Episcopum decere. Adeò rei vtrique firmus restitit, vt mitissimus princeps, tum ne carissimum sibi hominem, quem ob sanctimoniam vitæ summopere suspiciebat, aliqua molestia afficeret, tum vt singulari noui Antistitis exemplo memoriam refricaret Põtificum eorum, quos Christi Ecclesia, cùm ab ortu suo progrediens feliciter

ter adolesceret, sanctissimos habuit & integerrimos, omni cohibita violentia tam piæ tandem constantiæ cedendum putauerit. Siquis erit, qui sacris hisce dignitatibus adimere velit externum illum rerum apparatum, quo ipsæ eminere vulgo solent, credátque pauperes, humiles, opibus & copiis omníque potentia destitutos debere esse Ecclesiæ principes, is sanè iniquissimè sentiat; cùm ad splendorem ordinis, ad commendationem muneris, ad obseruantiam dignitatis, ad refrænandam impiorum superbiam, audaciã, pertinaciam, atque ad omnes furentium impetus & conatus cohibendos, vi sæpe opus sit & potentia, quã nisi timeant, & quandoque experiantur improbi, animos manúsque ab scelere nequaquam abstineãt. Submissi tamen cuiusdam animi, atque hæc, quæ magna & excelsa putantur, despicientis ad continendos in officio subditos vis tanta est, vt quod nonnumquam violentissimis potentiæ armis fieri nequit, inermi iubentis principis modestia facile obtineatur. Et verò opus erat Ouiedo, in ea, ad quam fuerat euectus, Episcopi dignitate, huic humili viuendi rationi assuesceret, ne ab amplitudine postea deiectus ferre æquo animo non posset, quæ ipsum, statim, vbi in Æthiopia vestigium impressit, omnis generis mala cateruatim inualere? Sed de his in loco dicendum. Illum modò per Transtaganam comitemur regionem, pagos & oppida lustrantem. Cùm igitur videret Henricus Andreæ constantiam in admittendo Pontificio apparatu vinci non posse; ne nonnemo esset, qui testificaretur missum à se ad cóferendum Chrisma, quíque conferenti ministraret, vnum illi adiunxit Capellanum, cui etiam secretò præcepit, daret diligenter operam, ne vlla in re Episcopo deesset, néve aliter illi, quàm sibi ipsi,

ipsi, vbi opus esset, famularetur. Hinc inter Andream & Capellanum assidua quædam erat, sed vtraque ex parte pia atque laudabilis, contentio, ac propriè dissidium. Capellanus Episcopum præire, hortari populum, vt venientem exciperet, Ecclesiasticos, vt domum ab officiis redeuntem comitarentur; cōmodum illi hospitium, & necessaria ad victum præparare. Andreas contrà nihil horum pati, nihil vel honoris, vel commoditatis admittere; socium monere, vt homines doceat, dum cum ipso loquentur, à splendidis titulis, & ab omni honorifica appellatione abstineant, satis esse, veluti simplicem Sacerdotem reuerentiæ ipsum vocabulo appellare. Vicit in omnibus inuicta Episcopi modestia. Toto enim in itinere numquā ephippiato equo vel mulo, aliquoties clitellato iumento defatigationis leuandæ vsus est. Numquam permisit aut solemni pompa (vti solet) venientem se excipi, aut ad diuersorium redeuntem à clero deferri. Ad cōmunia semper diuertebat pauperum xenedochia; cum pauperibus semper sumebat cibum; neque vllus vmquam aut tam vilis, aut tā sordidus ab ipso habitus, quem indignum æstimaret, qui in eadem secum mensa assideret. Neminem, ne temporis quidem puncto coram se aperto capite esse patiebatur, cùm apud animum suū tanti omnes faceret, vt nulli se crederet anteferendum. Diebus singulis priusquam exire è loco, in quo noctu fuerat, rem diuinam faciebat. Toto deinde itinere effundendis precibus, & diuinis rebus meditandis occupabat animum ac tempus. Eos, ad quos diuerterat, antequam abiret, mercedis loco ad rectè viuendum breui sermone hortabatur, optimis consiliis aduersùm scelera muniebat, ad excitandum in animis studium pietatis aliquot deprecatiunculas

edoce

edocebat. Confirmationis ſacramentum in omnibus parochiis, quibus erat opus, miniſtrabat; dum iter faceret, ſi quam domum, aut viculum videbat ab eo, in quo ſiſtendum erat, loco ſeiunctum, illuc ex itinere conferebat ſeſe, & vocem contendens, omnes monebat, vt templum peterent, in quo eſſet Chriſmatis ſacramentum celebrãdum. Quàm verò accuratè in hoc munus incubuerit, illud argumento eſt, quòd ne quis non vnctus relinqueretur, ſæpe ad altam vſque noctem in templo erat, donec eſſet omnibus factum ſatis. Id etiam tunc euenit; cùm iam de loco vno ad aliũ deſceſſurus aſino inſideret, audiẽs adductum de nouo puellum, qui poſſet facile in tempus aliud differri, nihilominus ſubitò deſiliens templum repetiit, & ſacro Chriſmate puerum confirmauit. Antequam inungendi aggrederetur miniſterium, omnes, qui aderant, paucis hortabatur ad freqũetem ſcelerũ expiationem. Perſuaſit multis, quibus intellexit opus eſſe, vt à prima ætate repeterent confeſſiones, ídque vt faciliùs facerent & vtiliùs, ad Eborenſe illos collegium expiãdos miſit, & erudiendos. Inter alios, quos reperit animi ſui perniciosè oblitos, Æthiopica ancilla fuit, planè ſtupida, nec hebes minus, quàm pecus. Quindecim erant anni, cùm ſacro fuerat mundata lauacro: animi ſordes pœnitentiæ ſacramento numquam prorſus deterſerat. Hanc ille maximo cum labore & moleſtia fidei primùm inſtitutis imbuit; ad confeſſionem deinde præparauit; tunc confitentem audiuit; ad extremũ ſanctæ confirmationis oleo roborauit. Cætera quæ in hoc genere à diligentiſſimo quoque fieri ſolent, ſic ille, quocumq; in loco fuit, ſtudioſè & exquiſitè perfecit, vt nec optari quidem amplius poſſet. Sed operæ erit, quædam hîc meminiſſe, quæ in hoc itinere ipſi

contingere. Quodam in oppido magnopere laborabant primates quidam, vt ad hospitium diuerteret, quod ipsi, vt in tali loco, magnificè apparauerant; cùm firmiter resisteret, & pernegaret alibi se, quàm cum pauperibus habitaturum; mirari illi, atque etiam dicere, non solere Episcopos in huiusmodi verticulis hospitari. At ego, inquit, scio, xenodochium esse locum valde honestum & splendidum, cùm domicilium sit sanctissimæ paupertatis, cuius hospitio conditor ille rerū, cùm ad homines homo venit, excipi voluit. Sed agè, demus vobis ad hæc communia mendicorum hospitia non solere Episcopos diuertere, quid obsecro vel publicæ rei, vel priuatæ cuiuspiam damni erit, si ab vno me hęc incipiat consuetudo? Obmutuêre nobiles illi viri, non ratione magis, quàm Episcopi modestia victi. Aliquando sub noctem ad oppidulum quoddam ignotus peruenit. Is, qui xenodochio præerat, affirmabat lectum ibi nō esse, in quo posset quiescere, pergeret proinde aliò; non defuturum ipsi locum commodiorem. De lecto, inquit, nulla tibi cura sit; quando alibi non potero, inter ipsos ero medicos: nam & ego vnus ex illis sum. Non dixit tantùm, sed etiam fecit; cum illa enim hominum fæce, vili ac sordido tectus strāgulo, humo pro culcitra, librorum sarcina pro ceruicali vtens, noctem integram lętus transegit. Alio loco, vbi quoque ignotus erat, nullis precibus impetrare à Xenedocho poterat, vt admitteretur. Instabat supplex, capite aperto, se quolibet exiguo domus angulo esse contentum, nec velle amplius, si hospitium illud ad recipiendos pauperes esset institutum, se pauperem esse; si lectus desit, posse se in rudi tegete, vel etiam nuda humo cubare; ne cui verò fastidio aut in re vlla impedimento sit, diligenter operam

da

daturum. Dum sic Andreas tenebroso iam ac pluuio cœlo cum Xenodocho ageret, manu vna pileum, altera iumenti capistrum tenens, quidam accessit, cui à Capellano præparandæ domus imposita cura erat. Hic leuiter primùm hospitio Episcopum inuitare; dein repugnantem vrgere; tandé omni rationum & precum opę vti, vt in pręparatam domũ illum pertrahat. Sed nihil effectum. Obtinuit Andreas, quem optabat, inter pauperes locum, pro quo non illum dumtaxat hospitium, sed magnificatissima Regum palatia floccipendebat. Cùm iam Transtaganæ regionis non exiguam partem hoc modo perlustrasset, princeps Henricus, ad quem & multorum literæ, & longè latéque vulgata per eam prouinciam fama rem omnem detulerat, reputans haud æquum esse, tãtum virum labore tanto, tantísque incommodis sua causa vexari, vnum mittit ex suis, hominem industrium & rei peritum, cui strictè mandat, vt inuito etiam ac repugnanti paret, & subministret omnia, quæ non modò necessaria, sed etiam commoda videbũtur; nec omnino patiatur, vel in re minima quidquam ipsi euenire, quod pontificiæ dignitati, & Andreæ meritis consentaneum non sit. Præstò se homo ante Episcopum sistit, & cur veniat, quæve sit principis sui voluntas, exponit. Sed neque hac ratione quidquam efficitur. Affirmat Andreas non aliter se, quàm vt antè egerat, deinceps acturum; frustrà ergo de se esse solicitum; neque vllam maiorem sibi ab eo posse molestiam inferri, quàm si sua causa vllam suscipiat molestiam: nõ esse putandum, velle Henricum, vt ipse ab instituto suo recedat, plúsve corpus curet, quàm animum, aut suæ potius, quàm communi vtilitati, & Dei honori deseruiat; haud par esse credere, æquissimo principi

gratum fore, vt oblatam ſibi de Deo déque hominibus benemerendi materiam aut omninò tollat, aut aliqua ex parte imminuat. Itaque ſi ſibi commodè eſſe velit, deſinat de ipſius commodis cogitare. Hac Ouiedi oratione ſic obſtructum hominis os, & ligatæ manus, vt non ſit auſus quidquam amplius hac de re mutire, aut agere. Admiratione igitur obſtupefactus ad Henricum redit, ſanctiſſimi viri conſtantiæ & virtutum reliquatum aſſiduus prædicator. Interim Andreas, quod erat procurationis ſuæ reliquum, pari cura & vitæ exemplo perficiens, diuinis & immortalibus meritis cumulatus Oliſiponem redit, paulo pòſt in Indiam profecturus.

Ex Luſitania Goam, inde in Aethiopiam Ouiedus proficiſcitur.

CAPVT IV.

PAtriarcham Nonium, Andream Epiſcopum, & alios de Societate numero duodecim, pluribus diſtributos nauibus, anno à partu Virginis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto, Oliſipone in Orientem ſoluiſſe, iam ſuprà à nobis commemoratum eſt. Quo autem modo inter nauigandum ſe Ouiedus geſſerit, qualis in ſe, qualis in vectores fuerit, cogitent, qui volent. Meminerint tamen robuſtas ac valentes eius animi virtutes nihil fuiſſe maritimis laboribus debilitatas, ſed multo firmiùs ſtabilitas, pérque beneagendi occaſionem creuiſſe in eo caritatem, deſpicientiam ſui, iuuandi alios ſtudium, tolerantiam caſuum aduerſorum, contemptionem fortunæ, ma-

gna

gnanimitatem, constantiam, cætera animi decora, & præsidia; nec in mari, quàm in terra minora dedisse omnium documenta virtutum. Si dixero omnibus in rebus, quæ rectè fieri in naui possunt, nemini fuisse inferiorem, superiorem plurimis, parem summis; nihil dicam fide indignum, neque eam mihi difficile habebit, cui Andreas notus. Quidquid enim excogitari potest, quod vel ad disciplinam morum, vel ad remediũ & solatium ægrotantium, vel ad commodum valentium, vel ad vllam sanctimoniæ partem, conferre censeatur, id ab ipso cumulatè & eximiè præstitum, literarum monumentis proditum est. Quare ne sæpius eadem vel affinia repetantur, nauigationem totam silentio prætereo, qua ille peracta Goam tenuit. In ea vrbe cùm paululum quiesset, expeditionis Æthiopicę plenius spe, quæ auidissimum animum nequaquam fefellit, in concilio plurium grauiúmque virorum à Prorege habito decretum est, vt Patriarcha Nonius in India maneret, ad Abassinos Andreas cum quibusdam aliis proficisceretur. Talis ego decreti causas, & rei totius seriem libro superiori, cùm de Barreto agerem, quantum ibi visum, explicaui. Anno igitur insequente millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, Idibus Februarij, cum quinque aliis ex Societate religiosis, moribus & vita probatis, atque ad subeundas superandásque aduersarum rerum procellas inprimis idoneis, armatam biremem conscendit; ac simul cum classe ad maris custodiam missa ex Goano portu in Æthiopiam soluit. Sociorum nomina hæc, Antonius Fernandius Societati in India adiunctus, Emanuel Fernandius, Andreas Gualdanes, Gonzalus Cardosus, Frãciscus Lupius ex Lusitania profecti. Extremi duo in ipsa postea Æthiopia factis ordi-

nibus initiati sunt. Præter hos erant in Andreæ comitatu viginti circiter Lusitani, quos Proregis consilio acceperat, vt apud gentem illam in hoc qualicumque apparatu aliqua esset commendatio pontificiæ dignitatis. Omnia tam quæ ad viam, quàm quæ ad rem diuinam necessaria, Episcopo & sociis Prætoris imperio ex regio ærario satis supérque suppeditata. Et à Turcis prædonibus prospera, & ab impetu ventorum tuta vsi nauigatione, in ipso Erythræi freti sinu portum tenuere, Arquicho oppido coniunctum: vbi exscensione facta, pacificè & beneuolè ab incolis recepti sunt. Vt autem in Æthiopiam tunc ierint, cursúmque secunda nauigatione confecerint, ac sine periculo & difficultate portum appulerint, singularis quidam fuit diuinæ benignitatis fauor, & demonstratio. Nam si dies dumtaxat quinque serius peruenissent, tentare Abassiæ ingressum absque euidenti vitæ discrimine nequirent. Quarto enim Nonas Aprilis insulam maris rubri Mazuam, quam Ptolemaidam ferarum olim dictam dixi, ingenti armatorũ manu Turcicę classis præfectus occupauit. Ferebat hic suppetias regulo Zeilæ, nactúsque opportunam ea loca inuadendi occasionem, non solùm Mazuam, sed & oppidum Arcquichum è regione positum, quod solum ex maritimis Abassino parebat, facile cepit, atque ita milite & arce muniuit, omnésque oræ illius aditus & exitus interclusit, vt annos plurimos aut illuc ingredi, aut inde egredi, neque Lusitano, neque alteri Christiani nominis professori concessum fuerit. Minus æquè de diuina prouidentia sentire videbitur, qui non sentiat peculiari eius consilio & nutu factum, vt cùm Goæ tam variæ támque discrepantes extiterint optimatũ de hac profectione sententię, multíque omnino omitten

omittendam, plurimi in tempus aliud differendam dicerent, statutum tamen sit, iis ipsis, qui statuerant, pæne inuitis ac repugnantibus, vt quamprimum cum sociis Andreas proficisceretur: quod nisi tunc fieret, necessum fore, vt illæ nostratium Christianorum reliquiæ, quæ tunc apud Abassinos erãt, & quasdam quasi inter mortuas veræ fidei scintillas ęgrè fouebant, illorum erroribus oppressæ tandem extinguerentur. Effectum igitur summo Dei beneficio, vt eo maximè tempore Ouiedus & socij Abassiam tenuerint, ne per annos insequentes Lusitanorum posteris ad conseruandam augendámque quam à parentibus acceperant, Christi fidem, necessaria deesset institutio. Nihil enim, quamdiu Patres illi in viuis fuere, non sunt aggressi, & passi, vt inter tot támque noxios superstitionum vepres, multiplici & erratico serpentes lapsu, vineam illam non ita quidem tunc latè diffusam, sed paulatim increscentem, ab omni contagione puram illæsámque seruarent. Quos autem labores, quas difficultates, quæ vitæ pericula, & in hac Lusitani generis propagine excolenda, & in ipsa Abassinorum gente ad frugem meliorem, atque ad fidei veritatem reuocanda, quoad cuique vita fuit, subierint, narratu difficile est. Traiecit rei fama immensam Oceani vastitatem, & vniuersas Orientis oras, longo maris terræque interuallo disiunctas, ingenti rumore penetrauit; atque Alexium Menesium Goanum tunc Antistitem, Indiarum primatum, nunc Archiepiscopum Bracharensem, primatem Hispaniarũ, virum cum genere & literis, prudentiæ & pietatis laude clarissimum vehemẽter mouit, ne tam suauem & gloriosam talium virorum memoriam iniuriis temporum sineret obliterari. Ergo Michaeli Syluio, suo in-

illis Æthiopiæ partibus generali Vicario commisit, vt in Andreæ & reliquorum è Societate sacerdotum vitam morésque diligentissimè inquireret, curarétque ab incorruptis atque integris testibus recognoscere quas res præclarè gesserint, qualẽ humanarum rerum cursum decurrerint, quidquid denique esset, à quo eorum sanctimonia habere posset apud Deum & homines commendationem, hoc Syluius accuratè & ex fide præstitit; multáque reperit, quę verè testantur sic eos in illo durissimo Æthiopiæ exilio traduxisse vitam, vt dubitandum non sit, quin inter summos viros, atque omni memoria & immortalitate dignissimos reponi debeant. Quæ igitur ab eisdem illis testibus tradita, & iureiurando firmata sunt, quæque ex multorum hominum, quorum grauitas & autoritas fidem faciunt, partim literis, partim narratione accepimus, proponenda nobis erunt, vt qualis & quantus vir Andreas fuerit, agnosci queat.

De ingressu Andreæ in Aethiopiam, de accessu ad Imperatorem, & quæ inter illos gesta.

CAPVT V.

QVæ hoc loco dicam, ex literis constant Emanuelis Fernandij, qui cæteris erat Societatis religiosis in Abassia præfectus. Is ad Iacobum Lainem, generalem eiusdem Societatis præpositum, anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo hac de re epistolam scripsit suo & reliquorum Sociorum nominibus subscriptam. Hæc prima fuit, quæ ab Ouiedi ingressu ex illis locis in Europa recepta est. Placet, rem,

vt

vt est ab Emanuele scripta, sed verbis Latinis ex fide proponere. Anno, inquit, salutis humanæ quingentesimo quinquagesimo septimo supra millesimum, mése Martio, ipso die, qui Deiparæ virginis annunciationi sacer est, peruenimus Baroam, vrbem nobilem. Cùm Barnagassus, qui ibi erat, factus esset de nostro aduentu certior, obuiá exiit venientibus, & Andream inprimis cum eximia quadam honoris & beneuolentiæ significatione excepit. Mira fuit populi Episcopum videntis exultatio. Ad manus osculum accedebant omnes cũ ingenti lætitia & alacritate. In ea vrbe viginti & amplius dies permansimus. Incidit tunc patientis Christi cõmemoratio. Illius ergo sacratioris hebdomadæ mysteria, quanta potuimus pietate, peregimus. Feria sexta pompam instituimus, vt in illis locis, magnificam. Quo verò incolarum beneuolentiá, & nobis sacrísque nostris existimationem conciliaremus, è templo nostro ad eorum templum supplicantes processimus. Magnus per illos dies factus est ad nos omnium ordinum concursus, Romanos ritus approbantium, & cum admiratione prosequentium. Bonam temporis dedimus partem audiendis Lusitanorum confessionibus, & rebus aliis ad rem Christianam salutémque animarum pertinentibus. Multi eorumdem Lusitanorum filij seruíque sacro Chrismate ab Episcopo sunt inuncti. Eum sæpius, dum hic fuit, Barnagassus ipse, ac principes alij salutandi & confabulandi causa adiere. Semper tamen Andreas de religione inserebat sermones, eósque, quamquã frustrà, ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam hortabatur. Vere iam appetẽte, cùm ea Barnagassi loca Turcarum metu turbari inciperent, Baroa relicta ad Imperatorem contendimus. Quinquaginta in itinere consumpti

 dies,

dies, causa fuit, quòd omnibus ferè in locis Lusitano è genere multos haberemus obuios, quibus sacramenta ministrare erat opus. Dies ferè octo ante nostrum ad Imperatoris castra accessum, missus ab eo ex primoribus quidam, qui verbis ipsius Episcopum salutaret. Mularum insuper, oneribus vehendis multitudo ingens cōducta. Die pæne extremo nuntius aduenit, qui Imperatoris nomine diceret, ne absque nouo ipsius mandato vlterius progrederemur. Duos tamen post dies facta prosequendæ viæ facultas. Cùm parum distaremus à castris, Imperatore per nuntium iubente, tetendimus tabernacula, in quibus nox ea peracta. Die insequente, sub meridiem, multi regio ex sanguine aliíque non pauci ex prima nobilitate, exquisitis induti vestibus, equísque optimis insidentes conuenere nos, in ipsis adhuc tentoriis commorantes. Duo inter hos autoritate eminebant, quibus data ab Imperatore vocandi ad se & deducendi Episcopum cura. Interim ipse Imperator cum matre & fratribus in editum conscendit locum, vnde aspiceret venientes. Vbi peruentum, statuit Preteiannes, vt honoris gratia primùm in atrium, præter aulæ consuetudinem, equites ingrederemur. Ante ingressum atrij secundi in quo erat Augustale, ex equis descēdimus. Ad ostium tentorij vtraque ex parte plurimi erant nobilitate & senio venerandi, optimo ordine dispositi, ac scipionibus innixi. Paululum hoc loco substitimus. Tunc egressi duo (vnus Isacus Barganassus erat) non modica totius corporis demissione salutauere Episcopum, & nobis comitantibus ad Imperatorem introduxere. Is quoque non exigua honoris & amoris signa præstitit veniēti. Postquam mutuis colloquiis nōnihil temporis consumptum; quas Ouiedus ab Indico

Protege à Patriarcha Ioanne, & ab aliis acceperat in India ad Imperatorem literas, protulit in medium. Lectæ confestim sunt coram omnibus, qui aderant. Eas Imperator audiens non mediocriter turbatus est, nec celare potuit auersam à Romana Ecclesia voluntatem: sed qua erat prudentia, & bene affecto in Lusitanos animo, conatus est, quoad potuit, erumpentem mœstitiam compescere, vultúque hilaritatem simulare. Id ita fecit, vt aperta nihilominus ostenderet perfidiæ indicia. Atenim quamquam sic erat in suis erroribus obstinatus, vt eos relinquere numquam in animum induxerit; in his tamen initiis semper Andream bene habuit, ipsíque ac sociis necessaria abūdè suppeditauit. Nec erat vllus, qui re aut verbo lædere nos auderet, quos sciret Principis beneuolentia esse munitos. Si perfidiam excipias, in toto Abassino Imperio erat nemo, quem Claudius Imperator prudentia, magnanimitate, cæterísque regiis virtutibus non superaret. Vrbanitate & comitate erga Episcopū vtebatur eximia, tantóque illum prosequebatur studio, vt numquam reducendi sui spem ipsi ademerit. Vbi de religione agi cœptum, petiit ab eo Ouiedus, vt simul cum his, qui apud Abassinos docti haberentur, adesse vellet disputationibus. Annuit ille, & cum magna literatorum caterua sæpe audiit Episcopum de rebus fidei differentem. Præ Claudio muti erant ex eius factione reliqui. Vnus ipse & dicendi ardore, & studio vincendi superabat omnes, quos in certamen adducebat secum; tanta etiam ingenij dexteritate errores suos nonnumquam tuebatur, vt nobis nonnihil facesseret negotij. Ceterùm licet ex congressu semper Ouiedus reportaret victoriam, aduersarij tamen (qui pertinacium animorum mos est) cachinnis & incōdi-

tis clamoribus victores se prædicabant. Cùm igitur Episcopus videret, nihil se hac disputandi via proficere, scripto collegit práua dogmata Abassinorum, & rationibus ac testimoniis confutata obtulit legenda Imperatori. Accepit ille, & legit, atque ad singula, vt potuit, scripto respondens, pertinaciter asseuerat, nũquam se Romano Pontifici præstiturũ obedientiam, neque à parentum suorum vestigiis in iis, quæ de religione sunt, recessurum; eam velle tenere fidem, quá iidem tenuere; ipsam proinde vt aliquo modo relinquat, frustrà ab vllo mortalium laborari. Inter hæc cœpit etiam quædam aduersùs Andream ostendere indignationis signa; palámque asserere, ingratum sibi esse eius conspectum. Is ergo, ne hominis impotentis in se ac suos irritaret furorem, ratus temporibus cedendum, Imperatore relicto, ad inculcandã aliis veritatem se conuertit. Hæc omnia in epistola Emanuel.

Quid postea inter Ouiedum & Claudium actum, déque morte Claudij, atque eius successore.

CAPVT VI.

QVamquam in respuenda sana fidei doctrina pertinax erat Imperatoris mens, nonnulli tamẽ reliquo de grege partim plebei, partim nobiles, & monachi Andreæ ac sociorum opera ab errorum tenebris quotidie transferebant sese ad lucem veritatis. Delata ad aures Claudij fama, vehementer eius animum concitauit. Erãt non pauci, præsertim ex cœno-

biarchis,

biarchis, qui lamentationibus & querimoniis ſtimulos adderent vltro furenti. Cohibere igitur iram nequit Imperator;vocat Andream ad ſe,aſperè & acerbè increpat,eique ſeuerè præcipit, vt cum ſuis, ſi velit, Luſitanis ac Luſitanorum poſteris agat de rebus fidei; cum Abaſſinis ne verbum mutiat de religione; néve ab Alexandrini Patriarchæ & Abunæ obedientia quemquam eorum audeat abducere. Ad hæc Andreas,Ego,inquit, inclyte princeps, miſſus huc ſum, vt tibi ac tuis Abaſſinis oſtendam ſalutis viam, à qua longè aberratis; denuntiémque deflectere à recto, quicumque Pontifici Romano,Petri Apoſtoli ſucceſſori, & Chriſti Vicario debitam non exhibet obediétiam.Tu ipſe,qua es prudentia,iudica, an tanto in negotio ſilere debeam; cuíve mihi parendum ſit; Deo ne,an homini? Ego non dubito, quin diuinum Imperium anteponendum ſit humano; neque adducar vmquam,vt quod mei muneris eſt, vlla de cauſa prætercam. Quid enim reſpondere olim potero præpotenti Deo de veſtro interitu mecum expoſtulanti, ſi mea culpa intereatis? aut vllo debilitatus metu inculcare deſinam,quæ debeo? Minare,ſi placet, manus iniice, percute,eripe vitam; citius iſta patiar, quàm vt te ac tuos pernitioſo ſilentio in barathrum ſinam ruere. In extremum furorē actus hiſce verbis Imperator, mox iniquo ferro Andream de medio ſuſtuliſſet, niſi mortem,quam vir pius maiorem in modum optabat, hoſtis hominum inuidiſſet.A çæde igitur abſtinēs, ignominioſis verbis ab ſe hominem repellit, & iracundè imperat, ne coram ſe amplius compareat. Addit inſuper hæc:Scias in re,de qua agis,operā te & tempus perdere; neque vmquam futurum, vt Romani Antiſtitis iugum mihi aut meis imponi ſinam. Acta hæc

ſunt

ſunt anno reparati mundi milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, ineunte Ianuario. Haud multum dilata vltoris Numinis vindicta. Intra duos menſes meritas perfidiæ pœnas dedit impius Imperator. Sub initium enim inſequentis Februarij irruêre in ea loca ij Saraceni qui Malachales dicuntur, Amalecitarum forſitan poſteri. Proximo deinde Martio, feria quinta ſanctioris Hebdomadæ, cōmiſſum eſt inter Abaſſinos & Mahumetanos prælium; in quo metus maior, quàm hoſtium vis Imperatoris caſtra inuadens, copias fudit fugauitque. Imperator ipſe media in acie à ſuis relictus, lethali vulnere accepto, miſerrime occubuit. Duo de viginti Luſitani milites, cum ipſo cecidere. Caput Imperatoris ab humeris abſciſſum & haſta appenſum ad Adelis regem, quo cum crudeles gerebat inimicitias, magno cū ludibrio ac dedecore, deportatur. Saracenorum Dux vt inſpiratam victoriā ſoli Deo referret acceptam, ex equo ſuperſtitiosè deſiliit, & conſcenſo aſello triumphauit. Claudio interfecto, cùm liberos non haberet, ſucceſſit in Imperio eius frater Adamas Seguedus, homo ingenio ferox, moribus peſſimus, Catholicæ fidei ſæuiſſimus oppugnator. Fuerat hic à Saracenis in bello captus, & in Arabiam ductus, vbi abiurata Chriſti religione Mahumetanæ ſe impietati addixerat; ſed ab eodē Claudio, rebus Imperij Luſitanorum ope reſtitutis, poſtea redemptus, ad Abaſſinos rediit errores. Ad hunc Andreas, quamquam eius animum & naturam probè norat, gratulandi cauſa ſtatim adiit, à quo & bene tunc habitus, & cūm nonnulla honoris ſignificatione dimiſſus.

Sæuit

Sæuit in Andream Adamas, eúmque in exilium eiicit.

CAPVT VII.

VT omnis libido impotens est, ac præceps, non multum fuit, quin Adamas animi sui virus expromeret, iniquissimam occasionem ex æquissima causa accipiens. Quosdam Andreas per id tempus, non ignoti nominis homines, Romanæ Ecclesię obedientes fecerat. Hoc vnum Tyranno satis. Iubet pro imperio, quamprimum ad se Andream adduci, vt commissi facinoris rationem reddat. Nihil ille cunctatus coràm comparet, non vultu mœsto, non trepidus, sed lætitia & spe plenus. Tyrannus contrà ignominiosis ac minacibus verbis excipit ad se ingressum; & furentis more, Quid, inquit, tragœdiarum excitator maxime, quiescere me & gentem meam non finis? tanta tibi in tuis artibus fiducia? Quamdiu hac abutere impunitate, quæ tibi liberè peccandi illecebra est? hucusque flagitia tua desidiosis magis, quàm æquis animis tulimus: nō erimus deinceps ignaui. Per quidquid sacrum ac sanctum vspiam est, pérque auorum meorum & vtriusque parentis Manes iterum atque iterum iuro, non minore tibi mercede, quàm ipsa vita soluendum, si quod posthac scelus contra religionem nostram ab hoc puncto temporis commiseris. Tunc Andreas, Mortem mihi, inquit, minitaris? An nescis, nihil posse animo meo gratius euenire, quàm vt pro Christo aut ferro collum submittam, aut obiiciam feris corpus? Agè, Imperator, sæui in me, vt lubet; veritatem vt timidè aut ignauè supprimam, nullis minis,

nullo

nullo mortis metu efficies. Hæc vbi dixit, ingenti correptus ſpiritus ardore, demittit ex humeris pallium, oculos cum manibus attollit in cœlum, próque veræ fidei prædicatione ac defenſione conceptis verbis Deo immortali caput ſuum ac ſanguinem deuouet. Nihil tunc fieri potuit, quod Adamas ferret acerbiùs: tanto percitus furore eſt, vt actum eſſet de Andrea, niſi impotentiſſimi hominis pugionem vis diuina tenuiſſet. Sæuiſſimas tamen in illum manus tanto impetu iniecit, vt tunicam homini abſciderit. Tunc verò huc & illuc violenter impulſum, verbíſque aſperrimis indigniſſimè tractatum reiicit à ſe; atque vt in montem editiſſimum, incultum, ſterilem, feris obnoxium, vnà cum ſocio Franciſco Lupio exulatum eat, nec inde iniuſſu exeat, pœna mortis propoſita, ſeueriſſimè mandat. Addit & huic flagitio aliud exulibus moleſtius, quo non contentus ſæuire in corpora, ſimul etiam in animos ſæuiat, ne ſcilicet litare queat, iubet auferri calicem, non dubitans ea ſe ratione multo eos durius, quàm vllo corporis cruciatu afflicturũ. Omnia illi ſedato ferunt animo; & iniquæ ſententiæ promptè obtemperantes, illicò in exilium ſecedunt. Octo ibi menſes tranſegere. Quæ & quanta ſint mala paſſi, vix queam dicere. Fames, ſitis, temporum iniuriæ fuere leuiora. Erant pro ædibus ſubterraneæ ſpecus; dura ac nuda ſaxa pro lecto; ſylueſtres herbæ guſtui ingratæ præbebant cibum; & in ſumma rerum difficultate mors ante oculos perpetuò obuerſabatur. Eum namque in montem excurſores latronéſque permulti, quibus regio abundat, interdiu abdebant ſe; vt inde de improuiſo egreſſi, qui prope facerent iter, incautos adorirentur, occiderent, ſpoliarent. Ingens ab iſtis & continuum erat Andreæ & ſocio

peri

periculum;nec erat dubia mors, si essent reperti. Latebant ergo,& diuina latentes contemplabantur, atque ad perferenda exilij incommoda à cœlo vires auxiliúmque petebant. Nec minus Tyrannum ipsum, totúmque imperium commendabant Deo: ac demũ piis inter se colloquiis suos interdum labores & ærumnas solabantur. Dum hæc agerent, aliarum rerum ignari, ecce sibi primaria quædam fœmina vinculo consanguinitatis Imperatori coniuncta, domo egreditur;illum in montem, cuius ipsa domina erat, vt Andream inuisat,diuino absque dubio acta impulsu,properè contendit;ad speluncam accedens, in qua latent exules, ingenti eam cernit circumfusam luce, támque fulgentes ipso ostio euomẽtem radios, vt intuentis oculi splendore perstringantur, vehementi primùm admiratione obstupefacta subsistit.Non modico dein perculsa metu gradũ retro refert; domúmque repetens,quacumque transit, insignem exulum prædicat sanctitatem. Nec mora, Imperatorem adit, atque vt Andream & socium exilio liberet, solicitè precatur. Victus ille precum vir,redeũdi facit potestatem: sed tamen ea lege, vt si cum aliquo Abassino vlla de re agant,grauissimis sint plectendi suppliciis.

Abassinos suos Adamas persequitur, & Andream iterum in exilium mittit.

CAPVT VIII.

NOn solùm in Andream, sed etiam in eos, quos ille ad veritatis agnitionem adduxerat,acriter est ab Imperatore Adama animaduersum. Illuc inprimis

Tyrannus vires intendit, vt quotquot erant Abassino ex genere, qui Andreæ & sociorum opera Romanis se legibus subdidissent, ad schismaticos ritus & pristinos gentis mores confestim redirent. Ex his quidam declinandæ mortis causa solum vertere; alij nihil agere palàm, ex quo quid profiterentur, agnosci posset, retenta animo, sed non publica fide: nõnulli diuina roborati constantia, non intus tantùm, domíque, sed in omnium oculis & auribus Abassinos damnare errores, & Romanæ Ecclesiæ prædicare veritatem. Ex his aliqui ad Tyrannum adducti, nullis deterriti minis, nulla allecti præmiorum spe, firmi, fortes, infractíque perstitere. Longæuos aliquot senes toto pulsos Imperio in externas ac longè dissitas regiones amandat. Iuuenes ætate florentes & genere claros obtruncat. Miris alios sæuísque modis vsque ad internecionem persequitur. Res inter hæc traditur mirabilis, magno testium consensu & approbatione firmata. Quinque erant, qui coram impio Tyranno Romanam fidem tanta libertate prædicauerant, vt eius in se furorem vehementiùs incitauerint. Iubet hos leonibus fame prope enectis deuorandos immitti. Bestiæ, siue metu perturbatæ, siue amore delinitæ, deposita feritate succumbunt pronæ; nec magistrorum audiunt voces, nec vultus agnoscunt; magísque mitescunt, quo magis irritantur. Re Imperator audita stupet, & horret, sed recrudescit timendo furor. Breuem sanctis hominibus inuidet mortem, vt intolerabili eos exilio conficiat, ac diutius torquendo vitam reddat morte sæuiorem. Ergo & hos quinque, & quotquot eadem de causa habebat in vinculis, & cum iis Andream in remotas terras & accessu asperas exterminat, addítque trucem militum custodiam,

ne

ne quis toto exulum de numero secus faciat ac iussus. Omnes igitur iter aggrediuntur permolestum ac perdifficile, deserta & æstuosa via, nulla ipsis ad corporis sustentationem cibaria; res nulla ex iis, quibus vitam tuemur. Neque enim vllus per eam regionem erat, qui subleuare egenos posset, locis quippe propter asperitates saxorum, montiúmque altitudines, & rupium sterilitatem, prorsus incultis. Processerant aliquantulum; sed cùm iam lassi vix possent firma ponere in solo vestigia; neque esset quidquam, quo vires reficerent; consistere aliqui; alij in terram ruere; sic omnes fame confici, vt parum abessent ab interitu. Tunc Andreas tam lugubri commotus spectaculo à clementissimo pauperum patre remedium per preces sibi quærendum ratus, ad genua procumbit, cor, & oculos, manúsque leuat in sublime, atque ingentem profundens vim lacrymarum, Vbi, inquit, sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? Vbi illi tui pleni clementiæ & benignitatis oculi, quibus soles miseros respicere? Hebræorum olim populum ex Ægypto egressum, pérque vastas terrarum solitudines aberrantem tot modis ac tanta prouidentia aluisti. Illos tres quondam reges Iudæ, Israelis, Edonis, eorúmque exercitus siti pæne consumptos in desertis & aridis Idumeæ campis grandi aquarum copia satiasti. Longo deinde pòst tempore, multiplicatis insigni miraculo paucis panibus & paucioribus piscibus, multa hominum millia iuxta Betsaidæ lacum, in loco deserto largiter pauisti. Numquid nunc oblitus tui aut tuorum es? Anne deest tibi facultas, qua valeas, aut benignitas, qua velis, seruis tuis tua causa laborantibus, & extremum iam spiritum trahentibus præsenti ope succurrere? Intuere misericordibus oculis hunc

gregem tuum, non quidem numero, sed fide magnũ, qui ne tuas caulas desereret, ad has redactus est, quas vides, & animi & corporis angustias. Huc homines istos non aliqua egit voluptatis illecebra, non honoris aut gloriæ studium, non opum rerúmve humanarum vlla cupiditas; sed tuarum legum defensio, honoris tui propugnatio, tuæ veritatis confessio adegerunt. Noli igitur, amantissime hominum parens, filios tuos penitus deserere. Quos à Tyranni gladio liberasti, ne eos patere in hac solitudine fame interire. His dictis, extemplo flumen ingens, præter quod tũc erat exulibus iter, sicut olim ad illius mysticæ Arcæ conspectum Iordani contigit, qua parte rapidior ferebatur, cursum continens, siccum alueum reliquit, tantámque in eo piscium multitudinem, vt statim quibusdam, partim assis, partim elixis, famem omnes depulerint: & ex iis, qui superfuere, ad futurum commeatum multos mulos onerarint. Vbi recepti pisces, reductæ iterum ad propriam naturam aquæ, atque in alueum effusæ, mirabili celeritate solitum cursum instaurauere. Milites, qui erant in cõmitatu, tanti miraculi nouitate attoniti, in partes varias versabant animum. Quidam vix oculis credebant, & videbantur sibi somniare magis, quàm repressum amnem & reuolutos liquores re ipsa videre. Alij vim diuinam extollebant, exulum causam & pietatem probabant; de Andreæ ac sociorum conquerebantur iniuriis; Adamæ tyrannidem & nequitiam execrabantur; Romanæ Ecclesiæ concedebant primas. Exules in fide crescebant, ac firmiùs roborabantur; summo Deo decantabant laudes; immensásque agebant gratias, quòd opem tulerit laborantibus; quòd à lethi faucibus pereuntes eripuerit; quòd nominis sui gloriam celebra

lebrarit; quòd denique tam insigni portento & sanam Catholicorum doctrinam stabilierit, & Æthiopicam falsitatem confutarit. At res ipsa tunc statim in regiam curiam & Imperatoris aulam delata, pérque vniuersam latè regionem breui diffusa, grandi stupore omnium aures animósque occupauit; & Barbarorum mentibus adeò hæsit, vt quo tempore de rebus ab Andrea gestis Syluius quærebat, fuerit nemo, qui non illam summa cum admiratione in medium protulerit. Et tunc etiam reperti duo, qui præsentes adfuere, cùm patratum miraculum est. Vnus ex iis erat, qui pro veritatis defensione in exilium ibant: alter ex numero militum, quibus fuerat exulum custodia à Tyranno demandata. Hic eo tunc ostento permotus ad partes transiit Catholicorum. Tam portentosi autem euentus fama, simúlque multa & præclara Andreæ in quosdam optimates promerita, eosdem adegere, vt de ipso ac sociis restituendis enixè agerent cum Imperatore; à quo tandem, vt redeundi facultatem concederet, impetrarunt. Accepto exules de libertate nuntio, in domos quisque suas rediere.

Tertiùm Andreas cum Catholicis exilio mulctatur, & variis modis affligitur.

CAPVT IX.

ANdreas ab exilio reuocatus, antequam oppidum ingrederetur, obuios habuit quotquot in eo Catholici erant; qui acceptis de reditu eius nuntiis exultantes ac gestientes foras exeunt, in agrósque effusi non minori alacritate, redeuntem excipiunt, quàm

prioribus olim sæculis Athanasium, Chrysostomum aliósque sanctissimos Antistites ab exilio reuertentes ab Alexandria, Byzantio, & vrbibus aliis, exceptos, literarum monumentis traditum est. Inter cæteras virtutes, quas in Andrea sūmas esse nemo dubitabat, illa inprimis inaudita patiētia; qua tot labores, tótque non dubia vitæ pericula tam frequenter, támque intrepidè & animosè subibat, præcipua quadam commendatione per omnium ora ferebatur. Et verò hęc vna virtus (quæ sicut optima parens altríxque probitatis est, ita admirationis & beneuolentiæ est egregia conciliatrix) tantopere Barbaris illis hunc hominem commendabat, vt variis è locis hāc vnam ob causam magnus ad eum fieret Abassinorum concursus. Aderant cum reliquis monachi non pauci, quos partim tanti viri videndi & audiendi cupiditas, partim etiam indagandæ veritatis studium concitabat. Nulli Andreas in re vlla deerat: cunctos ad timorem Numinis atque ad omnem hortabatur iustitiam. Monebat potissimū, vt Romanam Ecclesiam agnoscerent, eius fidem sequerentur, & ad Catholicos mores vitam instituerēt, Dei magis quàm Adamæ, vel alterius Tyranni iram formidarent, sæuire homines posse in corpora: Deum neglectum & corpora torquere & animos: humanæ crudelitatis vim, & tempore breuem esse, & potestate infirmam; at vindictam Numinis, quæ scelestos apud inferos torquet, nec sæculorum terminis claudi, nec vlla ex parte imminui: oblatam sibi salutis suæ occasionem ne incassum abire sinant? Dei inuisentis se ac vocantis agnoscant beneficium; hoc sibi tempus ad pacem dari; metuant meritò ne frūstrà elapso bellum exurgat magis animis, quàm corporibus exitiale: Hierosolymæ meminerint; Christi monita & prædi-

ctiones respuentis; intelligant nullam esse causam, cur magis ipsi, quàm veteres Hebræi ferri & expectari debeant à diuina benignitate. Hæc & talia quædam cùm Andreas non minori tunc libertate, maiori prope ardore, quàm antea Abassinis inculcaret, multósque eorũ veritatis luce perfunderet, ac Romani Pontificis iugo subiiceret, defertur ad Imperatorem, quiescere non posse Europæos Sacerdotes; minus quietum reliquis eorum Episcopum Andream, qui hominum corda solicitaret; permisceret omnia, Æthiopicos ritus dãnaret, Romanos mirabiliter efferret, multos deciperet, atque ad suam traheret factionem. Ni adhibeantur extrema, breui futurum, vt in Romanam religionem Æthiopica vertatur. His Imperator stimulis maiorem in modum commotus, venire ad se Andream iubet, cuius aspectu in rabiem actus, Quod exilium, inquit, repetitum non efficit, ferrum efficiet; hoc tuæ imponet finem pertinaciæ. Nescis mortaliũ pessime, truncandi tui mihi esse potestatem? Quid tam impudenter meam abuteris & lædis clementiam? Tibi ne in regnis meis, an mihi parẽdum? Nihil iniquius, quàm specie religionis Imperatoriam violare maiestatem. An non multo maxima religionis pars est, reuereri principes, iisque dicto esse audientem? Quid agis? Quid à me atque à sanctissimis maiorum meorum legibus gentem meam auertis? Hoccine ferendum? Quin ego tibi hoc ense vitam eripio? Hæc dicens, ensem amens liberat è vagina, furiosè petit innoxium collum, quod Andreas, brachiis priùs in modum crucis ad pectus conformatis, tantisper inflexerat, & percutere tentanti aptarat. Verùm ictu irrito cadit ferrum è manu Tyranni, omnibus, qui aderant, vehementer stupentibus. Solus Adamas nihil euentu

 motus

motus (adeò furentis animus cæcus est) arrepto rursum gladio innocentis collum denuo impetit. Tum Augusta, quæ & ipsa præsens erat, tam attonita successu, quàm Andreæ commiseratione concussa, ictum exceptura mediam se inter vtrumque infert, & horribilem attollens vocem acriter Imperatorem increpat, manúmque sceleratam & conatum cohibet: Non te pudet, inquit, cùm Imperator sis, carnificem agere? Hoc tu facinus regia dextra dignum putas? Hanc Lusitanis, quibus tot nominibus deuinctus es, pro acceptis beneficiis rependis gratiam? Quid ageres, si quis ex tuis simili correptus insania talem virum, tantis illustrem virtutibus, tanta decoratum dignitate, non confoderet destricto ferro, sed leuiter dumtaxat manu percuteret? Quod tu in nullo tuorum, ne amantissimo quidem, patereris, id propriis manibus per summum scelus efficere conaris? Pudeat te sine causa furere, & virtuti esse iniurium. Hæc Augusta. Alia pro Andrea alij viri primarij, sed mitiùs & precantium more Imperatori subiecere; intérque reliqua summopere conati sunt eius animum à cæde auocare. Tunc ille indignationem corde premens, vultúque simulans lenitatem, ab se Ouiedum dimisit; & quosdam secretò monuit, vt illum qua possent arte, è viuis auferrent. Sed Imperatoris nequitia cognita, ab iisdem illis optimatibus curatum sedulò, vt eius monita fierent irrita. Cùm igitur videret, valde sibi esse difficile, optimo Pontifici vitam eripere, nec suum aduersùs ipsum odium satis posset exsaturare, ab se, eóque ab loco quamlongissime ablegare statuit. Tertiò igitur Andream mulctat exilio; & socios illi adiungit Lusitanos omnes; atque hos sine vxoribus ac liberis iubet proficisci, asserens liberos ipsos seruitutis iure sibi esse

esse addictos, & mancipio ac nexu proprios; quamuis ad eam diem passus sit, vsu & fructu parentum fuisse. Cur verò vxoribus vetuerit viros sequi, incertum. Fortè quòd Abassinorum de genere essent; vel vt miseris hominibus diriorem efficeret exilij pœnam. Tyranni Imperium adeò vrgebat, vt nec tergiuersandi daretur locus, nec tutum esset, paululum cunctari. Omnes quamprimum se viæ committunt. Andreas, & qui ab eius latere numquam discedebat, Franciscus Lupius, quia nihil habebãt carius, quàm vt pro Christi fide vexarentur, ibant admodum læti, & hilares. Cæteri etsi per summum nefas à charissimis vxoribus liberísque abduci morte grauius ferebant; mœrorem tamen suum Andreæ præsentia & conspectu lenientes, eo exilij calamitatem amplectabantur libentiùs, quòd se viderint in tanti viri societate, Dei causa malè mulctari. Illos igitur pius Antistes vt ęquo animo ærumnas tolerarent, atque ad eos casus, quibus humana vita subiecta est, firmis conscientiæ præsidiis munirentur, omnésque Tyranni iniurias & cruciatus spernerent, vt firmam denique atque stabilem in vno Deo spem ponerent, eíque agerent gratias, quòd ipsos vellet esse de numero eorum, qui ab hostibus fidei religionis causa aliquid patiuntur, grauibus & efficacibus verbis hortabatur. Nec verò, inquit, vxorum vestrarum & liberorum cura vos nimium torqueat, commilitones mei & optimi Christi milites, præstò aderit & optatum vobis ab diuina misericordia remedium, & debitum Tyranno à diuina iustitia supplicium. Pergite alacres & erecti; exiguum post tempus in domos vestras reuersuri. Vbi ad exilij locum peruentum, miles quidam, cui creditus Andreas cum præciso mandato, vt curaret dili-

genter, ne aliò se ferret, ipsum aggreditur, postulátque vt pro suscepto tam longinquæ támque asperæ viæ labore meritam persoluat mercedem. Ego, fili mi, inquit, operam tuam non conduxi; ecquam tibi debeo siue itineris, siue custodiæ mercedem? quamquam verò nihil me tibi ob hanc operam debere, sentio, (Illustrissimi Martyris Cypriani exemplo, qui viginti nummis aureis tortorem suum donauit,) libēter tibi darem, siquid haberem; sed habeo nihil, quod dare queam. Nihil ille his verbis motus, instat & vrget; atque aliquod sibi laboris sui extorquere præmium, omninò statuit. Videns autem perdere se petendo tempus, manus iniicit, & sacrum linteum ac stolam vi rapit. Animo Andreas nihilo secius tranquillo ac sedato, ne verbo quidem raptorem perstringit; oculos tamen ad cœlum tollens, has ab imo pectore semel & iterum voces profert: Ah Domine Deus, ah Domine Deus, vix iniquus raptor duo confecerat passuum millia, cùm subitò aliena vi correptus, refert è via pedem, cursúque præcipiti ac volanti magis, quàm currenti similis, Andream repetit; propiúsque accedens, nescio quid mussitando, ad eius pedes quæ abstulerat, proiicit. Tum pernicitate pari eò se proripiens, vnde venerat, sic euanuit, vt visus amplius à nullo sit. Quadraginta prope agebantur anni, quando Michael Syluius rem à testibus accepit, qui non solùm iureiurando affirmarunt, miserum hominem à suis expectatum & diligenter quæsitum numquam deinceps apparuisse; verùm etiam locum fecisse dicto, quod apud Abassinos hodiéque prouerbij vice per illam plagam vsurpatur, nemo ab inuito Lusitano vestimenti quidpiam abripiat, nisi velit ipse venti instar per inane abripi.

Grani

Graui bello scelerum suorum pœnas luit Imperator Adamas, Andreas cum sociis diuinitus seruatur.

CAPVT X.

TAnto Adamas Romanam fidem insequebatur odio, vt cùm certò sciret, plurimis se cum externis, tum domesticis hostibus esse vndique circumseptum, nullam tamen in rem incumberet diligentius, quàm vt Catholicos miris modis & immaniter diuexatos ad vnum omnes deleret. Quare quam eius frater Claudius concesserat facultatem, vt Abassinæ fœminæ Lusitanis nuptæ Romanis viuere possent legibus, eam ipse continuò reuocauit, pœnis etiam acerbissimis vetuit, ne quis Abassinus, cuiuscumque sexus & conditionis esset, Catholicam profiteretur religionem, néve Lusitanorum adiret templa. Ex quo factum, vt aliqui eo de genere, quod secus fecissent, in vincula fuerint coniecti, & flagellis cæsi. Fuere etiam, qui mortis metu compulsi à suscepta fide defecerunt. Nec in suos tantùm, sed etiam in externos ob eamdem causam impius Imperator furorem effudit. Armenij erant ex Schismaticis Catholici, quos, quia ad pristinos redire errores recusabant, partim exilio, partim mortis pœna mulctauit. Dùm ergo in omnem nequitiam ac sæuitiam effrænatè raperetur, essétque cum aliis in exilio Andreas; summus ille rerum moderator, qui neque vmquam pios omnino deserit, neque patitur malos diutius florere; & afflictis succurrere exulibus, & meritas perfidiæ ac scelerum

pœnas

pœnas ab Adama repetere, iustissimè decreuit. Ita res habet. Barnagassus Islacus, & plurimi alij principes viri, insanam pessimi Imperatoris crudelitatem morésque intractabiles exosi, communi consensu in eius pernitiem conspirantes, Betancum Zarcarum fratris natu maioris vita iam functi, ex illegitimo thoro filium Imperatorem crearunt. Adamas coniuratione cognita, quamocyssime delectum habet, collectísque viribus exercitum parat, vt tempus fert, copiosum. Quo verò Lusitanorum sibi conciliet voluntates, eósque habeat in bello socios, Andream cum reliquis acciri iubet ab exilio, & in castra venire. Ter reperio inter aduersas factiones acie fuisse decretum. Primo prælio Adamas victus è campo recessit. Altero Zarcarum viuum cepit & obtruncauit. Tertio Barnagassus Islacus alium legitimum Zarcari fratrem Imperatorem nominans, vocatísque in auxilium Turcis irruentem Adamam vi tormentorum territauit, castris exuit, cum toto exercitu vertit in fugam, & quidquid aduersum aut obuium fuit, igni ferróque absumpsit. Patres, qui cum Adama erant, vt cuique cómodum, in diuersa effusi loca, præsenti se periculo eripuere. Solus Andreas cum Lupio, & quodam alio ex familiaribus, patente in campo relictus, dum militaris adhuc furor sæuiret, prædæque & cædi victor exercitus incumberet, manus ac mentem ad Deum erigens, inter media Turcarum & Abassinorum furentium tela cum vtroque socio saluus & incolumis permansit. Vim ibi diuinam agnouere socij, & se Andreæ precibus à nece liberatos confessi sunt. Haud dubitarim, renouatum in hoc euentu vetus portentum, cum Elisæo deprecante Syrij regis milites cæcitate perculsi, quæ ante oculos & in conspectu erant,

non

non conſpexere. Huc illuc hoſtes cruoris auidi ferebantur; non ſexui, non ætati, non conditioni parcebant. In medio Andreas cum duobus illis erat, non abditus in tenebris, non vllo in receſſu aut latebra clauſus, ſed obuius furentibus, & hoſtili crudelitati palàm expoſitus; non minus tamen ab omni belli periculo & iniuria liber integérque euaſit, quàm ſi editiſſimo tutiſſimóque ex loco ſpectaſſet pugnã. Simul atque precandi finem fecit, Lupiũ intuitus, Laudetur, inquit, Deus immortalis; reliqui Patres in poteſtate hoſtium ſunt: ſed nihil timendum; propitio Numine res proſperè cedent: noſtris interim obſecrationibus ipſos iuuemus. Haud dubia prædictio fuit. Erant tunc Patres cæteri à Turcis capti, ſpoliati, iniuriis affecti, periniquè tractati; ſed non multo pòſt nobili Abaſſino petente, donati libertate ad Andream rediere. Rebus pæne compoſitis cùm ſe ad Luſitanorum vicum ſocij reciperent, occurrit in via ex factione contraria Abaſſinus miles. Hic turbido adhuc ex dimicatione animo, Andream verbis aſperis & minacibus laceſſit, adeóque rabidè furit, vt parum abſit, quin ſancto viro manus iniiciat, & cædem faciat. Mula Andreas vehebatur; ex ea vt ſtatim deſiliat, trux homo imperat. Paret ille ſine mora, nec impatiens, nec queribundus, & quod itineris reliquum eſt, pedibus conficit. Miles præda lætus mulam aſcendit, malíque ignarus futuri, mortem miſer domum defert. vix limen tangit, cùm ſubitò & vxor & duo liberi exanimati cadunt; vnúmque rapinæ ſcelus triplici ſoluit interitu infelix raptor. Agnoſcit tamen vltorem Deum, grauíque dolore preſſus, quærit Andream; largè lacrymans ad eius ſe abiicit pedes, mulam reſtituit, veniam rogat, & obnixè petit, vt precibus ſuis

irati

irati Numinis vindictā arceat; valde enim timere se, ne qui solus auctor delicti fuerit, cæteris interemptis, acerbius puniatur. Hominem Andreas blandè acceptum monet inprimis, vt susceptum execretur flagitium, quantum potest; bono deinde animo esse iubet, omnésque suas in clementissimo parente spes & rationes collocare; tandem tuta omnia pollicetur. Is deinceps, quamdiu ei per vitam licuit, verbis, ac rebus adeò se Ouiedo deuinctum, obnoxiúmque præbuit, vt solitus sit salutandi gratia ipsum frequenter conuenire, & munuscula deferre, beneuolentia magis, quàm pretio, æstimanda.

Quid in Imperio, quid Ouiedo acciderit mortuo Adama.

CAPVT XI.

ANnus agebatur ab ortu salutis millesimus quingentesimus sexagesimus secūdus, cùm Adamas à Bernagasso ac Turcis victus, à locis maritimis malè constantes copias ad interiora regni retraxit. Anno deinde insequente plurimis & maximis afflictus bellorum calamitatibus excessit è vita. Mox turbari magis imperium, & varias in partes discindi cœpit. Qui ab Adama erant, eius filium crearunt Imperatorem. Illum Zarcarifratem, quem suprà memini, Barnagassus sequebatur. In partes alias vertebantur alij. Andreas, qui anno illo sexagesimo secundo, mortuo Goæ Nonio in Patriarchæ titulum successerat, cum maiori Lusitanorum parte ad Tygrium regnum contulit se; ibíque prope eum locum, vbi celebre est Abbaguarima

rima cœnobium, humilem abiectúmque incoluit vicum, cui Fremona nomē: atque in eo annos ſedecim, quibus cum viuis fuit, commoratus, nullum deinceps vidit Abaſſiæ Imperatorem. Toto enim hoc tempore ſic omnia bellorum motibus æſtuarunt, vt quamuis Abaſſini fuerint, qui erroribus depoſitis, ad Romanam conuerſi ſint veritatem; cum quo tamen de Abaſſiæ totius reductione agi poſſet, nemo extiterit. Nam Malaſeguetus Adamæ filius non niſi ſeptemdecim poſt obitum parentis annos, & Iſlaco Barnagaſſo iam defuncto, imperium obtinuit. Interea dum Abaſſini per domeſticas ciuiléſque ſeditiones pertinaciæ ſuæ pœnas pendunt, Caſtum illorum, quos Galas vocant, vis ingens ſuis ab ſedibus profecta eorum terras ingreditur, agros vaſtat, oppida diripit, ac diruit, quoſcumque aduerſos habet, ſiue mœnibus bellum propulſent, ſiue ad obſiſtendum copias in aciē educant, ferro flammiſque domat, & horribilem vbicumque pedem ponit, ſtragem edit; tanta demum & facilitate & felicitate Barbari illi in Abaſſinum Imperium ſe intulere, vt pluſquam centum regiones, maiorem quippe imperij partem, breui temporis ſpatio victricibus armis occuparint. Qui in eodem vico Catholici cum Andrea erant, in tanta rerum difficultate cœpere grauiter angi, cùm viderent, neque eo in loco vitare ſe hoſtilem furorem ac necem poſſe; neque vllam eſſe alibi ſedem à Galarum iniuriis tutam, ad quam ipſis foret liberum commigrare. Turbati igitur ac trepidantes Andream adeunt, ab eóque & conſilium in dubiis, & remedium in malis petunt. Iacentes animos erigit vir Deo plenus, & nutantes cōfirmat. Iubet bene ſperare de diuina benignitate, haud eſſe dubitandum, quin Numinis præſidio inter

medias

medicis hostium turmas, intérque districtos enses non modò tuti esse possint, verumetiam securi. Ab his dictis solitam ad arcem recipit sese, rem quippe diuinam facit, & quid sibi ac suis sit agendum, à Deo litando sciscitatur. Res mira, vox auditur de cœlo lapsa, bis repetens Fremonam. Intelligit hauddubie, non oportere aliò discedere, tutam ibi esse stationem. Peracto sacrificio ad expectantem populum, & pauore defixum egreditur; monet, ne quis loco moueatur, vllóve solicitetur timore; cunctos Fremonæ omnem vim belli sine dãno vitaturos. Sic euenit; summáque omnium animos tanti euentus tenuit admiratio. Cuncta circum oppida, castella, vicos, & Mapalia Galæ Turcæque pererrarunt: nulli rei hostium immanitas pepercit. Æquati solo muri, diremptæ atque euersę domus, quotquot in his locis reperti mortales, miserabili cæde strati. Fremona, vicus exiguus, vidua ab aliis distans milliaria, patente in campo atque in militari situs via, nullis naturæ, nullis artis septus præsidiis, hostili expositus furori, cæteríſque pagis ad iniuriam promptior, sine vllo detrimento fuit. Tam insigne Dei beneficium Andreæ precibus acceptum Fremonenses retulerunt; quorum nonnullis Lusitano de genere magno per id tempus constitit, non habuisse fidem viro sanctissimo salutaria præmonenti. Ad bellum isti, quod alio loco gerendum erat, nulla adacti necessitate, sed vltro parabant sese. Eis Andreas, ne illud petant, seriò suadet, addens, si secus faciant, ad vnum omnes interituros. Insana illi bellandi, aut qua alia obcæcati cupiditate ad bellum profecti, occumbentes sensere, haud spernenda esse, quæ probatæ virtutis viri prænuntiant futura. Post hæc hostes varij armata manu Æthiopiam ingressi, res

Abaſſinorum adeò cótriuere, vt Imperium redactum ſit ad extrema. Turcæ inprimis à maritima orà, quam vi occupant, ad interiora ſæpius penetrantes, multos mortalium partim dederunt neci, partim in ſeruitutem abduxere. Ad Catholicos etiam, qui regnum Tigrium incolebant, belli calamitas pertinuit. Multis ij modis duriter vexati, oppidis quoque hoſtili flamma incenſis ac diruptis, ad Dambeæ regnum coacti ſunt commigrare. Pauci eodem in loco, ne desererent Andream iuſtis de cauſis inibi remanentem, vltro perſtitere.

Iubetur Andreas à Pio V. Pontifice maximo Aethiopiam relinquere, & ad Iaponios ac Sinas proficiſci.

Caput XII.

Per id tempus Andreas ſumma rerum omnium difficultate preſſus, plurimáque & maxima, à Turcis, & Saracenis, à Galis, atque ab ipſis etiam Abaſſinis paſſus incommoda, valde ærumnoſam ac miſeriis plenam ducebat vitam. Inerat etiam in illis ſchiſmaticis tanta cordis duritites, vt perexiguus eſſet animorum fructus, quo vir ſanctiſſimus vtcumque leuare poſſet labores ſuos. Id ex literis eorum, quos ſecum Patriarcha habebat, in Æuropam & Indiam miſſis cùm Sebaſtianus Rex cognouiſſet, rei indignitate cómotus per legatum ſuum, qui erat in Vrbe, agere ſeriò cum Pontifice cœpit, vt quia nulla tunc Abaſſiæ reducendæ videbatur eſſe ſpes; alia verò ex parte apud

Iaponios multa hominum millia, neglecto idolorum cultu, Christianis se ouibus idemtidem coniungebãt, iuberet pro imperio, vt Andreas Patriarcha ex Æthiopia in Indiam traiiciens conferret sese ad Iaponicas insulas, vbi cum maiori & dignitatis suæ splendore, & industriæ fructu posset rei Christianæ operam nauare. Pius V. egregius æquè & prudens Pontifex (is tunc Romano in solio sedebat) re probè cognita, & diligenter examinata, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto Nonas Februarij, Pontificiũ diploma ad Andream in Æthiopiam misit; quod etsi omitti à nobis iure posset, cùm ab aliis scriptoribus referatur, quoad ea tamen, quæ huc pertinent, iisdem verbis exscribendum duximus. Venerabili fratri Andreæ de Ouiedo Patriarchæ Æthiopiæ, venerabilis frater salutem, &c. Ex literis carissimi in Christo filij nostri Sebastiani Portugaliæ regis illustris, ad oratorem ipsius, qui apud nos residet, missis, & ab aliis, quibus fidem meritò habuimus, cognouimus, paternitatem tuam in istis Æthiopiæ partibus, ad quas, à sede fueris Apostolica missus, vt istos populos ad fidei Orthodoxæ agnitionem, & ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ reduceres, inter tot annos, quibus isthic mansisti, propter duritiam cordis eorum, & in vetustis erroribus suis retinendis animi pertinaciam, opera & pia industria tua nihil proficere potuisse; quòd si ad Insulam, quæ Iapam appellatur, & in Sinarum regionem, quæ à Gentilibus incoluntur, mittaris, in quibus Prouinciis Domini nostri Iesu Christi fides magna deuotione suscipi cœpit, sperandum esse, Deo adiuuante, vt illic opera tua valde sit vtilis; propterea quòd messis illic multa sit, operarij autem paucissimi. Quibus auditis fraterna sanè caritate tibi compassi sumus,

ſumus, qui tot tantorúmque laborum, & tam diuturnæ peregrinationis fructum optatum capere minimè potueris: ſed ſi opera tua illis fuit populis inutilis; non tu tamen, qui tam multa, & tam grauia pro Chriſto Domino noſtro paſſus es, fruſtrà laboraſti; pietatis enim, & obedientiæ, & caritatis tuæ præmium à Domino habebis. Quia igitur in hac ſancta ſede, licèt ſine noſtris meritis conſtituti, omnibus nos agnoſcimus debitores, & pro commiſſo nobis officio debemus inſeruire omnipotentis Dei honori & gloriæ, & animarum ſaluti conſulere, fraterna caritate ſalutantes te, de cuius pio zelo & propagandæ Catholicæ religionis ſtudio grauiſſima teſtimonia habuimus, hortamur in Domino, & in virtute ſanctæ obedientiæ, atque in remiſſionem peccatorum, iniungimus, vt poſtquam has literas acceperis, cumprimum tutè potueris, & nauigandi facultatem habueris, ad Inſulam Iapam, & ad Sinarum regionem te conferas, & in illis locis verbum Dei iuxta doctrinam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, omnium Chriſti fidelium matris ac magiſtræ docendo & prædicando, & ſacramenta, quæ Põtificalis ſunt officij, miniſtrando, quamplurimas poteris animas lucrari ſtudeas, diuinæ fretus miſericordiæ auxilio. Hæc in diplomate, & quædam ſimilia. In eo volo, obſeruentur potiſſimum duo, quibus nouus ille auctor, de quo ſæpe ſuprà memini, abrogare fidẽ veritus non eſt. Primum, Gentem Abaſſinam certo atque indubitato Pij Pontificis iudicio, ab Romana fide eſſe auerſam, plurimiſque maiorum ſuorum inuolutam erroribus; ideoque à ſede Apoſtolica in Æthiopiam miſſum Andream, vt illam ad agnitionem veritatis, & Catholicæ Eccleſiæ obediẽntiam reduceret. Alterum, affirmare Pontificem, ſe illam Andreæ

ex Æthiopia ad Sinas ac Iaponios migrationem non ob id solum decreuisse, quòd de misero Andreæ statu atque Abassinæ gentis duritie à Lusitano Rege factus fuerit certior (quamquam vt decerneret, id erat satis) verumetiam, quòd rem eamdem ab aliis cognouerit, quibus meritissimè fidem habuerit. Hisce enim verbis planum fit tam esse certum pontificium illud diploma non fuisse fraudulenter extortum; quàm certum est, ipsum Pontificem debitam in hoc negocio diligentiam prudentiámque adhibuisse. Et tamen est, qui asserere audeat, deceptum fuisse Pontificem, & ob eam causam quod expediit diploma nihil habuisse momenti. Sed quid Patriarcha responderit, iam videndum.

Ouiedi Patriarchæ circa suum ex Aethiopia exitum responsio.

CAPVT XIII.

POntificium diploma anno superioris sæculi sexagesimo septimo, mense Martio receptum à Patriarcha in Abassia est. Iunio statim insequente ad summum Pontificem, ad Sebastianum Regem, ad Iacobum Laynem Præpositum generalem Societatis Iesu literas dedit, simúlque ad Regem & ad Indicum prætorem tum Andreæ socij, tum Lusitanorum militum in Abassia præfectus, & quotquot ibi erant alicuius nominis Lusitani de re eadem scripsere. Inter eos nemo fuit, qui scriberet quidquam iis contrarium rationibus, quibus Pontifex motus diploma expediit. Si quid enim in eo poneretur à vero dissidens,

haud

haud erat dubium, quin in tanto grauium piorúmque hominum numero vel vnus reperiretur, qui aut Regem aut Pontificem de deceptione moneret. Quin etiam Patriarcha ipse, qua erat fide & religione, non sineret circa rem tantam vllo Pontificem in errore esse; apertéque asséreret, aliter rem habere, atque in diplomate sibi misso cótineretur. Possem omnium hîc epistolas proponere; sed nec vacat, nec opus est. Vna ipsius Andreæ ad Pontificem scripta rem totam explicabit. Ita ferè habet. Beatissime Pater, hoc anno millesimo quingétesimo sexagesimo septimo à Goano collegio Societatis Iesu literas accepi; cum iis Pótificij cuiusdam sanctitatis vestræ diplomatis exemplum, in quo erat, vt quo primo tempore tutò possem, Æthiopia relicta, siquidem nulla eius reducendæ spes esset, omni religione & conscientiæ vinculo exolutus ad Sinas & Iaponios transferrem me. Qua ipsum diploma acciperem, si mihi missum fuisset, eadem eius exemplum veneratione accepi; animúmque ad obediendum quamprimum applicui. Quominus tamen Æthiopiam deseram, multa obstant. Ipsa inprimis difficultas nauigandi: fieri enim non potest, vt absque certissimo vitæ periculo discessum tentem. Nam cùm in Mazuano portu, ex quo mihi erit necessariò proficiscendum (cùm alius vnde id facere queá, non sit) plurima reperiantur Saracenorum nauigia; nullum prorsus est, cui me tutò possim committere; tanta est eius gentis perfidia, tanto in Christianos ardent odio. Quoad reliqua ita sentio Primum si quingenti dumtaxat ad nos ex India mittantur Lusitani milites, quos iam diu & votis omnibus optamus, & vehementissimè poscimus, & adhuc fauente Numine habituros speramus; non erit dubium, quin non so-

lùm ad Romanæ Ecclesiæ obedientiam rebelles Abassini, verumetiam ad Christi doctrinam multi Ethnicorũ populi venturi sint. Habitant enim hanc Æthiopiam gentes innumeræ inanium cultrices simulacrorum, quas & adire nullo traiecto mari, & ad fidem nostram perducere non difficile possimus. Certò scimus ex regno Damutis, quod aiunt ad Mosambicum vsque, atque ad Sofalam, pertingere, multos ad Imperatorem venisse, qui Christianis sacris imbui cuperent, ídque vt sibi concederetur, supplices precarentur, quos tamen impius princeps ob priuatas repulit vtilitates, malens eos habere conditione mancipia quàm religione fratrès. Fuerunt etiam tres ante annos ex regione Sinaxi (sic appellant) qui cum principe quodam Imperatoris propinquo, à quo animis armísque diffidebant, inire pacem vellent, atque ad tributa soluenda, nostrámque religionem amplectendam offerrent sese: sed isti quoque fuere reiecti, odio & auaritia caritatem superantibus. Infiniti prope sunt ex circum vicinis Ethnicis, quos Saraceni mercatores emunt, Turcísque vendunt, omnes isti libenter darent Christo nomina, nisi malesuada habendi cupido principes ipsos, à quibus res pendet, transuersos ageret. Obstare hisce malis possent quingenti illi, quos dixi, Lusitani milites, cum magno & rei Lusitanæ commodo, & Indicæ ditionis stabilimento. Nam si Turcæ, quod procliue est, Æthiopiam priores occupent, vix dici potest, quantum inde rebus Indicis inferre damnum queant; cùm parata in his locis habeant, quæ ad instruendas ornandásque classes censentur necessaria; ferrum ad arma, alimenta ad exercitum, seruitia ad opera, & quæ sunt generis eiusdem. Imperator ille, qui hostiliter Romanam fidem inse-

quebatur, functus vita est. Filius successit ætate adolescens, iudicio parum firmus, & nomine magis, quã potestate Imperator. Eosdem enim habet, qui in eius parentem conspirauerant, aduersarios; qui & nobilitate inter Æthiopes primi, & complures numero sunt. Quamobrem adeò turbata sunt omnia, ac ciuilium dissensionum, externorúmque bellorum tempestatibus concussa, nihil vt cuiquam sit optabilius, quã vt aliquod habere possit consequendæ fruendæque pacis perfugium, quod in Romana fide constitutum esse, plerique norunt. Deinde etsi communiter Monachi, & ex nobilibus multi doctrinam nostram acriter oppugnant, nostrósque Catholicos impiè insectantur: ipsa tamen plebs, ad veritatis agnitionem eo promptior, quo rerum humanarum vinculis minus est irretita, Romana probat laudátque instituta, sunt etiam viri primarij non pauci, quos eadem tenet sententia. Vtrorumque saluti damus operam; & publicis priuatísque, qua disputationibus, qua concionibus vulgamus veritatem; scriptis etiam scripta refellimus; nec proficimus nihil. Aliqui enim se nobis fide coniungunt; & coniungerent plures, nisi pœnarum obstaret metus, atrox in abiectis animis veritatis hostis hæc causa est, cur in his maximè locis armatam Religio desideret manum, vt ad Catholica castra accedant intrepidi, qui velint; & firmi persistant, qui accesserint. Existimo, Pater sanctissime, hoc Æthiopicum negotium eorum esse de numero, quæ ad Catholicæ religionis amplificationem & splendorem summopere conferunt; propterea nulla esse de causa omittendum; quamuis, quod res magnæ habent, plurimis videatur implicatum difficultatibus. Quinetiam, ni valde fallor, vix vlla hodie offerri poterit expeditio,

quæ Romanæ Ecclesiæ maius ornamentum, vel maiorem Catholicis rebus afferre queat accessionem. Hîc vbi nunc sum, in regno Tigrio, ducenti circiter & triginta habitant Catholici, duobus diuisi oppidulis, quæ non ita pridem eam ob causam ædificauimus, vt qui antea cum magno rei temporalis damno, maiori animorum periculo, peregrinorum more per varias vagabantur Æthiopiæ partes, fixam habeant sedem, vbi commodè possint salutaribus imbui fidei documentis, & Christiana sacra frequenter suscipere. Veniunt ad nos ex diuersis locis alij, augetúrque in dies singulos grex Christi. Nec pauci alibi sunt, qui vt huc possint sine periculo commeare, opportunitatem expectant. Oues istas deserere & lupis relinquere deuorandas, haud humanum est; longéque abest, à caritate summi Pastoris Christi Iesu, qui ne vnā quidem perire passus est; sed nonaginta nouem in tuto relictis, errantem quæsiuit, suísque impositam humeris in ouile reduxit. Si gregem hunc tot inter feras relinquam, ecqua mihi reddenda erit Iudici Christo muneris mei ratio? Quid in ipso mortis puncto respondebo Deo de tanta crudelitate mecum expostulanti? Qui enim vni Thomæ ne periret, vulnera obtulit, non videnda solùm, sed etiam tangenda, & digitis ac manibus contrectanda, quas à me pœnas repetet, si non hominem vnum, aut paucos, sed propè infinitos, meæ curæ fideíque commissos negligenter deseram, eósque in barathrum sinam ruere. Pater sanctissime, ad te quoque oues istæ pertinent; tuo etiam ex ouili sunt: ne illas patiare ab stygiis lupis discerpi. Hoc vnicum est, quod secundùm Deum adhiberi ad earum salutem remedium possit, si ad hæc loca illam, quam sæpius dixi, militum manum Rex Lusitanus

mit

mittat. Vt verò quod ſentio,vno verbo ſemel dicam; tam pia hæc Æthiopiæ cauſa nullo modo videretur deſerenda. Hoc tamen ita dico,vt ſi veſtræ ſanctitati aliud videatur,ſubmittam caput,idque putem placere Deo. Cæterùm,ſi omnino ſtatuatur, vt hinc abeamus, opus erit prægrandem ad nos claſſem mittere, vt tuti à Saracenis ac Turcis, qui in Mazuano portu plurimi ſunt, multáſque habent præſidiarias naues ad bellum egregiè inſtructas,traiicere in Indiam poſſimus. Hæc habeo,quæ proponam.Si quid aliud erit, quod ſanctitas veſtra nobis faciendum iudicet, quomodocumque id ſignificabitur, promptiſſimè exequemur. Quod ad me priuatim attinet, velim ſcias, ita ad omnia paratum eſſe, vt quaſcumque ad gentes,ſiue Iaponios,ſiue Sinas, ſiue Mauros, ſiue Turcas,ſiue quem alium truculentiorem orbis populum ire iubeas,nullo negocio ſim profecturus. Imò verò ſi Patriarchali me exuas dignitate, & ad abiectiſſima quæque munera addicas,nihil me,quæ Dei gratia eſt, experiere repugnantem.Hęc ad Pontificem Andreas. Paria ad regem,paria ad Præpoſitum generalem Societatis,quæ propterea referre ſuperſedeo. Probatæ Pontifici atque Regi Patriarchæ rationes; & vtriſque viſum, Catholicæ rei intereſſe, vt in Æthiopia Patriarcha cum ſociis maneret; neque illam deſereret vineam,cuius colendæ ac propagandæ cauſa tantopere ad id tempus laborauerat. Itaquę, quoad vixit,Fremonam incoluit oppidulum, vt dixi,in regno Tigrio perexiguum;nullam interim præteriri paſſus occaſionem, in qua de ſexcentis illis aut quingentis militibus Luſitanis in Abaſſiam mittendis ad eoſdem principes atque ad Indicos prætores non ſcriberet. Anno enim milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo

ſexto, cùm Æthiopicus Imperator ſuper eodem militum præſidio nuntium in Indiam deſtinaret; iterum Patriarcha eadem de re ſcripſit ad Pontificem, multas enumerans, quæ inde ad ſtabiliendam in illis regnis ſinceram fidem deriuari poſſent, vtilitates. Anno rurſum inſequente ſeptuageſimo ſeptimo, ſexto Idus Iunias, aliam dedit, quæ vltima fuiſſe videtur, ad Pontificem Epiſtolam, in qua erat præſentire ſe vitæ ſuæ finem; reliquos item Socios, quos ſecum habebat, declinare ad ſenectam, nec poſſe diutius ſupereſſe; vehementer igitur eius ſanctitatem precari, vt eò mitterentur alij, quibus traderent lāpada; ne ſi ipſi abſque ſucceſſoribus decederent, illæ quoque extinguerentur, quæ tunc erant, Catholicorum ſcintillæ, atque ita de tota actum eſſet Æthiopia.

De quibuſdam Andreæ Patriarchæ virtutibus.

Capvt XIV.

Licèt Ouiedus apud Abaſſinorum Imperatores, quorum aliquos diuerſis temporibus vidit, & quoad potuit, ad Romanam fidem hortatus eſt, nihil omnino efficeret, in reliquis certè ſiue Catholicis inſtituendis & confirmandis, ſiue ſchiſmaticis ab errore auocandis non infructuoſam, quamdiu vixit, operam collocauit. Cùm verò apud vtrumque genus hominum monendo exhortandóque non parum proficeret, Catholicos tamen & hæreticos nulla re magis, quàm præclaræ vitæ exemplo alliciebat ad ſeſe. Illi parentem habebant, & paſtorem; iſti virum fatebantur omni cumulatum genere virtutum: vtrique non

homi

hominem vnum de cæteris,sed lapsum de cælo prædicabant. Princeps quidam generis propinquitate Imperatori coniunctus,de Andrea rogatus,quid sentiret,respondit,eum in ipsa hominum frequentia, rerúmque omnium confusione ac turba videri sibi persimilem iis, qui initio surgentis Ecclesiæ ab oppidis remoti vastas incoluere solitudines,diuinámque magis, quàm humanam vixere vitam. Adeò verò eius se virtutes admirari,vt ipsius quoque fidem & doctrinam non dubitaret absque vlla cunctatione sequi, multósque alios in eamdem sententiam pertrahere, nisi insanissimi Imperatoris crudelitatem timeret;fieri enim non posse,vt tam sancti,tam pij,tam religiosi mores cum falsa religione cohærerent. Idem de illo erat Æthiopum monachorum iudicium. Ex iis vnus audiens nonnullas Catholicorum terras à Turcis esse occupatas,scripsit viro cuidam, qui ex illis vnam incolebat, quamdiu secum haberent Andream, nihil prorsus formidarent; neque enim aduersùs hostium iniurias vllum esse præsidium firmius posse. Cauerent igitur, ne illum permitterent aliò transmigrare: nam si casu aliquo inde abesset,tum verò iure timendum, nec iratum ob scelera Numen hostibus faceret potestatem crudeliter in ipsos sæuiendi. Religiosus alter summæ apud Abassinos auctoritatis, ac toto in Regno ab Imperatore secundus, Andreæ sanctitatem eo habebat in pretio, vt ægrè pateretur ipsi deesse, quæ erant ad vitam necessaria. Cùm ergo aliquando nosset, maxima illum premi rerum egestate, primatium quemdam ac locupletem hominē hortatus est, vt egenti succurreret, nec sineret eum perire, cuius precibus Imperium staret. Ille etsi à Romana Ecclesia diffidebat, multa tamen sæpe ac satis largè misit

indi

indigenti munera, non alia ab illo petens volénsque actionem gratiarum, quàm vt, cùm litaret, precaretúrve, aut modo alio ageret cum Deo, tantisper sui meminisset. Huic eidem verò postea accidit, vt cùm de morte Ouiedi nec opinatò nuncios accepisset, barbam sibi præ tristitia velleret, & colaphos impingeret, flebiliter adiciens, Abassinorum Imperium cum Andrea cecidisse. Reliqui omnes, cæteroqui Romanæ veritatis hostes, eam quoque de ipso conceperant opinionem, vt si quod inter se magni momenti negotium essent transacturi, quod valde firmum fixúmque vellent esse, ad sepulchrũ defuncti Patriarchæ simul pergerent, ibíque ad seruandam fidem iureiurando se adstringerent; existimantes, haud impunè futurum ei, qui ab ea perfidiose recederet. Quamquam Andreas cunctis in rebus ita se hostiliter insequebatur, vt nihil esse, quod infensiùs odisset; abstinentiam tamen tantopere coluit, vt à statu mortalium longè abesse videretur. Iuratus testis, qui sub eodem cum illo tecto pluribus annis vixit, absolutè affirmauit, nihil carnis, quod edi posset, non modò in eius os, sed ne domum quidem, toto eo tempore fuisse ingressum; solitum semine quodam vesci insuaui & amaro, cuius ex farina placentas, quibus victitat, conficit vulgus inops. Quæ aliquando à viris nobilibus dono accipiebat, ea confestim distribuebat in pauperes, nec partem sibi minimam, vt totus à Deo penderet, retinebat: eamdémque ob causam, quoad fieri poterat, nihil rerum earum, quæ in quotidiano solent esse vsu, à die vno in alterum conseruabat. Nihil ipsi pauperum causis videbatur carius; adeò non alacriter tantùm, sed hilariter etiam eas tractabat; sibíque quàm illis necessaria deesse, multo æquiùs ferebat. Bouem habe

habebat vnum, quo solebat vti, quemadmodum illis in locis moris est, ad deportandam ex templis quibusdam ad alia templa sacram supellectilem, cùm erat pontificio apparatu sacrificaturus; sciens pagi cuiusdam incolas fame vexari, animal iussit occidi, diuidi in frusta, & per singulos particulatim distribui. Valde tunc quidam ex domesticis contendebat (is ipse est, qui rem hanc proprio firmauit testimonio) ne boue suo ad ea, quæ dixi, munera, atque ad plura alia tãtopere necessariò se priuaret; Sine, inquit, fili, sine obsecro, occidi animal, & opem ferre indigentibus, cras enim, ne dubita, optimus ac beneficentissimus parens gratiam rependet. Euenit, quod prædixit. Nobilis enim quidam & pecuniosus homo quamquam Catholicæ religioni contrarius, audiens Andream summa inopia laborare, quadraginta ipse vaccas, octoginta lineos pannos, quorum illic esse solet ad res varias vsus, magnam eduliorum copiam die insequente dono dedit: quibus ille rebus per dies plures & suam & aliorum subleuauit egestatem. Locanda cuidam in matrimonio erat puella, orba parentibus. Deerat dos; eam ob causam res differebatur. Vbi id cognouit Andreas, vnam, quam solùm ad longiora itinera habebat mulam, misit ad fœminam. Hoc autem in genere eius caritas eò prouecta est, vt quod legimus fecisse olim Antistites quosdam, insigni notos virtute, id Andream fecisse certum sit. Aliquoties quæ erant dicata sacris, vt aliquos à vitæ periculo liberaret, fertur vendidisse; indéque non semel effectum, vt alba veste careret, qua rem diuinam faceret. Nec solùm se spolians sua dabat indigentibus, verumetiam ad eos sustentandos sæpe pagos circumuicinos, octo ac decem, pluráque inter se distantes milliaria pedibus

per

peragrans, ostiatim mendicabat, quæ à singulis colligebat, propriis imposita humeris, asportabat domum, & conuenientibus illuc pauperibus distribuebat. Nõ Catholicorum tantùm subueniebat miseriis; sed iis quoque suam impendebat operam, qui Romanæ Ecclesiæ erant infensi. Accepit schismaticum quemdam eiusmodi grauari morbo, qui & contagione noceret, & intolerabilem ex se exhalaret fœtorem; atque ea de causa ab ipsis etiam propinquis esse derelictum, quòd nemo illum, nec sine nausea videre, nec sine salutis periculo tractare posset. Hunc adiit Andreas, ipsíque atque eius saluti totum se ac penitus addixit: & accuratius necessaria ministrauit, quàm si illi esset vel natura parens, vel officio seruus. Cibum ægroto parat., suísque manibus in os infert: lectum sternit; versat hominem, mutat, mundat; verrit domum, pannos & linamenta lauat; nec prætermittit quidquam, quod vel ægroti necessitas, vel ægritudinis conditio statúsque desideret. Hac ratione, Deo auxiliante, vtrãque infirmo restituit sanitatem. Is enim tanta commotus victúsque Catholici Antistitis caritate, supremam Romanæ sedis potestatem cõfiteri adactus est; vltróque illi ceruicem submisit. Quid Andreas egerit, vt schismaticos, quod in opus solicitè incumbebat, cum Romano capite copularet, difficile dictu & creditu est. Id vt ipse per se facilius, quàm per interpretes, præstaret, homo natu grandis summam in perdiscenda Abassinorum lingua adhibuit diligentiam; idémque vt socij facerent, etiam curauit. Vt autem eos nouit qualemcumque adeptos peritiam fuisse, in pagos statim ac vicos misit, quo veræ fidei lucem ostenderent incolis, eosdémque sanis moribus & Catholicæ Ecclesiæ congruentibus instituerent.

Ipse quidem tantum in eius linguæ cognitione profecit, vt familiariter cum Abassinis colloqueretur, confitentes audiret, conciones haberet, aptè demum ex linguis aliis in Abassinam transferret multa, quæ Catholicis, vt in fide perseuerarent, & hæreticis, vt errores suos agnoscerent, atque execrarentur, valde conducebant. Transferendi labori ita se dabat, vt omnem prorsus curam deponeret sui. Dum quædam attentiùs aliquando conuerteret, sic abstractam à rebus aliis habebat mentem, vt ad leuandam sitim, qua fortè premebatur, plenum oleo vasculum ori per imprudentiam admouerit, & oleum biberit pro aqua. Nec tunc agnouit factum, neque agnosceret postea, nisi Franciscus Lupius vas vacuum reperiens, & quid actum esset de oleo rogans, errorem patefecisset. Cæterùm tam singularem Abassinos iuuandi Patriarchę laborem multiplici fructu solabatur Deus, & aliquando ostentis cœlestibus faciebat illustrem. Per ea enim tempora visus insomnis est homini hæretico, qui locum incolebat vnius circiter mensis itinere à Catholicorum pagis distantem. Hic cùm duos post annos eò fortè veniret, vbi Andreas erat, simulátque ipsum est intuitus, agnouit ex facie, & illũ esse dixit, qui sibi antè fuerat per quietem conspectus. Quamobrem diuino incitatus impulsu, adit secretò Patriarcham; quid viderit, narrat; quid deinceps facturus sit, vt rectè viuat, eius arbitrio committit. Catholicis illum præceptionibus vir sanctus instruit, & in Romana fide ita roborat, vt grauissima postea eius conseruandæ pressus difficultate, constans firmúsque permanserit. Nam à Turcis captus, sæpiúsque, vt ad Mahumeticam nequitiam transiret, vi magna impulsus, obnixè restitit. Dúmque libertate omissa ferreis

onuſtus catenis, laboribus oppreſſus, propéque enectus fame, & mœſtitia planè conſumptus, mortem magis, quàm vitam optaret, ad Andream miſit, qui nuntiaret, quo eſſet in ſtatu, verbíſque ſuis ab illo peteret, vt libertatem ſibi, & in vera religione conſtantiam ſuis à Deo precibus obtineret. Plurima quidem ſe & maxima pati mala; ſed nullo afflictari acerbius, quàm immani illa & intoleranda importunitate, qua vt a Chriſto deficiat, ab ipſis Chriſti hoſtibus inſtigatur. Eum igitur iterum atque iterum obſecrare, vt quoad poteſt, precibus ſuis miſero ſuccurrat; cõfidere enim, ſi cauſam ſuam ſuſcipiat. Numen ſe propitium habiturum; & quãdo aliud nihil, in recta fide ad mortem vſque conſtantem permanſurum. Pro ſigno autem ſuæ in ipſum fiduciæ, píleum mittere; id enim ſolum è ſuis bonis ſibi eſſe relictum, quod mittere queat. Accepto Ouiedus ſub noctem nuntio, vehementer indoluit; ſtatímque in preces effuſus, libertatem homini breui impetrauit. Eadem quippe nocte à vinculis euadendi oblata eſt captiuo occaſio; cúmque eſſet omnino ignarus nandi (nare enim ad fugam oportebat) non exiguum maris tractum nando traiecit; quantáque potuit diligentia ad Patriarcham contendit, & ad eius prouolutus pedes, rem ordine narrans, ſuam ipſi libertatem retulit acceptam.

De aliis Andreæ virtutibus, & obitu.

CAPVT XV.

VAriis ſæpe modis, vi quoque interdum adhibita, tum Abaſſinorum Abuna, tum Abaſſini mona-

chi tentarunt, vt Lusitanorum vxores, quæ ex Abassino erant genere, templa & sacra frequentarent hæreticorum. Verùm Malac Seguetus Adamę filius, quãuis contumacia patri non impar, mitior tamen in cæteris, cùm apud ipsum ea de re nostri conquererentur, non solùm Abunæ & Monachorum importunitatem coercuit, sed assignauit certa Catholicis loca, vbi cum vxoribus ac liberis catholico ritu viuerent, templáque ædificarent, in quibus à reliquis separati sua sacra peragerent. Hæc loca Ouiedus quamdiu superfuit, sedulò lustrabat; fidei morúmque doctrinam incolis tradebat; illis conferebat sacramenta, & reliqua eiusmodi summa cum beneuolentia & caritate diligentissimè procurabat. Licèt autem hisce contineretur exiguis oppidulorum terminis, neque ad remotiora, nisi rarò digrederetur oppida; ferebatur tamen per longinquas regiones cum illustri commendatione eius sanctimoniæ fama, qua multiplex genus hominum hinc inde commotum ad ipsum turmatim ventitabat. Ex iis verò nemo ferè explicatam ab ipso veritatem non agnoscebat; multi agnitam amplectebantur; non pauci etiam metu, aut quo alio impediti affectû respuebant. Ita tamen omnes, tàm qui fideles Christo erant, quàm qui à vera fide aberant, de illo sentiebant, vt non dubitarent ea ab ipso petere quæ sola effici naturæ potestate non possunt. Hoc verò & ex aliis quæ iam dixi, & ex his colligitur, quæ nunc dicam. Cùm die quadam litaret, templum ingreditur hæreticus homo, filium paruo natu portans vlnis, omnino desperatum ac pæne mortuum. Eum supponit litantis pedibus sanitati restituendum; nec dubitat, quin sanum recipiat. Ita fit. Puellum Patriarcha ante pedes despicit moribundum; intelligit vitam illi

à patre & sanitatem quæri. Rem à Deo petit, & obtinet; sacróque peracto integrum reddit filium parenti, vllo absque signo pristinæ infirmitatis. Ex Catholicis alter filium item habebat nondum rationis compotem, oculis captum, & pessima affectum constitutione corporis: optabat eum potius mortuum, quàm viuum; vt ea ratione magno filius labore, non minore pater ipse doloris sensu eximeretur. Petiit igitur ab Andrea, vt si talem miser infans vitam esset victurus, precibus ipsi suis mortem à Deo impetraret; id enim vtrique vtile & gratum fore. Nec verò, inquit, time, ne quam fortè iniuriam inferas innocenti, dum ei mortem procurabis; conferes hauddubie beneficium; siquidem non tam finiet moriendo vitam, quàm longam mortem cum breui commutabit. Rem diuinam Andreas peregit, idémque & sacrificij & puelli finis fuit. Mox enim ex hac mortali ereptus cæcitate, mentísque oculos diuino perfusos lumine aperiens, æternæ pulchritudinis splendorem est intuitus. Cùm aliquando tanta vis locustarum ad ea loca conuolasset, vt instar densæ nubis obtegerent cœlum, ramósque arborum, quibus insidebant, ipso pondere frangerent, & vasta strage omnia latè deuastarent, nihil denique in agris relinquerent, quo sustentari homines possent, hæretici simul, & catholici consensu ad Andream accurrerunt; opem imploraturi. Congregatis ille in templum Catholicis Deiparam Virginem, cæterósque cœlites immortales litaniis inuocauit. Obseruatum est, vt paulatim preces fundebantur, ita sensim locustarum exercitum minui, aliásque super alias mortuas in terram cadere; finita demum precatione tanto ex numero, ferunt ne vnam quidem superfuisse. Illud etiam diuino tunc effectum beneficio est,

vt

vt quamdiu postea Patriarcha vixit, tale genus calamitatis, quod natiuum & quasi domesticum erat, nūquam ea regio fuerit experta. Cæterùm cùm ciuilibus discordiis ita res Abaßina turbata esset, vt multa paßim per totum Imperium bella fierent; qui de Lusitana gente erant, coacti sunt, domo relicta, in diuersa se conferre loca, in iísque accepto stipendio signa sequi principum diuersorum. Tum verò tantam Andreas rerum necessariarum paßus est egestatem, vt virtute magis diuina, quàm humano subsidio sustentari crederetur. Vestibus tempore vsúque magna ex parte consumptis, quo se tegeret, vix habebat. Eò deuenit, vt cùm opus esset de Æthiopicis rebus Sebastianum Regem per literas monere, quoniam aliam, in qua scriberet, chartam non habebat, ex initio Breuiarij primum folium, in quo nihil erat descriptum, ad scribendum abstulerit. Cùm rursum de se, déque statu rerum Pio V. Pontifici maximo rationem esset per literas redditurus, ex eodem, quo ad recitandas horas vtebatur, Breuiario extremas abscidit foliorum partes, inque iis ad modum libri filo colligatis scribens, docuit sublimia dignitatum decora nihil deprimi paupertate, sed illustriora effici, maiorémque apud bene sentientes admirationem sortiri. Hanc eius epistolam Pius Pontifex in manus postea accipiens, neque legere, neque videre sine lacrymis potuit, considerans, quantus vir quantam esset ad inopiam redactus. Denique postquam viginti annos eo modo, quo dictum est, in illa Æthiopica vinea laborauit, summis calculi cruciatus doloribus ad metam peruenit. Cùm sub extremum spiritum vi morbi acerbissimè torqueretur, miseratione, qui aderant, permoti, precari Deum cœpere, ne permitteret, tam innocen-

tem, támque immerentem virum tam grauiter affli-ctari; solueret potiùs ærumnosæ vitæ laqueos, & animum ad se reciperet cœlestibus gaudiis recreandum. Eos ille audiens, A verbis, inquit, talibus abstinete, filij; non mortem mihi, sed patientiam, qua dolores istos æquo animo feram, ab immortali Deo vestris precibus depoſcite. Ego enim si qua ratione vobis vtilis esse queam, in hisce grauissimis doloribus triginta adhuc & amplius annos libentissimè viuam. Sinite Deum efficere, quod ipsi placet. Absit, vt ego velim aliud, quàm quod vult; aut dolores istos finire morte cupiam, quibus ipsi placitum vt viuens crucier. His dictis, ad Deum conuertitur, eique sese in omnem euentum offert; iubeat mori aut viuere, vexari doloribus, aut iis liberari; nihil se vmquam recusaturum; animum tantùm & vires sufficiat. Dum per hæc & similia se Deo vouet, cùm priùs esset salutaribus Ecclesiæ sacramentis ritè munitus, inter summos cruciatus expirauit, mense Septembri anno à partu Virginis millesimo quingentesimo septuagesimo septimo. Vt mortuum viderunt, qui assistebant, ingentem edidere eiulatum; quo foris audito incredibilis comploratio toto pago excitata, graui mœrore omniũ animos impleuit. Mortis fama frequenti rumore per loca alia diffusa ab ipsis quoque Schismaticis dolorem & lacrymas extorsit. Non in monte Amara, vt à nouo auctore fictum diximus, sed in ipso, quod Catholicis Fremonæ erat, perexiguo templo, maiori Fremonensium pietate, quàm exequiarum apparatu corpus eius sepultum est. Ea hæreticis de ipso fuerat existimatio, vt cùm firmissimè sibi persuaderent, demortui animum cum beatissimis patriæ cœlestis ciuibus æquo frui sempiterno, ad sepulchrum, in quo ossa

ossa quiescebant, sæpissime concurrerent, ibique vti fieri in Aballia iis solet, qui sunt beatitate donati, frumentum offerrent, thuráque & alios odores venerabundi incenderent. Multa ad idem sepulchrum ab eius statim obitu ferunt edita miracula, ex quibus sequentia sunt, quæ iurati narrauerunt testes. Fœmina erat ex genere regio, cuius vitam difficillima ægritudo adduxerat in discrimen. Hæc paululum terræ ex Patriarchæ tumulo sibi allatæ immiscuit aquæ, quam vt bibit, depulso morbo repentè conualuit. Cuidam homini artis medicæ perito diuturnum ac permolestum erat in latere vlcus, cui multa incassum adhibuerat medicamenta. Visus iste sibi est vocem huiusmodi in somnis audire: Mitte hæc remedia, quæ malo tuo tam frequenter adhibes; si recuperare sanitatem vis, terram capito ex Patriarchæ sepultura, efficito ex ea emplastrum, vlceri tuo illud impone, fies confestim sanus. Ita accidit. vbi terra vulnus tetigit, quidquid infirmum erat, noua carne restituta, solidè confirmatum. Idem ipse medicus, cùm de mandato Imperatoris quamdam se in arcem conferret, captus est à Turcis, & in vincula coniectus, die insequente transfigendus palo, quòd explorator crederetur. In hoc vitæ periculo, cùm ab Andrea, quem viuentem nouerat, auxilium obnixè peteret; visus ecce ipsi multa circumfusus luce idem Andreas, eiúsque apprehendens manum leuatè terra procumbentem, & his verbis omnem ex afflicto animo pellit timorem. Ne metue quæ impendere tibi videntur ab Turcis mala: euades omne vitæ discrimen; & die crastino, quo te mactandum putas, sine damno exibis è custodia. Dixit, & ex oculis subitò euanuit. Vbi postera illuxit dies, aperto præter morem à Turcis carcere, data homini

exeundi, & abeundi, quò vellet, libera facultas. Tanta aliquando ob pluuiæ defectum illis in locis ſiccitas fuit, vt areſcerent ſegetes, & facile appareret, annum non ſolùm homini, ſed etiam pecori fore exitioſum. Conueniunt inter ſe quotquot ibi reperti, de quærendo remedio deliberaturi; & quamquam à Romana fide alieni, ſtatuunt tamen ad Patriarchæ ſepulturam, tamquam ad aram confugere. Eò gregatim pergunt; ſimul attollunt voces, & magna cum fiducia hunc in modum precantur: Patriarcha ſanctiſſime reſpice hos agros, ex quibus victus nobis & vita. Cerne vt ariditate ſterileſcant; & frugum inopia extremum nobis minentur exitium. Auerte, quæ imminent mala. In cœlo nunc degens cum Deo, ne illud nobis auxilium nega, quod libenter præſtabas, cùm apud nos degebas in terris. Si opem feras perditis rebus, quam nobis tradebas fidei doctrinam, iam nunc cordè, & eum oportebit, ore & opere palàm profitebimur. Has preces tantus ſtatim conſequutus eſt aquarum imber, vt omnem ſterilitatis metum ex agreſtium animis abegerit.

Quales Andreæ ſocij, quomodo vitam finierint.

CAPVT XVI.

NE immenſus ille ſanctiſſimi Patriarchę labor tot per annos tanta caritate pro Abaſſinis ſuſceptus eius morte periret, à Patre miſericordiarum clementiſſimè prouiſum eſt. Quinque eius ſocios ſuperſtites eſſe, & in eadem vinea colenda ita exerceri voluit, vt quod ipſi hæretici confeſſi ſunt, ad inſignem quemdam euecti fuerint gradum ſanctitatis. Iurati teſtes

dixe

dixero, eos plenam rectè factis, & verè Apostolicam vixisse vitam, quam admirari quidem possent, satis explicare non possent. Cùm salutem omnium enixè procurabant, tum vel maximè in pertrahendis ad veritatem Monachis, vehementer insudabant, quòd viderent ab his, qui apud eos habentur cæteris doctiores, nobilium æquè & ignobilium conuersionem pendere. Omnes, quibus cum ipsis erat de religione disceptatio, nullo negotio conuincebant; non tamen admodum multos, nec sine magno labore (tanta inueteratæ consuetudinis vis est) ad amplectendam agnitam veritatem compellebāt. Ex his quinque sociis, tres sacerdotes erant, reliqui duo nullis initiati sacris, ad rem domesticam iuuandam in Societatem admissi. Hos Patriarcha, vt suum post obitum plures Catholicis relinqueret sacrorum administros, quos necessarios fore animo præuidebat, aptè priùs instructos, nō multo ante, quàm diem obiret, ad ordines promouit, & sacerdotes creauit. Id diuino factum esse consilio, euentus ostendit. Lupius enim, qui vnus fuit ex illis, & sociorum vltimus excessit è terris, vllo absque socio Catholicam in Abassia fidem doctrina & exemplo diu conseruauit; donec vno ferè post eius mortem anno ab Alexio Menesio, Goano tunc Antistite, in Æthiopiam missus est Michael Syluius, de quo suprà dixi, insigni sacerdos pietate, qui vineam eamdem, ne errorum spinis omnino syluesceret, ad aliorum vsque aduentum diligenter excoluit. Moriens Patriarcha reliquis sociis Antonium Fernandium præfecit, virum cùm rebus aliis excellentem, tum verò omnium instructum virtutum apparatu. Caritate & tolerantia ferunt fuisse admodum singulari. Primus sociorum fuit, quem ab illo exilio ad sedes beatas Deus auocauit:

uit. Illum consequutus est Gonzalus Cardosus, de quo hæc accepimus præter alia, quæ ipsi fuere cum reliquis communia. Dies noctésque Catholicis æquè & hæreticis infatigabilem præstabat operam. Labores & pericula ipsi erant delectationis materia. Alienarum videbatur arbiter voluntatum. Magna facilitate conciliabat discordes; atque in hoc genere, quo quemque vellet, nullo negotio flectebat. Mortem suam diuinitus prænouit, ac prænunciauit. Cùm in pagum quédam quindecim dierum itinere distantem, Francisco Lupio comitante, mitteretur, vt Catholicos loci incolas sacramentorum pabulo & doctrina pasceret, Patri mittenti ita fertur dixisse: Læto atque hilari animo hoc iter suscipio, quod obedientia, quæ mihi vita carior est, suscipiendum præcipit. Scias tamen neque me peruenturum Dambeam, neque ad te amplius reuersurum. Haud plura his, mox se cum socio in viã dat. Partem itineris confecerant; cùm Cardosus Lupium monet instaret tempus moriendi; ipsum quoque in eodem futurum periculo; consulat tamen diligenter sibi, & ad communem vtilitatem seruet vitam. Non multo pòst, cùm simul pergerent, latrones quidam è syluis egressi imparatos adoriuntur. Lupius vulnere accepto in secretum se locum abdit, & vitam tuetur. Cardosus primo ferè ictu mortuus cadens oraculi patefecit veritatem. Tertius ad cœlum abiit Andreas Gualdarus. Tantus huic inerat mentis ardor, & amica veritatis simplicitas, vt dici de eo soleret, quod de Nathanaele dixit Christus, verum esse Israelitam, ab omni alienum dolo. Cùm summo iuuandi Abassinos desiderio æstuaret, simulátque ea loca tetigit, ingenti conatu ad perdiscendum gentis idioma applicuit animum; illúdque sine doctore intra sex mé-

ses

ſes adeò perfectè calluit, vt multa ex noſtris ad Religionem ſpectantia aptè traduxerit, quæ & Catholicis ad conſeruandam fidem, ſectandámque pietatem, & hæreticis ad errores depellendos magno vſui fuere. Mors ita contigit. Præfecti ſui iuſſu Mazuam petens, in Turcas incidit, quibus ex veſtitu proditus, cũ Chriſtianus & ſacerdos eſſe agnoſceretur, vnà cum Luſitano alio, quem habebat itineris comitem, Barbarorum telis confoſſus viam & vitam felici exitu abſoluit. Quarto loco diſceſſit ad ſuperos Emanuel Fernandius. Hic adulta iam ætate & ſacerdotio decoratus, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio in Conimbricenſi Collegio nomen dedit Societati. Ante Religionis ingreſſum Cardinali Henrico erat cognitus, & in prudentium atque piorum hominum numero habitus. Hanc ob cauſam aliquot non exigui momenti negotia ab eodem principe agenda ſuſcepit, & fideliter ac ſedulò adminiſtrauit. Apud Abaſſinos cùm multis in rebus, tum in eo maximè eius virtus enituit, quòd ad ſacra infirmis ac valentibus miniſtranda plurimos longéque diſtantes Chriſtianorum pagos pedibus luſtrabat; adeò quidem aſſiduè, vt in via magis, quàm vllo certo in loco domicilium haberet. Nec pauca nec modica in hiſce itineribus ſubibat vitæ diſcrimina, quibus tãtum abeſt, vt à propoſito retardaretur, potiùs vt ad eam ipſam rem difficultatibus ipſis promptior fieret, & alacrior. Multa ferunt diuino inſtinctu vaticinatum. Hæc à iuratis teſtibus accepimus. Cùm Monachus quidam hæreticus Imperatorem, apud quem auctoritate & gratia valebat, vehementer ſolicitaret, vt quotquot Abaſſini eſſent, qui ab Alexandrini Patriarchæ factione ad Romani Pontificis obediẽtiam tranſiſſent,

eos, vt seditiosos ac perduelles interfici iuberet; rem fama ad Catholicos detulit, & tanto eos perculit timore, vt quo possent modo imminens periculum euadere, sollicitè & anxiè quærere cœperint. Ex his vnus, quid ageretur, Emanueli nuntiauit, simul & consilium in re difficillima petiit. Sedato ille vultu hominem intuens, Vade, inquit, meis verbis Catholicos robora, & metu solue. Certò pronuncia, nullum ab hac parte esse periculum; neque enim iniqua suasione mouendum Imperatoris animum. Eum verò, qui vobis molitur interitum, intra duos menses auferendum è vita. Ita euenit, vt ab Emanuele prædictum. Cùm discederet quodam ex loco, videretque hoc discessu nonnihil amicum hominem turbari, Obsecro, inquit, te, ne feras ægrè me hinc abire; iam ad viuentium vocor Regionem, & optatum adest tempus, quo terram hanc, quam baiulo, deponam in terra, euolémq; in cœlum. Ad templum confero me, in quo sanctissimi Patriarchæ requiescunt ossa, vt prope ipsum sepeliar. Abiit, ad designatum peruenit locum; paucis post aduẽtum diebus animam egit. Cùm moriturus decumberet, quemdam rogauit ex iis, qui assidebant, quantum distaret dies Christi natalitiis sacer? Haud procul abest, inquit ille. Tunc Emanuel, hunc diem expecto, vt mũdo moriens nascenti in terris Christo viuere in cœlo incipiam. Vbi dictus illuxit dies, Catholicos, qui in loco erant, vocari iussit ad se, simul cum iis rei diuinæ interfuit, sacrificio finito data acceptáque mutuo salute, dulcibus verbis domum quemque remisit suam. Vestra, inquit, tecta repetite; reficite cibo corpora; huc frequentes à prandio adeste. Faciunt, quod iusserat, futuri ignari. Cibos sumunt; pransi conueniunt, simul ad Emanuelem redeunt; corpus reperiunt exanime,

rigant lacrymis, venerabundi osculantur, supremæ reginæ aspectu creditur in obitu recreatus. Conuersus enim ad vnum cubiculi angulum, intermortuis quidem, sed iucundissimis vocibus clamare cœpit, Ah domina mea, ah domina mea! Tunc Franciscus Lupius, qui aderat morienti, agnoscendæ rei cupidus, quid viderit, interrogat. Vidi, inquit, Virginem deiparam diuina mirabilem pulchritudine; sine me abeuntem sequi. His dictis, migrat è corpore.

De Francisco Lupio, Patriarchæ socio, qui omnium postremus diem obiit.

CAPVT XVII.

VLtimus ex sociis mortalem vitam Fräciscus Lupius reliquit, anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, mense Maio. Vix scribi possunt, quæ de hoc viro à iuratis testibus tradita sunt. Eum summis equauere cœlitibus. Affirmarunt, nullam esse partem veræ germanæque sanctitatis, in qua non excelluerit. Ego pauca quædam & leuiter attingam. Illud primum sit. Lupium per annos viginti Ouiedi Patriarchæ fuisse in Æthiopia domesticum socium, eosdémque cum ipso labores, & easdem subiisse difficultates; atque in omni genere virtutum sic illum esse imitatum, vt expressa quædam viuáque eiusdem Patriarchæ imago extiterit. Ita corpus verberibus, inedia, modísque aliis extenuauit, vt solis ossibus constare videretur pelle tectis. Solitus erat dicere, vitam hanc non ob alium à Deo nobis concessam finem, nisi vt laborando assequeremur æternam, tritum Iobi vsurpans

ſurpans verbum: Homo naſcitur ad laborem, vt ad volatum auis. Hinc erat, nulli vt vmquam labori parceret. Cæteris ſociis vita functis, mox egenis diſpertiuit, quidquid erat domi; & ad reliqua pallium adiecit ſciſſum in partes, vt ad plures pertingeret. Denique & ipſam tunicam, quam ſibi ex veſtitu exteriori ſolam reliquerat, in fruſta quoque diuiſam diſtribuit pauperibus, interno tantùm amictu, quod illis in locis indecorum non eſt, nuda tegens membra. Cũ tamen hyeme varios Catholicorum pagos erat luſtraturus, ad propulſandas frigidi cœli iniurias aliqua pelle vtebatur. Reperit aliquando fœminæ vita functæ nudum atque inhumatum in via cadauer; mox in ſecretum ſe recipiens locum, exuit ſubuculam, mortuum corpus decẽter operuit, & terræ mandauit. Nuda humo cubabat. Cùm ab homine quodam ſaccum accepiſſet, quem ſupponeret corpori, illum confeſtim dedit ægroto, qui frigida quoque ac dura in terra iacebat. Ad eam deuenit rerum penuriam, vt cùm è vita ceſſit, nihil ſit apud ipſum repertum, præter fruſtum laceri ac triti corij, cui incubuit ægrotans, vt eo cadauer tectum ſepulturæ daretur. Viſus ſæpe eſt, cùm ſacrificium faceret, cúmque ſecretò diuina contemplaretur, tanto perfuſus ſplendore, vt Solis inſtar intuentium oculos perſtringeret. Iidem qui videre teſtati ſunt, idque erat crebris inter Catholicos peruulgatum ſermonibus. Fuit ex ipſis, qui affirmaret, ſæpe ſibi à parente ſuo dictum: Fili, hunc Franciſcum Lupium, qui nobiſcum eſt, quémque frequenter videre & alloqui poſſumus, ne tamquã vnum de cæteris hominibus exiſtimes eſſe; ſumma præditus eſt ſanctimonia. Illum ego aliquoties vidi, cùm faceret ſacrum, ſéque ad circumſtantem populum verteret, oculis & ore

flam

flãmas iaculari, ac toto capite luce mirabili splendescere. Quod reliquum est, curabis, summoq; eũ habere in pretio, & eximiè venerari. In morbum incidit: cùm haberet in dies peius, ingens Catholicos de iactura tãti viri incessit solicitudo. Cõsumebãtur mœrore, quòd eum sibi viderent auferri, cuius è vita pendebãt. Summis ergo precibus & multis cum lacrymis à Deo petunt, ne velit illum mori, sine quo ipsi nequeunt viuere. Placuit Numini pia deprecatio, & restituta ęgro sanitas est. Vno vel altero à recuperata sanitate die pergit in tẽplum, vt sacrificet; conueniunt etiam frequentes Catholici, vt facienti intersint. Peracto sacrificio, ita illos dicitur allocutus. Ad finem laborum venerã, Deo vocante. Mihi quidem nihil esse optatius poterat, si mea commoda respicerem, quàm vt dissoluerer, & cum Christo essem. Auditę preces vestræ à clementissimo Domino sunt. Duos adhuc vobiscum commorabor annos; sic illi placet, qui vitæ & necis Dominus est. Si velit, vt multo longiùs proferam viuendi terminos, nõ recuso; siue enim viuo, siue morior, ipsius sum. Vestra etiam, fratres mei, causa valde me in hac ægritudine anxium habebat. Quî possem enim non maximè angi, cùm viderem post obitum meum vos futuros sine magistro, sine pastore, sine sacerdote? Quî possetis item vos, vestríque liberi ita deserti inter Romanæ religionis hostes in vera fide constantes integríque persistere? Gratias igitur agite & habere benignissimo Patri quammaximas, & quod in vos contulit beneficium, sæpius vobiscum recognoscite. Quod attinet ad me, quamquam exacta iam ætate, viribus affectis, hebetato etiam magna ex parte animi vigore; nihil tamen his duobus annis prętermittam, quod vobis vtile esse iudicabo. Deum precor immortalem,

quam

quam nofcit virtutem mihi opus effe,largè fuppeditet ne cuiquam defim.Hæc effatus,concionē dimifit. Reliquo vitæ tempore fic egit omnia,fiue,quæ corporis, fiue quę animi robur defiderāt,vt appareret vtriufque partis vires non ægritudine perditas,aut ætate imminutas,fed morbo potiùs illo,vti falutari medicamento fuiffe in ſtauratas. Vbi tandem ad metam ventum octo ante dies, quàm exiret è vita,iuffit Catholicos conuenire, ad quos plenam optimis confiliis habuit concionem. Principio eos monet, elapfum effe, quòd diuino munere acceperat biennij tempus, nec iam plus quàm feptem vitæ dies fupereffe; orare fe & obteftari omnes vehementer, ne de diuina mifericordia defperent; fore, vt vnum circiter poft annum illuc veniat, qui diligenter eorum curam gerat; fi quid interim habent, quod præftare ipfum velint, ne morentur proponere. Deinde hortatur quanto poteft animi ardore, vt in Ecclefiæ Romanæ doctrina & obedientia firmiffimè perfeuerent; à colloquiis & confortio, nedum à connubiis hæreticorum abhorreant ac fugiant; Iuftitiam, pietatem, virtutes reliquas fectentur; nullam iis,qui foris funt, anfam præbeant malæ de ipfis fentiendi;pacem denique inter fe & concordiam feruent; atq; ita viuant,vt verè Catholici & verè fratres effe videantur.Poft hęc definito die, fummo omnium Catholicorum dolore, mortalis vitæ moleftias curáfque cum corpore relinquens, ad quietem abiit fempiternam. Nondum exacto ab eius obitu anno Melchior Syluius Mazuam appulit,indéque ad Abaffinos confeftim tranfiens,fidem à Lupio Catholicis vaticinando datam aduentu fuo liberauit.

FINIS.

